This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Sch 3/25



URKUNDEN UND ACTENSTÜCKE

ZUR

GESCHICHTE DER VERHÄLTNISSE

ZWISCHEN

ÖSTERREICH, UNGERN UND DER PFORTE

IM

XVI. UND XVII. JAHRHUNDERTE.

AUS ARCHIVEN UND BIBLIOTHEKEN.

Bd 3: 1530-1541

GESANDTSCHAFT KÖNIG FERDINANDS I. AN SULTAN SULEIMAN I.

1536—1537.

WIEN.

IN COMMISSION BEI SCHAUMBURG UND COMP.

GEDRUCKT BEI A. STRAUSS'S SEL. WITWE.

1842.

Vorwort.

Die hier mitgetheilten Actenstücke, sämmtlich Beiträge zur Geschichte der neunten Gesandtschaft König Ferdinands I. an Sultan Suleiman I., sind noch nirgend gedruckt, und dürften vielleicht nicht unwillkommen seyn.

Sollten sie günstig aufgenommen und für die Wissenschaft benützt werden, so ist meine Absicht vollkommen erreicht und meine Mühe am schönsten belohnt.

Wien, den 12. Januar 1842.

Anton von Gévay,

k. k. geheimer Hof- und Haus-Archivar.

INSTRUCTION

KÖNIG FERDINANDS I.

FÜR

FRANZ FREIHERRN VON SPRINZENSTEIN

BEI DESSEN SENDUNG

AN

SULTAN SULEIMAN I.

WIEN, 20. NOVEMBER 1536.

Aus dem von Adam Carl, königlichem Secretäre, geschriebenen, von König Ferdinand I. und Bernhard von Cles, Fürstbischofe von Trient und oberstem Kanzler, unterzeichneten und mit dem königlichen Siegel versehenen Originale im k. k. geheimen Haus- Hof- und Staats-Archive. Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel zeigt genau dieselben Wappenbilder, wie das zu dem im ersten Bande dieser Sammlung (GESANDTSCHAFT KÖNIG FERDINANDS I. AN SULTAN SULEIMAN I. 1532 *S.* 97) *mitgetheilten Schreiben König Ferdinands I. beschriebene.*

Ferdinandus diuina fauente Clementia Romanorum Hungarię Bohemię etc. Rex etc.

Instructio de ijs, quę Nobilis fidelis nobis dilectus Franciscus Ritius Baro in Sprinzenstain Consiliarius et Orator noster, apud Serenissimum et Potentissimum Soleymannum Imperatorem Turcharum ac Asię et Grætię etc. nostro nomine agere et tractare debet.

Inprimis, vbi Constantinopolim peruenerit, se coram Illustri et excellente Ayas vel alio quocunque Bassa, qui primas apud Turcharum Cęsarem tenet, inque summa gratia et authoritate prę alijs apud eum constitutus est, pręsentet et ostendat, dicendo, quod a Nobis ad Cęsarem Dominumque suum expeditus, hanc spetialem Commissionem acceperit, vt se coram ipso Ayas, vel vt dictum est, exhibeat, et per medium ipsius Audientiam a Cæsare Dominoque suo petat et impetret. Et post exhibitas literas nostras ei Salutem et gaudium nomine nostro optabit, verbisque melioribus, quibus sciet et poterit, eidem declarabit nostram in eum propensionem et beneuolentiam, qua ipsum complectimur.

Negotium vero, propter quod ipse Orator missus fuerit, non aliud esse dicat, quam quod ipsimet Cæsari et sibi longissimis literis per eum allatis explicauerimus. Et quod mens et voluntas nostra sit, vt idem Orator in Curia Cæsaris iuxta Consuetudinem aliorum, qui illuc a Potentatibus siue Principibus destinati Dominorum suorum res atque negotia pro mutua amicitia et confederatione apud Cæsarem gerunt atque procurant, diuersari morarique, Resque nostras quascunque et quocunque tempore pro maiori initę pacis vnionisque conseruatione agere et tractare possit et valeat.

Impetrata itaque tali modo audientia a Cęsare Turcharum ipsoque Oratore nostro in conspectum et pręsentiam Magnitudinis suę deducto, ei literas nostras, quo decet honore exhibebit, et post salutationem, verbis vt poterit

aptioribus et conuenientibus eidem precabitur nomine nostro corporis animique sanitatem et prosperitatem.

Deinde rogabit idem Orator Magnitudinem suam vt dictas literas nostras sibi interpretari facere, interpretatasque benignis auribus intelligere non grauetur, eisque bene intellectis ad singula petita nostra in eisdem contenta bonum et expeditum responsum sine mora vel oretenus vel in scriptis Oratori ipsi nostro dare dignetur, qui illud mox per spetialem Nuntium ex Seruitoribus suis vel alias delectum ad Nos quanta fieri poterit celeritate transmittere debebit.

Et hęc primo quidem congressu cum Turcha coram ęgisse sufficiant.

Postea vero idem Orator noster ad prędictum Ayas Bassam redeat et ab eo similiter petat, vt curare velit quo literę nostrę ad Cęsarem scriptę Magnitudinique suę redditę primo quoque tempore interpretatę et traductę a Magnitudine sua bene audiantur et intelligantur.

Præfatus vero Orator noster poterit, si ita tempus et occasio ferat, dicto Ayas Bassę substantiam literarum nostrarum dicere et oportune recensere occupationem Castrorum nostrorum a Subditis Magnitudinis suę factam, Excursionesque continuas et damna illata, itemque alia ad rem pertinentia, prout in literis nostris ad Cęsarem et Ayas Bassam latius exprimitur, quarum Copias siue exemplaria habet, Ex quibus sese tanto melius informare poterit, eaque in Italicam linguam transferre curet, singulisque literis tam ad Cæsarem quam Ayas Bassam copiam Italicam addat.

Post enarrationem vero istorum omnium conuenientem et idoneam roget eum summopere, prout etiam in literis nostris ad eum scriptis continetur, vt nobis omni fauore consilio et auxilio adesse et assistere, tantumque (quia potest) apud Cęsarem Dominumque suum efficere velit, quod hęc et similia, quę ab hominibus suis contra pacem commissa sunt et committuntur, de cętero caueantur et non fiant, et captiui per eos capti nostris reddantur, Loca adempta Castraque occupata restituantur, Obsidio Castri nostri Clyssę dissoluatur, itaque demum agere velit, negotiaque ac res nostras tali modo dirigere et promouere, vt optatum et expeditum super singulis petitis literarum nostrarum responsum ac finem assequi valeamus, sicut eum indubie facturum esse confidimus, et erga eum re ipsa compensare et recognoscere volumus.

Et quantum ad illud quod dictum Oratorem nostrum istic residere cupimus, apud eundem Ayas idem Orator noster instet et sollicitet vt is adiuuare et Cęsarem Dominumque suum adducere velit, quo ad hoc vt par est

pro mutua bona conseruanda pace et amicitia consentiat, dictumque Oratorem nostrum minime occlusum aut in custodia teneat, sed vt in literis nostris petiuimus libere exire conuersarique permittat.

Si autem dictus Ayas absens et non in Curia Cęsaris ageret vel alius locum et vices suas gereret, poterit dictus Orator noster sibi literas Credentiales, quarum superscriptionem in albis reliquimus, vt cognito eius nomine ipsas superscribat, prędentare, et pro qualitate rei, ipsiusque personę supradictis conformia adducere.

Ad hęc etiam dictus Orator Noster Magnificum Ionus Beg Cæsaris Turchorum Interpretem, si bono modo poterit, inprimis et ante Ayas Bassam seu etiam Cæsarem prędictum conuenire et alloqui studeat, et post exhibitas literas nostras Credentiales illi exponat, quod quia vidimus et cognouimus eum negotia nostra hucusque synceriter et bene iuuisse, et pro posse suo promouisse, Idque se dehinc etiam pari studio et opere facturum esse iuxta suam oblationem confidamus, Nos ideo hortari et gratiose requirere eundem, quod tam bene cęptis et bono proposito suo insistere et in eo perseuerare, ac eidem Oratori nostro bonam informationem et consilium dare, ac apud Cæsarem Dominumque suum Ayas Bassam et alios eius vicegerentes eum ita dirigere et promouere velit vt citum et optatum responsum super literis nostris habere possimus, et de omnibus necessarijs cum eodem Oratore nostro confidenter agat, et singula ei vt melius poterit communicet. Quod erga eum vti Regem liberalem et gratum decet recognoscemus.

Sepedictus autem Orator noster ex Constantinopoli vel Curia Cęsaris Turchorum vbi tunc fuerit recedere non debet, nisi spetialiter per literas nostras reuocetur, sed inibi commorari et rebus nostris sollicitandis promouendisque inuigilare et summa cura dexteritateque attendere, Nosque subito postquam Constantinopolim applicuerit de aduentu suo prędentatisque literis et ijs quę cum singulis ęgerit, quę responsa habuerit, Et an ibi residendi cum conditionibus, vt supra dictum est, facultatem impetrauerit nec ne, Et de omnibus alijs quę nostra scire intererunt ad longum admoneat.

Cætera vero quę huc conducere facereque ad assequendum intentum nostrum quomodocunque existimauerit videbitque, prudentię eiusque in rebus gerendis dexteritati vigilantięque et fidei in nos suę debito committimus.

Cum vero a legatione ista sua ad nos reuersus fuerit ad nostras manus Instructionem illam prędentem consignare et reddere debet. Nostram in ijs

omnibus expressam et omnimodam executurus voluntatem. Datum in Ciuitate nostra Vienna Die xx Mensis Nouembris. Anno Domini M. D. xxxvj. Regnorum nostrorum Romani Sexto, Aliorum vero Decimo.

Ferdinandus

(L. S.)

Ad mandatum Sacrę
Regię Maiestatis proprium

B. Carlis Trid.

Ad. Carolus

BERICHT

DES

FREIHERRN FRANZ VON SPRINZENSTEIN

AN

KÖNIG FERDINAND I.

(WIEN, WAHRSCHEINLICH IN DEN ERSTEN TAGEN OCTOBERS 1537.)

Aus dem von Franz Freiherrn von Sprinzenstein durchaus eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. geheimen Haus- Hof- und Staats-Archive. Auf der Vorderseite des ersten, übrigens leer gelassenen Blattes steht von der Hand Sprinzenstein's: **Relatio Ritij,** *und von einer andern:* **Legatio Francisci Ritij Præpositi Tridentini 1537.**

Cum in Itinere preter molestias et labores nihil Relatu ualde dignum euenerit cumque rationabile sit inanem Prolixitatem Sacre Maiestati Vestre iniucundam esse faciam Initium Relationis a Die qua Constantinopolim perueni

Vayuode Conductoris egritudine impeditus, non potui ante x^{mam} Diem Aprillis Constantinopolim uenire, Vna hora post meum Aduentum Dominus Ionus Beg ad me uenit, et an aliquid literarum ad eum haberem interrogauit, Ego ei literas Maiestatis Vestre ad ipsum scriptas tradidi, Quas cum latinas esse uideret, dixit se mirari quod Maiestas Vestra latine scriberet, cum tamen alij Oratores per eum (ut deinceps Italice scriberetur) admoniti fuissent, Ego dixi hec fieri ex Consuetudine Cancellarie, tamen literis tam Cesaris quam Ayas Basse adiuncta esse exemplaria Italica, Deinde exposui quod quia Maiestas Vestra compertum haberet eum Negotia hactenus sinceriter et bene iuuisse et pro posse suo promouisse idque se dehinc iuxta oblationem suam pariter facturum confideret, ideo Maiestatem Vestram eum hortari, et gratiose requirere, ut tam bene ceptis et bono proposito insistere, ac in eo perseuerare et mihi bonam informationem et consilium dare, et apud Cesarem et alios me ita dirigere et promouere uelit ut cito optatum Responsum super Regijs literis habere possem, et de omnibus necessarijs mecum confidenter ageret et mihi singula ut melius posset communicaret, Quod Maiestatem Vestram erga eum ut gratum et liberalem Regem decet recogniturum promitterem, Ad hec ille respondit se libenter Maiestati Vestre eandem seruitutem quam hactenus egerit prestiturum, nec dubitare de bono Animo Maiestatis Vestre, tamen mirari me ei preter literas a Maiestate Vestra nihil Attulisse, Ego respondi, Hoc nec Obliuione nec Negligentia Alicuius pretermissum fuisse, sed quod Serenissimus Rex meus me eum in Curia Cesaris non reperturum arbitrabatur, quia sua Maiestas intellexerat eum in Legatione ad Venetos expeditum breui etiam in Galliam profecturum, sed si declararet ubi et cui Pensionem dari uelit, me per literas Regiam Maiestatem admoniturum et effecturum ut sine mora pensio numeretur, Tum ille se hac mea oblatione

(quam ei etiam Comes Venetijs fecerit) contentum esse affirmans, dixit non parum etiam in hoc erratum fuisse quod Maiestas Vestra nihil Muneris pro signo Beneuolentie miserit Ayas Basse, qui in locum Imbraymi suffectus non parum iuuare posset si a Maiestate Vestra æque atque Imbraymum se obseruari cognosceret, Hoc idem dicto Comiti Venetijs dixisse atque eum ut Maiestatem Vestram per literas de ea re admoneret, hortatum fuisse, Hoc sermone habito Negotium sibi incumbere dicens repente abijt. XII^ma^ Die eiusdem Mensis Dominus Ayas Bassa me per Ionus Beg et Boz Iochuz Chiaus (cui mei custodia commissa erat) ad se uocauit, Ad quem ut veni, dixi me a Maiestate Vestra ad Cesarem expeditum hanc spetialem commissionem accepisse, ut me coram sua Illustri Dominatione exhiberem et per ipsius medium Audientiam a Cesare peterem ac impetrarem, Exhibitis itaque Credentialibus ei salutem et gaudium nomine Maiestatis Vestre optaui, atque eiusdem Maiestatis Vestre in eum propensionem et Beneuolentiam declaraui, Ille post gratiarum Actionem interrogauit an Maiestas Vestra sana esset et quomodo me in Itinere habuissem, et quid noui Cesari attulissem, Ego respondi nil aliud quam quod Maiestas Vestra longissimis literis Cesari et sibi explicauerit, et quod mens et uoluntas Maiestatis Vestre sit ut ego in Curia Cesaris iuxta Consuetudinem aliorum qui illuc a Principibus destinati Dominorum suorum negotia pro mutua Amicitia et Confederatione apud Cesarem gerunt et procurant, morer et resideam Resque Maiestatis Vestre pro maiori inite pacis et vnionis Conseruatione agere et tractare valeam, Idcirco me suam Illustrem Dominationem summopere rogare ut mihi omni Fauore Auxilio et Consilio Adesse et demum ita agere uelit ac Res et Negotia Regia tali modo dirigere et promouere ut Maiestas Vestra optatum et expeditum super singulis petitis literarum suarum responsum ac finem assequi ualeat, sicut eum indubie facturum esse Maiestas Vestra confidit, et erga eum re ipsa compensare et recognoscere uult, Ad hec ille, Cum ego, inquit, seruus sim non possum maiora quam seruo liceat polliceri, Si petita honesta fuerint, faciam quod potero, Sed Nescio quamobrem Rex Ferdinandus interea dum uos huc misit sub pretextu Amicitie, suos ad oppugnandum Solinum locum Domini mei contra rationes pacis miserit, quod si uos negare uelletis Cesar captiuos ante uestrum conspectum constituet, ut eos uideatis et audiatis que aduersus Regem vestrum testificentur, Ad hec ego respondi me de Negotio Clisse preter id quod in Maiestatis Vestre literis contineretur nihil scire, nec credere Solinum iussu Maiestatis Vestre oppugnatum fuisse, Quod si etiam cum voluntate Maiestatis Vestre factum esset non

tamen per hoc conditiones pacis fractas aut diminutas esse, si Maiestas Vestra suam Arcem Clissam a tam angusta obsidione (qua per famem breui obsessi ad Deditionem compelli poterant) liberari iusserit, de quo tamen (ut antea dixi) nihil scirem quod diu antea quam hec facta sint ex Curia Maiestatis Vestre discesserim, Tum Dominus Ayas respondit Cesarem coactum fuisse Solinum sub Clissa edificare ut excursiones et latrocinia (quibus milites Maiestatis Vestre ex Clissa contra tenorem pacis Subditis Cesaris magna damna intulerunt) prohiberet, quamuis Clissam non Maiestati Vestre sed Pontifici (qui se illius Arcis dominum profitebatur) nuper per Cesaris homines ademptam fuisse existimaret, illamque Arcem Ludouicum Gritti antea tenuisse et postea per Petrum Crusitz per insidias occupatam et Pontifici datam atque in eius potestate usque ad expugnationis diem fuisse, Quod cum ego negarem et me contrarium tam per literas Maiestatis Vestre (que veritatem ita peculiarem et innatam haberet ut aliquid ficti uel falsi excogitare nedum scribere non posset) quam alijs rationibus probaturum promitterem Dictus Ayas sermonem alio trahens dixit in Capitulationibus Pacis inter Cesarem et Maiestatem Vestram facte hoc quoque contineri, quod vtraque Pars vtriusque Partis Rebelles ad se venientes puniret, aut a se repelleret, uel non admitteret, quod tamen a Maiestate Vestra neglectum fuisset in Episcopo Zagabrie, qui Cesare in Persia existente, ab eo ad Maiestatem Vestram defecisset, Deinde in Comite de Serino qui tributum quod antea pendebat nunc dare recusat, Item in Defuncti Dispoti successoribus, qui inpune ad omnes partes declinarunt, Preterea etiam in Capianferentz qui tamdiu atque indies magis que uult latrocinia ac cedes inpune committit, De quibus omnibus Oratores Maiestatis Vestre satis diligenter admonitos fuisse et Cesarem per vltimum Oratorem Berzizium Maiestati Vestre ad respondendum his et alijs obiectis trium mensium spatium dedisse et nullum adhuc Responsum accepisse, Idcirco si ego aliquid haberem quo dictas querellas diluere uellem se libenter auditurum. Ad hec ego respondi, me de illis Capitulationibus supra a sua Illustri Dominatione commemoratis nihil posse Affirmare aut negare quod eas non uiderim, sed hoc scire Maiestatem Vestram esse ita cupidam seruandi perpetuo semel initam Pacem quod illa in tolerandis hucusque tot iniurijs, tam a Comite Scepusiensi quam ab hominibus Cesaris, obaudiendisque fidelium Subditorum querellis ac Precibus, iam prope vnicum Patientie exemplum prestiterit. Quam Patientiam Dictus Scepusiensis multitudine ac grauitate Iniuriarum tam sepe oppugnauit et nunc demum illa Proditione (qua nuper Cassouiam tem-

pore Induciarum per insidias occupauit) ita Maiestatis Vestre Animum commouit, ut eadem Maiestas Vestra tantum facinus citra Indignitatem et maximum fidelium subditorum Periculum et Damnum diutius inultum relinquere non possit, non tamen intendens per hoc Conditiones Pacis cum sua Magnitudine facte uel in minima parte violare. Ad ea vero que Illustris Dominatio sua de Episcopo Zagabriensi et alijs obijceret me non posse certum ac determinatum responsum dare, quod de illis nullam haberem Informationem aut Commissionem, sed credere Maiestatem Vestram non propterea esse culpandam, si Subditum suum Episcopum Zagabriensem ultro redeuntem ac veniam petentem in graciam receperit, Idem de Comite Serini et alijs iudicare, me tamen de his atque alijs huiusmodi obiectis Maiestatem Vestram certiorem facturum, et quod responsi acciperem Cesari ac sue Dominationi declaraturum, Interea nihil aliud agere aut contendere quam ut per ipsius medium quamprimum a Cesare Audientiam deinde citum ac bonum responsum super singula Maiestatis Vestre petita obtineam. Quod si eius Auxilio et Fauore (ut sperarem et Maiestas Vestra in eum confideret) consequi possem ipsum gratum ac memorem Regem cogniturum. Illo itaque utrumque se curaturum pollicente discessi. XV^{ta} Die eiusdem Mensis venerunt ad me mane Dominus Ionus Beg Prefectus Chiausiorum et vnus Camerarius Cesaris dicentes se missos ut me ad Cesarem conducerent. Postquam cum illis Aulam intraui (ubi magna omnis generis Aulicorum Multitudo conuenerat) ductus fui in locum ornatissimum in quo tres Basse Primarij Consiliarij, Supremus Cancellarius, Duo Supremi Iudices (quos Kadi uocant) et Barbarossa considebant, qui omnes pro honore Maiestatis Vestre ex loco surgentes me perhumaniter exceperunt. Post solitas salutationum ac sessionum Cerimonias, Ayas Bassa Presentibus supradictis Proceribus me his uerbis, submissiori tamen voce, allocutus est, Ego heri literas Regias ad me scriptas Cesari prelegi, ac de verbo ad verbum declaraui, sed in illis Rex vester Ferdinandus parum honesta petere videtur, Tum ego (illo nihil preterea dicente) Respondi, Si Aliquem sua indebite sibi per vim ac hostiliter ablata Amicabiliter ac Reuerenter repetere sue Illustri Dominationi parum honestum videretur, Petita Maiestatis Vestre posse quidem parum honesta uideri, sed non inhonesta esse, Fieri enim non posse ut eadem Maiestas Vestra (que nunquam ab hostibus inhonesta petijsset) ab Amantissimo Patre suo ac coniunctissimo et confederato Amico (quem ex Animo diligit et sanctissime obseruat) inhonesta aut indebita peteret, Quod autem sibi dicte petitiones prima facie minus honeste uide-

rentur, non ex Illustris Dominationis (quam Prudentissimam et Integerrimam esse intelligerem) Iudicio, sed Comitis Scepusiensis aliorumque Maiestatis Vestre Inuidorum falsis Relationibus (quas fucatis rationibus colorantes et Cesarem et suam Illustrem Dominationem in suam sententiam trahere conantur) procedere, me tamen bonam spem habere suam Illustrem Dominationem (cognita causa lectisque Regijs ad Cesarem literis) huiusmodi maleuolorum figmentis locum non daturam, et presentem de Maiestate Vestra opinionem mutaturam. Tum Ille non ego, inquit, ex me ipso hoc uobis dixi sed iussu ac nomine Cesaris, cui mirum uidetur, Regem Ferdinandum suam terram appellare illam, quam ipse Cesar ex gratia et voluntate Dei, Bello captam suam esse Arbitratur, Immo idem Cesar non intelligit quo Iure Rex Ferdinandus Vngariam suam esse existimet, Ad ea respondens dixi, Si crederem Cesarem aut Illustrem Dominationem vestram Ius Serenissimi Regis mei quod in Vngariam habet ignorare, libenter que scirem explicarem, Verum cum hec toties disputationibus reuoluta et cognita fuerint, eorum repetitio ac Mentio superflua ac inutilis uidetur, Nam proculdubio tam Cesar quam vestra Illustris Dominatio sepe intellexerunt Serenissimum Regem meum filiam Regis Ladislai in vxorem hoc pacto et conditione duxisse, ut (Rege Ludouico sine liberis Decedente) ipse in Regni Vngarie Imperium succederet, Tum Ayas hoc bene, inquit, staret si Rex Ludouicus sua Naturali morte Domi Defunctus esset, Verum cum a Cesare victus et interfectus Regnumque captum fuerit, Regem vestrum Ius suum Amisisse arbitramur. Ego respondi Maiestatem Vestram Ius quidem suum non Amisisse, sed partem Regni (ob solum respectum et intuitu Cesaris pro maiori conseruatione pacis et publice tranquilitatis) non tenere, Quam partem cum gratia et voluntate Cesaris Maiestatem vestram recuperaturam sperarem, quia ut rationabile, ita etiam verissimile esset, quod tandem Cesar (cognita constanti fide ac probitate Maiestatis Vestre et comperta Comitis Scepusiensis Nequitia) ex sua prudentia sibi conuenientius et gloriosius fore iudicabit, ut optimum Regem ac obsequentissimum filium, qui nunquam datam fidem fregit, Regnum Vngarie possidere permittat, quam Scepusiensem, qui raro aut nunquam fidem seruauit, et famam perniciose uiuendo perdidit, Quem si Cesar et sua Illustris Dominatio ita ut ego cognoscerent, illum non diu in Vita, nedum in Regno (eiusdem Cesaris permissione) fore permansurum, Tum Ayas Ille, inquit, Iohannes Seruus Cesaris est et potest pro nutu castigari, Ego respondi Seruum quidem esse posse, sed Inobedientem ac Rebellem, quod si Cesar certius cognoscere uellet,

illum aduocaret, si veniret, me Oratoris priuilegio priuari ac ut mendax et leuis puniri uelle, quia scirem rationabile non esse, ut ille ad Cesarem (tam maculata conscientia) uenire auderet, contra quem tot suplicio digna facinora admisisset, et quottidie suis practicis magis admittere studeret, Ad hec Ayas quia vos, inquit, verum et bene dicitis, ideo ille merito castigandus erit, sed debito tempore, quia Vulpes non omni tempore ut cetera animalia facile capiuntur. Hoc Sermone habito, Mensa Argentea rotunda parata fuit, in qua tres Basse et ego satis laute pransi sumus, Inter prandendum varia ac iocosa colloquia habita sunt, que nunc recensere tam longum quam superfluum uidetur. Prandio peracto tres Basse me ad Cesarem duxerunt. Ad quem ut veni, post manuum oscula ei literas Maiestatis Vestre qua decet reuerentia exhibui, et post salutationem precatus sum nomine Maiestatis Vestre sanitatem ac prosperitatem, Deinde suam Magnitudinem rogaui ut dictas literas sibi interpretari facere, interpretatasque benignis Auribus intelligere non grauaretur, eisque bene intellectis ad singula petita Maiestatis Vestre in eisdem contenta bonum et expeditum responsum sine mora uel oretenus uel in scriptis mihi dare dignaretur. Cesar (acceptis serioso ac composito vultu literis) interrogauit numquid aliud ore exponendum haberem, Ego respondi me in presentia preter id quod in literis contineretur nihil habere, Tum Cesar se literas uisurum ac breui responsurum affirmans, Benigno Vultu me dimisit. XXII^{a} Die eiusdem cum ipse exire non possem, nemoque preter Custodes et Aulicos aliquid petentes intromitteretur, scripsi Scedulam ad Dominum Ionus Beg eumque rogaui, ut mihi Audientiam apud Dominum Ayas procuraret, Ille se in crastinum ad me venturum renunciauit, Posteaquam per .iiij. dies me in expectatione suspensum retinuit, se per nunctium, quod ad me, ut promiserat, non ueniret, excusauit, et Dominum Ayas me .xxviij. mensis auditurum indicauit, Vbi ea dies venit, et nemo me ad Ayas uocaret, Alio ingenio Audientiam obtinendam esse putaui, Vocato itaque Chiaus Custode (cui pauloante meliorem ex meis equis petenti non denegaueram) ita cum eo egi quod mihi Audientiam sequenti die procuraturum recepit. Dum hec cum eo ago interuenit Alter Chiaus missus a Cesare cum Munere solito Abitionis, Qua nouitate commotus (quod Maiestatis Vestre petitionem de mea in Curia Cesaris Residentia inanem fore uidebam) cogitaui quid mihi potissimum in ea re agendum esset, Inter meditandum suprauenit Dominus Ionus Beg, qui (post longam sue Absentie excusationem) dixit se in crastinum me ducturum ad osculandum manus Cesaris qui Maiestatis Vestre literis respondere et me

cum responso ad Maiestatem Vestram remittere decreuerit. Ego respondi sine periculo capitis mei non posse ex Curia Cesaris discedere quod in commissione mea expresse continetur non debere me Antea ex Curia Cesaris recedere quam per literas Maiestatis Vestre reuocatus fuero, ideo me extrema potius pati uelle quam Mandatum Maiestatis Vestre preterire, Tum Ille Cesar, inquit, ex literis heri Allatis accepit Regem Ferdinandum mittere exercitum in Vngariam et Katzianer cum alio exercitu esse in confinibus, que res eum subiratum redidit, Tamen potestis cras hec et alia uobis commissa coram exponere sue Maiestati que fortassis hanc deliberationem dimittendi uos ira cessante mutabit, Quod si tantum bellum cum fratre Serenissimi Regis Ferdinandi non haberet omnia facilius impetrarentur, quia Cesar Dominum vestrum valde Amat, Vtinam fratrem Regem Hispanię ita amaret, et cum eo pacem haberet, ut aliquando Respublica quiesceret, Ego respondi hoc vnicum Cesari Turcarum ad Monarchiam Orientis obtinendam obstare, Tum Ionus Beg quare igitur, inquit, Rex Hispanię non petit a Cesare pacem, fortassis non secus atque frater fecit, quod uellet, impetraret, Ego subridens respondi Idem posse Regem Hispanie de Cesare Turcharum dicere, Tum Ionus non Cesar sed ego ex me ipso per modum loquendi hoc dico nec uellem Cesarem hunc meum sermonem intelligere, non enim opus esset ipsum Regem statim pacem petere sed posset tacite per tertiam personam Aliquam Animum suum Cesari declarare, Tum ego operam Maiestatis Vestre in ea re obtuli, sed ille nihil ad meam oblationem respondens paulopost abijt. Sequenti Die mane ab omnibus Chiausijs comitatus Aulam uocatus intraui, et Dominum Ayas Bassa in priori Audientie loco presentibus .ij. alijs Bassis conueni, atque eadem que cum Ionus Beg de mea in Curia Cesaris Residentia egi, cum eo locutus sum, Deinde eum rogaui ut non solum iuxta suam oblationem (qua se quod posset facturum promiserat) apud Cesarem pro bono et optato responso intercedere uellet, sed etiam ut Clissa aliaque Castra tam in Sclauonia quam in alijs locis Captiui ac bona indebite ablata per Cesaris homines, ut contra tenorem pacis occupata, restituantur, serioseque Prefectis in confinibus mandetur, ut deinceps ab iniuria abstineant, ac in pace uiuant, realiter efficere. Ad hec Ayas Bassa Pacem, inquit, quam Cesar cum Rege suscepit nullus adhuc Cesaris minister fregit aut franget, sed castra occupata non ad Germaniam, sed ad Regnum Vngarie, quod Cesaris est, pertinent, nec vnquam comperietis in pacis conditionibus Vngariam contineri, Ego respondi, in omnibus tractatibus concluse pacis comprehensa fuisse omnia et

singula Regna et Dominia Maiestatis Vestre nullo penitus excepto, nec vnquam Maiestatem Vestram credidisse, quod Cesar super Regno Vngarie aut Sclauonie moturus esset dubium, Tum Ayas que mihi, inquit, nunc credere non vultis iam ex Cesaris ore audietis, De vestra mansione etiam cum Cesare agetis, Quod sua Magnitudo deliberauerit, id fieri oportebit, Finito prandio fui ad Cesarem per .iij. Bassas introductus, Vbi eius Manus osculatus essem et pro Munere gratias egissem, rogaui ut supra literas Maiestatis Vestre gratiosum Responsum (quod ego per proprium hominem cum sue Magnitudinis voluntate Maiestati Vestre quam celerrime mittere vellem) dare ac suis in confinibus, ut Castra Captiuos ac bona contra tenorem pacis indebite ablata restituant, seriose committere, Oratoremque, ut promiserat, ad Maiestatem Vestram mittere dignaretur. Ad hec Cesar respondens, Aijt, est ne hoc paci facte conueniens, quod Rex dum uos pro firmanda pace mittit, ipse primus pacem frangat? Ego his uerbis respondi Si Serenissimus Rex meus in vllo pacem frangere uoluisset id tunc commode et non mediocri lucro facere potuisset quando superiori tempore Magnitudo vestra a Constantinopoli et prouincijs suis profecta longissimo ac durissimo Bello cum Sophi inuoluta et inplicita fuit, tunc enim Maiestatem suam licuisset rem suam quam oportunissime agere, Sed quia voluntas et mens Maiestatis sue non alia fuit neque est quam ut ad ea omnia que ad conseruationem et Augumentum contracte Amicitie constituteque pacis et vnionis pertinebant totis viribus incumberet, ideo me ad Magnitudinem vestram expediuit, ut ipsam de tot iniurijs ac Damnis tam a Magnitudinis vestre hominibus, quam a Comite Scepusiensi sue Maiestatis subditis preter omnem causam et pacis tenorem illatis incredibilique patientia a sua Maiestate intuitu Magnitudinis vestre hactenus toleratis, informarem, Atque ad ea suam Maiestatem uel per se uel per suos nullam quouis modo causam dedisse aut in Aliquo eos prouocasse demonstrarem. Cesar respondit, quid igitur sibi vult exercitus in Vngariam missus? quid Katzianer cum exercitu in confinibus facit? Ego Respondi Si Serenissimus Rex meus Aliquem Motum in Vngaria uel Alibi facit, id non contra Magnitudinem vestram (ut sua Maiestas in literis protestata est et ego Ample Illustri Domino Ayas presenti exposui) sed defensionis et tuendi fines causa contra Scepusiensem facere cogitur, quoad per Magnitudinem vestram Prouisio aliqua fiat qua deinceps et Magnitudinis vestre homines in confinibus et Scepusiensis ab iniuria abstinere cogantur, Tum Cesar nec nostri homines, inquit, nec Iohannis Regi iniuriam faciunt, si nostro iussu que ad nostrum Regnum spectant

recuperare intendunt, et qui contra Iohannem Seruum nostrum (cui fidem semel datam frangere non intendimus) Bellum gerit, nobiscum gerit, Sed si Regnum aut per mortem Iohannis aut alio quouis casu vacaret tum fortassis Rex si Deus vellet intentum suum facile consequi posset, Hoc ei cum ad ipsum veneritis nomine nostro exponetis, Ad eius literas etiam Responsum per nostras literas dedimus, quas uos ad eum deferetis. Ego respondi me non posse (ut supra dixi) discedere nisi per literas Maiestatis Vestre essem reuocatus. Cesar respondit, nos ideo uolumus uos redire, ut ea que a nobis in hoc Negotio percepistis, Regi vestro coram exponere et eum (ut factam nobiscum pacem ita bene ut nos seruare intendimus seruare diligenter studeat) hortari possitis, Tunc me plura de Residentia supplicare conante a Ionus Beg prohibitus fui de ea re vlteriorem Mentionem facere, Postea iterum (quod ad illud adhuc non responderat) rogaui ut proprium Oratorem illum mittere ut promiserat ad Maiestatem Vestram uellet. Cesar respondit Faciemus, Interea quia nos breui uersus partes vestras sumus profecturi, si Rex uos vel alium aliquem Oratorem ad nos mittere uelit, poterit hoc commode, nobis vicinis existentibus, facere. Hoc responso a Cesare accepto dimissus fui, In exeundo Aulam dixi Domino Ionus Beg me non credere, quod Cesar aliquid crudele de me statueret si hic iuxta preceptum Serenissimi Regis sue Maiestatis literas Reuocatorias expectarem, Ionus Beg respondit Cesar quidem fortassis nihil crudele de persona vestra statueret, sed Rex Ferdinandus frustra Cesaris Responsum et vestras literas expectaret, cum vos in Custodia ut moris est deteneremini, que res post Discessum Cesaris ex Constantinopoli uobis grauis et periculosa foret, Ideo meo consilio quod fidele est non manebitis, His Auditis de duobus malis minus eligendum et potius discedendum quam cum Maiestatis Vestre damno et meo periculo manendum putaui, Sed anteaquam recederem Cesaris ac suorum Animum melius explorandum esse duxi. Itaque sequenti Die Mane Meo Custode permittente ad Domum Domini Ayas equitaui. Vbi ad eum veni, Dixi, Postquam Cesar me ad Maiestatem Vestram redire jussisset, noluisse discedere insalutata sua Illustri Dominatione, cui eadem omnia que antea nomine Maiestatis Vestre obtulissem, adhuc offerrem, si ea, que Maiestas Vestra ut honestissima in literis petijsset, et ego eiusdem nomine coram postulassem, a Cesare impetraret, sua Authoritate ut posset, Cuius promissionis pignus, si uellet, apud se retinere, efficeret, quod Cesar me in sue Magnitudinis Curia secundum aliorum Oratorum Consuetudinem residere pateretur, me enim hinc, si hoc faceret, antea non discessu-

rum, quam omnia que nomine Maiestatis Vestre promitterem adimpleta essent, et meam personam (qua nihil mihi charius esset) pro Regie fidei pignore positurum, Tum Ayas quamuis, inquit, hec que petijstis huiusmodi sint ut sperandum non sit Cesarem a suo proposito recessurum, et quamuis Responsum ad literas Regis scriptum et expeditum sit, tamen ego in vestram complacentiam ad primam diem Audientie libenter de vestra Residentia adhuc semel cum Cesare agam, et ei vestram Amplam Oblationem exponam, nam cum vos ex suo ore prudentem hominem iudicauerit, et propterea cum nullo unquam antea Oratore diutius quam uobiscum locutus sit, fortassis intellecta uestra instantia et oblatione, uos manere concedet, interea poteritis, si placet, Vrbis et Classis perlustratione Animum recreare, et postea accepto a Cesare hoc vltimo Responso ad propria redire, et cum veneritis ad vestrum Regem, eum nomine meo salutabitis, et dicetis quia ego Audio eum esse bonum Principem, ideo ipsum hortor ut id quod semel cepit fortiter manibus teneat, et sua culpa elabi non patiatur, et quod nunc propter Cesaris fidem Alteri semel datam obtinere non potest, se breui cumulatius consecuturum speret, Tum Ionus Beg tanquam ex se ipso, Ayas nihil dicente, Fortassis, inquit, Cesar statim Iohannem veneno necare faciet, et postea Regnum Regi uestro pre omnibus alijs dabit. Ego ad ea nihil respondens paulopost cum conclusione expectandi aliud a Cesare responsum abij. Post prandium ductus fui per Vrbem et ad Peram in qua habitant Christiani, vbi Monasterium Sancti Francisci intraui, multi mercatores alijque diuersarum Nationum Christiani ad me venerunt, sed cum conuersatio non careret suspicione et temporis angustia adstantiumque multitudo non paterentur me seorsum confidenter aliquem colloqui, constitui sequenti die, cum licentia custodis, in Monasterio prandere, quod cum permisisset, Primates illius loci, partim uocati, partim sua sponte, sub varijs pretextibus, a prandio ad me uenerunt. Custode itaque somno (quem in prandio ex maluatico mea opera contraxerat) sepulto, sequentia a fide dignioribus exploraui

Cesarem Turcarum a Rege Francie multis rationibus in Belli societatem fedusque contra Cesaream Maiestatem sollicitatum Oratori respondisse, quomodo ego Regi vestro confidere possum cum semper se Christiane Religionis Defensorem professus sit, Oratore iccirco plura ac maiora quam Rex prestare potuisset pollicente, tandem post multos tractatus Túrcam Belli societatem et fœdus ea conditione cum Rege inijsse ut vnum de Liberis, quos antea inuitus Hosti Obsides dedisset, nunc ultro sibi Amico et confederato daret, quod

cum Rex se facturum promisisset, disputari nunc an securius clam sub priuata persona, uel palam classe mari Regulus mitti possit

Sophi generalem expeditionem in discessum Turce ex Constantinopoli uersus Occidentem differre, interea tamen crebris Incursionibus et populationibus Primogenito ita molestum esse, quod ipse Cesar vnicum hominem in expeditionem contra Cesaream Maiestatem ex Natalia euocare ausus non sit, immo nec ipsum Turcam eadem de causa non longe a Constantinopoli recessurum

Vslam Imperatorem Tartarorum in Aula Cesaris Turcarum fratrem Minorem natu nuper habuisse, cui Turca se per occasionem Regnum fratris daturum promiserat, de qua re posteaquam Vslam, per fratris seruitorem, admonitus fuisset, intimiorem ex suis consiliarijs sub pretextu confirmandi antea initam pacem, ad speculandos Actus Turce legatum misisse, eique occulta Mandata dedisse, ut quanto posset citius fratrem emulum Imperij, in conuiuio veneno necaret. Quod cum legatus quatriduo perfecisset, tam repentine mortis culpam in eum reiectam esse, factique veritate, a seruitore per tormenta extorsa, legatum omnesque suos in vincula coniectos, eorumque Bona in publico vendita fuisse. Ob eam causam Vslam se nunc apertum Turce hostem profiteri, et Bellum contra eum parare Turcamque illum maxime omnium timere

Vayuodam Vallachie se Tartaro adiunxisse ex hoc elici posse, quod nuper .1000. equos vectorios Cesari Turcarum preter suam consuetudinem denegauerit, dicens se illis pro defensione prouincie sue indigere

His rebus fieri, ut Cesarem Turcarum, qui se pauloante non tam potentia quam rerum feliciter gestarum fama Orbi terrori esse cognoscens, non minus omnes timebat quam ab omnibus timebatur, nunc Amissis amicis, amissoque tot expeditionibus, militum Robore, tantus pauor inuaserit, ut dum ficto animo, omnibus minatur, ipse incertus vagusque agitetur, nec illi res ulla, aut consilium, aut quisquam hominum satis placeat, et quamuis excidium pre oculis cernenti Ratio tempori cedendum esse suadeat, tamen Ambitione et regnandi Cupiditate corruptum Animum pronum precipitari

Subditos Turce nouis indies exactionibus oppressos iam non clam conqueri sed palam desperatos hoc iugum diutius non ferendum esse predicare

Classem Turce, quam ego etiam uidi, esse quidem vasis numerosam sed ignauia inexperientia et pauiditate militantium inualidam omninoque a .50. nostris Triremibus contemnendam

Cesarem Turcarum Robur sue militie, quod longe minus fama omnes esse affirmant, in confinibus Persie contra Sophi habere, ceterum in omnibus alijs prouincijs simul non superesse .20000. equitum qui cum totidem Christianis congredi auderent

Hec, cum his que ego uidi et audiui simillima essent, non solum auide ac libenter intellexi, sed etiam (ignarus future mee detentionis) tacitus mecum gaudebam, me non tam iussu Cesaris Turcarum Maiestati Vestre responsum quam voluntate diuina gloriose de Turcis victorie nunctium Cesareę ac Vestre Maiestati allaturum, nam cognitis ex mea relatione hostium viribus, Actibus ac consilijs victoriam maturari posse non dubitabam. Cum itaque pro uiribus meis omnia scitu digna in Numero, Substantia, et tempore explorassem, ac ipse mari ac terra perlustrassem, item Conradum Pangartner hominem industrium, in Germaniam redire uolentem, ut in Pera maneret et de singulis sub meo nomine ad Maiestatem Vestram perscriberet induxissem, Ionus Beg 8. Maij ad me cum literis Cesaris responsorijs veniens dixit, Cesarem in hoc proposito persistere ut ipse quanto possem celerius responsum ad Maiestatem Vestram perferrem, nec esse opus amplius me aut Cesarem aut Ayas Bassa adire, sed posse me pro arbitrio cum libuerit discedere, seque me rogare ut eum apud Maiestatem Vestram commendatum habere et pensionem suam per Senatum Ragusanum sibi responderi curare uelim, atque Maiestatem Vestram, ut Regnum Vngarie breui suum futurum esse (Iohanne e medio ablato) ut etiam Comiti Nogarole Venetijs dixerit, confidat, admonere, quod cum me facturum dixissem, eumque multis uerbis ut eadem fide ac diligentia Negotia Maiestatis Vestre ut hactenus fecisset futuris temporibus iuuare et promouere uellet, illeque se quod semel iurasset obseruaturum reciperet, ego postulaui, ut mihi per securiorem et breuiorem uiam liceret ad Maiestatem Vestram redire, scilicet per Vngariam aut Ragusium. Ille respondit iam literas ad Sangiacum Bosnensem expeditas et conductori meo traditas esse, tamen si uellem se Negotium Cesari expositurum. Ego hoc audiens sequenti die discessi. Cumque .iij^{a}. Iunij in Bosnam venissem petij ab Locumtenente Sangiaci, ut me sine mora ad confinia faceret conducere. Ille respondit me oportere Aduentum Sangiaci in Bosnam expectare, quod si credere nollem me posse ad Sangiacum scribere, quod cum euestigio per proprium Nuntium facturus essem, Locumtenens dixit non opus esse me Nuntium mittere, cum ipse eodem momento Cursorem ad Sangiacum missurus esset, cui ego literas ad Sangiacum dedi, Paulopost uenit ad hospitium meum quidam Georgius

Walter qui nuper sub Clissa captus fuit, Is cum a meis me adire prohiberetur, quia itinere lassatus decumbebam, dixit se ardua que moram non paterentur mecum uelle communicare, de quo admonitus iussi eum intromitti, Vbi mecum fuit cepit longo ordine narrare quo modo sub Clissa in seruitio Vestre Maiestatis a Morat Wayuoda (sine cuius scitu consilio et voluntate Sangiacus Bosnensis nihil ardui agit) captus et Constantinopolim ductus ac postea in Bosnam reductus fuerit, Deinde dixit se intimam Amicitiam contraxisse cum intimo Morati Vayuode familiari, qui ei dixerit Memoratum Morat .xv. Maij cuidam stipendiato in Segna ducentos ducatos et vestem sericeam ideo donasse, quod ille nescio cuius Ciuis et Capitanei nomine in fine mensis Iulij Segne Deditionem Morato promiserit, Ipsum Morat .42. exploratores in prouincijs Maiestatis Vestre habere, quorum septem Nomina presentibus inclusa mitto, Item Morat in Animo habere in reductione Oratoris Regij Crup per insidias intercipere, incursionem facere, et ipsum Oratorem, cum scitu Sangiaci, sub alieno nomine, quod Turciam sine Muneribus intrauit, depredari, Sangiacumque me sine Cesaris scitu et commissione me in Bosna sub pretextu fidelis officij consulto ac maligno Animo retinuisse, Hec quamquam incredibilia mihi uiderentur, tamen ea cum periculo Maiestatis Vestre ac meo, non contemnenda putaui, Itaque Waltero dixi, Posteaquam ei libere ac inpune in oppido cum Christianis conuersari liceret, si aliquem fidum ac idoneum Nuntium reperiret, qui meas literas tuto ad Maiestatem Vestram perferret, me eius captiuitatem pretio redempturum. Illo se quod posset facturum pollicente, ego meo expenditori (quem solum pro emendis necessarijs Locumtenens domum exire patiebatur) ut idem conaretur, commisi, Cum vterque nihil inuestigando proficeret, neque ego ex omni familia cui confidere possem, preter unum cuius presentia carere non poteram, haberem, ad stratagema aliquod excogitandum Animum conuerti, Verum Anteaquam noua consilia caperem, responsum ab Ayas Bassa, Ionus Beg, et Sangiaco Bosnense, quibus de mea retentione que oportebat scripseram, expectare decreui, Triduo post cum iam cenaturus discumberem, superuenit Locumtenens Barbaro quodam impetu, clamans me oportere in aliud hospitium migrare, Ego hominis insolentiam forti Animo dissimulans, eum iussi discumbere et rogaui ut sequenti die, quod iam nox erat, hospitium mihi mutare liceret, Quod cum ille negasset, a cena in crespusculo noctis aliud hospitium sordidum fetidum omninoque pestiferum, sed altioribus muris quam primum conclusum, intrare coactus sum, Tum primum cepi ea que a Waltero acceperam credere,

Sequenti Die per meum expenditorem Locumtenenti nuntiaui, Maiestatem Vestram me ante .9. Menses ad Cesarem Turcarum expediuisse et sufficientem pecuniam pro impensis mihi dari fecisse, verum cum tam diu Labaci graui impensa Saluumconductum expectarem, Maiestatem Vestram pro maiori cautella patentes literas pro .5oo. ducatis in Necessitate mutuo Accipiendis misisse, quibus literis non indiguissem, si ipse me iuxta Cesaris commissionem, prima die qua in Bosnam veni, ad Maiestatem Vestram redire permisisset, Verum cum me nescio cuius iussu aut Authoritate retinuisset, postulare ut vigore illarum literarum mihi a christianis mercatoribus .3oo. ducatos mutuo dari curaret. Ille mercatores ad se uocauit, et illis coram meo expenditore si vellent ut pecuniam mutuo darent concessit, postea in occulto magnis minis ne darent deterruit, de quo ego certior factus, meas vestes atque alias quas Cesar mihi donauerat partim inpignorandas partim venales exposui. Quod Locumtenens Audiens palam ne quis res Oratoris emere aut vendere aut omnino cum suis commertium habere presumeret, mandauit, De quo ego Admonitus, Duos Seruitores ad eum misi qui eius rei causam inuestigarent. Locumtenens respondit se Oratoris commodi causa id fecisse, ne si illi quibus vestes aut alia venalia crederentur aufugerent, aut alio modo Oratorem defraudarent, Orator detrimentum acciperet, et sibi eius rei culpa adscriberetur, Quam excusationem cum mei tamquam stultam ac ineptam non probarent, sed nullum unquam Regium Oratorem tam notabili iniuria in Turcia affectum fuisse, meo iussu conquererentur, Ille nec isti inquit Oratori tanta Necessitas contingeret, si ipse ut alij cum honore in Turciam venisset nec nostrum Cesarem Bassam ac nos omnes contempsisset, Interrogantibus meis qua in re ego Cesarem contempsissem, extra propositum respondit, ego Mandatum reuocabo, videat ipse Orator cui res suas credat. Cum ego igitur Locumtenentis Tirannidem, Stultitiam, uel ut verius dicam Amentiam nec rationibus, nec Muneribus, nec Minis leniri posse cognoscerem, illumque literas quas ad Ayas Bassa Ionus Beg scripseram retinuisse, a Chiaus qui me ex Constantinopoli in Bosnam conduxit, compertum haberem, neque ad tot literas ab Sangiaco Bosnense responsum ullum acciperem, ac nunquam ab Locumtenente ut Nuntium uel Seruitorem ad Cesarem, Bassam, aut pro pecunijs ad Maiestatem Vestram mittere mihi permitteret, impetrare potuissem, intelligeremque Locumtenentem ea omnia iussu Sangiaci Auarissimi in Despectum Maiestatis Vestre facere, nesciens quo me uerterem aut quid in tanta Locumtenentis perfidia et temporum calamitate omni Auxilio ac spe destitu-

tus, agere deberem, Ardensque in primis cupiditate incredibili Maiestati Vestre statum rerum Turcicarum pro certiori victoria indicandi, Occultum discessum Meditari incepi. Verum ab eo facto tria me precipue deterrebant. Primo, facti Difficultas, et periculum, Secundo quod Locumtenentem meę Abitionis Vindictam de meis Seruitoribus sumpturum timebam, Tertio quod citra Indignitatem clam abire non posse uidebar. Ratione igitur simul ac Studio Maiestati Vestre seruiendi diu cum Necessitate contendentibus, tandem Ratio Necessitati cessit, Itaque .xiiij. Iulij Relicta Suppelectile Negotioque apud meos, Noua Inuentione, dissimulato, comparatis Turcicis vestimentis rasa Barba ac Tonso Capite Noctu per Murum cum Interprete egressus biduo incognitus feliciter processi. Cum .ij. horarum Itinere a Mari Abessemus, occurrit nobis in Angusta Via, nescio quo fato, Inquisitor Mercatorum vectigal Cesareum defraudantium. Is pro consuetudine officij sui uolens sacculum, quem interpres ferebat, uidere, inuenit in eo literas Cesaris Turcarum ad Maiestatem Vestram directiuas, nesciensque Interpres pre Timore quid ad interrogata (quamuis antea a me instructus esset) respondere deberet, se ac me suspectos fecit. Vterque igitur in proximum Oppidum ad Iudicem ducti et post examen ea Nocte diligenter custoditi, et sequenti die honorifice in Bosnam reducti fuimus. Locumtenens cognito meo Discessu ignarusque quod pridie captus fuissem, timens suplicium, Aufugere decreuit, sed soceri sui suasu, Discessum distulit, atque ad multas partes cursores qui me quererent et item Nuntium ad Sangiacum de meo discessu expediuit, familiaresque meos catenis vinxit, dumque duos ex illis ut me proderent torqueret, intellexit de meo reditu, Solutis itaque ex catenis Seruitoribus, mihi cum magno equitatu obuiam venit, et longe honorificentius quam primo meo Aduentu in Bosnam me conduxit, Cum in hospitium venissemus interrogatus de causa tam occulte et subite Abitionis, nolui ei nisi presente Communitate respondere, Vbi omnes quos uolebam adessent, longo ac Articulato Sermone Locumtenentem meę Abitionis causam fuisse vere demonstraui, Ille mea oratione commotus primo obticuit, deinde, ut antea inique mecum egerat, ita tum inepte se excusauit, Seniores vero Turcharum qui aderant Locumtenentem quod cum periculo capitis sui Cesaris Mandatum preterijsset seorsum corrigebant, Ille se omnia iussu Sangiaci egisse illis respondit, Sangiacus vero cognito meo discessu ualde perterritus (ut postea intellexi) Morat Vayuodam ad se uocauit, atque his verbis allocutus est, Ecce Nequam, ego te in filium suscepi, et tu me in recompensam in capitis discrimen perduxisti, Legatus

Regis Ferdinandi aufugit, et familiam ac omnia in Bosna reliquit, Si Cesar causam intellexerit, quid erit de nobis, Dum utrinque Anxij et consilij capiundi cogitationibus detinerentur, superuenit Nuntius de meo Reditu, cui Sangiacus pre gaudio Vestem Auream donauit, et euestigio Capitaneum Chiausiorum, qui bis in legatione apud Maiestatem Vestram in Bohemia et Vienna fuit, ad me cum literis, quas apud me habeo, et .200. ducatis pro inpensis mihi per Locumtenentem faciendis, expediuit, Is ubi Sangiacum longo Sermone excusauit, dixit ipsum Sangiacum pro meo honore Cesari scripsisse non Oratorem ut fama erat sed unum ex suis Seruitoribus aufugisse, ideo me rogare ut interrogatus Sangiacum mendacem facere nollem, meque in Recessu a Sangiaco magna Munera et Accepti damni recompensam expectare debere, Post .x. dies Allate sunt litere Cesaris, ut suspicor ficte, quibus Sangiaco iniungebatur ut Oratorem Regium uisis presentibus tuto itinere in terram Regiam conduci curaret, Sangiacus Mustapham Vayuodam ad me misit, et se .500. instructos equites qui me saluum ad Crupam, ubi me in ingressu Turcie susceperant, conducerent, equosque ac Munera simul cum pecunia pro impensis in Itinere mihi obuiam missurum nuntiauit, Ego vero superiorum Memor, ac status presentis rationes mecum reputans, aut Maiestatis Vestre Subditis, aut mihi illo equitum numero insidias parari iudicaui, Itaque inuito atque etiam prohibente Locumtenente, cum Iudicis Auxilio, Interpretem per postas ad Sangiacum cum his Mandatis expediui, Quoniam Iter mihi a sua Dominatione propositum longum, difficile, ac propter latrones omni tempore in Kroatia existentes periculosum esset, atque ego debilis parsque familie omnino infirma esset, rogare ut aliud iter commodius et breuius iuxta aliorum Oratorum consuetudinem eligere liceret, Sangiacus pertinaciter in prioris itineris sententia perstitit, Tandem cum intelligeret me potius nuntium ad Cesarem mittere, quam illo Itinere proficisci uelle, timens fortassis Cesarem per illum Nuntium de iniurijs mihi illatis posse informari, graciose concessit, quod sine capitis periculo prohibere non potuit, statimque licentiam eligendi quod uellem iter in scriptis per unum Chiaus misit, Ego Accepta licentia, non expectans munera aut nouos conductores, ne spatium struendi nouas Insidias in mea munerum expectatione haberet, cum Vayuoda quem antea ad me miserat, Ragusium properaui, sed fortuna tot meis preteritis calamitatibus Historia dignis nondum contenta mihi in Trebigna non longe a Ragusio latrones qui me depredarentur atque personam meam vna cum familia retinerent obuiam misit, Ego vero omnia forti animo dissimu-

lans cum Dei Auxilio sequenti die in diluculo cum familia Ragusium incolumis perueni, relictis in Trebigna equis ac suppellectile, que omnia biduo post per Iudicem Castri Noui, quod sub Cesare Turcarum est, Ragusium missa ac restituta fuere, Sed si ego in Trebigna vna nocte diutius mansissem, Actum de mea meorumque salute fuisset, ita artificiosas insidias latrones mihi instruxerant, Ragusei Autem me intuitu Maiestatis Vestre honorifice exceperunt liberaliter tractarunt ac .5o. ducatorum valore donarunt, Dum ibi fui Senatus bis me visitauit et multa prolixe de Bucignola conquestus est, que cum ego ex maleuolentia magis quam quod res ita se haberet dici existimarem, honorem in primis Sacre Maiestatis Vestre ut debeo, deinde Bucignole defendere conatus sum, Cum autem literas Bucignole manu, varijs temporibus scriptas ac eius sigillo obsignatas non sine magna admiratione legissem, quibus literis multa flagitiosa facinora continentur, interrogaui Senatum cur illas literas, et alia que mihi exposuissent, pro declaratione sue Innocentie coram Maiestate Vestra, que iustissima ac clementissima Raguseęque Ciuitati Graciose affecta esset, iam diu antea non protulisset, Senatus respondit se primum ante vnum Annum illas literas .4oo. Ducatorum pretio redemisse, easque simul ac alia per proprium Nuntium Monachum Priorem Sancti Dominici Sacrę Maiestati Vestre uoluisse iam .9. mensibus elapsis declarare, nisi dictus Nuntius, opera Bucignole, conspectu Maiestatis Vestre prohibitus, ac Vienna, non ut orator sed ut explorator uel proditor aliquis cum magna Reipublice Raguseę ignominia, repente excedere iussus fuisset, Idcirco me rogantes ut Ciuitatis nomine Sacram Maiestatem Vestram humillime et suppliciter orare uellem quod eadem Maiestas Vestra pro vnius hominis falsis delationibus oculos sue clementie a tam sibi fideli et Deuota Republica auertere non velit, Vtraque parte audita, ac re bene perspecta, Maiestatem Vestram non eam opinionem de Ragusanis habituram, quam hactenus a Bucignola male informata habuerit. Ego illis ingenue respondi si tales se re exhibuissent, quales se esse erga Maiestatem in presentia uerbis profiterentur, me eis Gratiam et Clementiam Maiestatis Vestre certo promittere posse, sed me hoc pro certo scire ac diuturna experientia compertum habere, Sacram Maiestatem Vestram non ex aliorum Relatione, sed ex factis solere homines iudicare, propterea eos credere non debere Maiestatem Vestram ex Bucignole uel cuiusuis falsis delationibus moueri. Contra, Senatus multa replicauit, que ut longa sunt, ita Maiestati Vestre molesta fore et propterea pretereunda esse arbitror.

Serenissime Rex ex omnibus his que in Turcia audiui et vidi non possum satis mirari ac dolere tantam esse Reipublice Christiane Infelicitatem, ne dicam hominum Cecitatem, quod tam inbellis, sordida, effeminata, et Barbara Gens Rempublicam turbare possit, cum nullus meo iuditio tam exigue potentie Rex, qui Turcis resistere non possit, in christiano orbe sit, si ea que in eo genere intellexi et cognoui intelligeret et cognosceret. Quanto magis Sacra Maiestas Vestra que est omnium Regum suprema et potentissima id faceret, si in perpetua Pace perpetuum Bellum pre oculis haberet, et Turcis ac suis sequacibus nihil crederet. Si Maiestas Vestra superius in presenti mea Relatione Turcarum contradictoria et sicca ut ita dicam Responsa diligenter obseruauerit, deinceps non oratores ad irrisionem, sed exercitus ad vltionem in Turciam esse mittendos facile ex sua prudentia iudicabit. Deum testor his duobus mensibus quibus ego in Bosna fui .2000. strenui Armati non solum 7000. trepidantes Turcas fugassent sed etiam vniuersam Bosnam occupassent et exceptis castris deuastassent. Ita enim Sangiacus sola Aduentus nostrorum fama trepidabat, quod se a principio in Arcem Iayzza includere uolebat, nisi Cesaris Turcarum Mandato in confinibus manere coactus fuisset. Sed quantum omni tempore Dilatio in Bello obfuerit, et in presentia obfutura sit, et multa preterita exempla demonstrant, et presentis Belli euentus docebit. Euentum Clisse, precise ut accidit, ita ego Commissarijs Maiestatis Vestre Labaci, Anteaquam Turciam intrassem, apud me existentibus et de Clissa consulentibus futurum predixeram. Hoc cur nunc quasi extra propositum scribam, mallo Maiestatem Vestram ex sua prudentia intelligere quam ex meis literis cognoscere

Ceterum si omnia de meis successibus et molestijs tam a sordida ac inexperta mea familia perpessis, quam a Turcis acceptis, deberem in presentia scribere, non Relationem Legationis facere, sed Librum et Historiam (quam suo tempore de ea re cum Dei Auxilio per otium compositurus sum) exarare, cum non parua Maiestatis Vestre molestia ac meę valetudinis periculo, me oporteret, Expositis igitur superius magis necessarijs in nomine Domini finem scribendi facio et me Sacrę Maiestati Vestre Humillime comendo

Cum essem in Pera in Monasterio Sancti Francisci Monachus nomine Petrus de Genua mihi retulit Interpretem Oratoris Gallici Perotum mercatori secum de rerum occurentijs disputanti dixisse hec verba, Quamdiu magnus quidam vir, quem nominare nolo, apud Carolum Imperatorem viuet, non timeo Regem Gallie spoliari Regno facile posse. Hec verba mecum ponde-

rans, statim suspicatus sum illum voluisse Illustrem Dominum de Nassa innuere, quia recordabar Ayas Bassam me in prandio interrogasse, an Dominus de Nassa apud Regem Hispanie magne Authoritatis esset, sed anteaquam de Domino de Nassa mentionem faceret, astute percunctatus est qui nam essent primi consiliarij apud Regem Hispanie, et que esset causa tanti dissidij inter ipsum et Regem Gallie, Idcirco ego arbitror Regem Gallie apud Turcam gloriatum fuisse, se habere intelligentiam secretam cum aliquo magno apud Cesaream Maiestatem

Die .ij. Iulij venit per postas in Bosnam Cesaris Turcarum Chiaus nomine Kurtbeg, Is Prefecto Hospitalis dixit, se a Cesare cum literis ad Episcopum Zagabrie directiuis ad confinia missum fuisse, ubi Kroatum, quem cum literis ad Episcopum miserit, per .xiiij. dies frustra expectasset, Ideo, relicto in arce Kroati Seruo, qui aut Kroati reditum, aut responsum per aliquot dies prestolaretur, se in Bosnam reuersum, ut alium nuntium viarum peritum ad inuestigandam more causam mitteret. Hec Prefectum Hospitalis Solymano mercatori, qui in Italia diu fuit et italice expedite loquitur, indicasse, ab eodem Solymano intellexi

Georgius Walter, de quo in Relatione mentionem feci, mihi dixit literas latinas, quibus hostium consilia declarantur, sepe ex castris Domini Katzianer Sangiaco Bosnensi mitti, a quo autem mittantur se nescire quia ille suus Amicus Morati Vayuode Seruus latinum idioma ignorat

Idem Walter mihi dixit Prefectum Segne Rarissime in Segna degere et suum Locumtenentem quottidie inebriari, quod cum Turce sciant suo tempore eos talem occasionem capturos

Dominus Erasmus a Turri nuper a Clissa Rediens mihi exposuit Laurentium Canturitz a Vayuoda qui eum ceperat, fuisse gratis dimissum ea tamen conditione ut si prescripto certo tempore Turcam apud Nobilem quemdam Kroatum captiuum non redimeret ipse in Bosnam redire teneretur, Cum autem Canturitz nec captiuum Redemerit nec in Bosnam reuersus sit sed aliquamdiu in Terra Fluminis cum tribus equis graui impensa epulatus sit se Canturitz suspectum habere, et me rogare ut Sacram Maiestatem Vestram de ea re admoneam

Serenissime Rex Ego fui ante Recéssum importunus quia tanquam inexpertus cupiebam de singulis bene informari, et quamuis Instructio quam habebam mihi non satisfaceret, tamen, ne nimium curiosus uiderer, ab vlteriori instantia destiti. Verum posteaquam Cesaris Turcarum Ingenium ac

Naturam cognoui, sepe me penituit, et mecum dolui, me non magis apud Sacram Maiestatem Vestram institisse, Nam si ampliorem instructionem plenioremque ac liberam agendi facultatem habuissem, fortassis cum Dei Auxilio Vngariam cum stabili Pace confirmatam, mea opera Sacra Maiestas Vestra obtinuisset, quod ne arroganter a me indicari putare velit, eam suplex oro, et me humillime comendo.

B E I L A G E N.

I.

Schreiben König Ferdinands I. an Chosrew Beg, Sandschakbeg von Bosna.

Wien, 19. November 1536.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: **Bassæ Bosnensi Husrem Beg.**

Ferdinandus etc.

Magnifice et Præstans Vir syncere dilecte, Decreuimus in paucis diebus Oratorem quendam nostrum videlicet Nobilem fidelem nobis dilectum Franciscum Ritium, Baronem in Sprinzenstain Consiliarium nostrum ad Serenissimum et Potentissimum Principem Dominum Soleymannum Imperatorem Turchorum ac Asię et Grecię, Patrem nostrum Charissimum Dominumque vestrum expedire et transmittere, qui cum per loca Administrationi vestrę subiecta iter facturus sit, idcirco vos hortamur, vt quo tutus et securus ad istas partes accedere profectionemque suam perficere possit, Salui Conductus literas per presentium latorem sine mora transmittere ac proprium hominem ad confinia ista, vbi prefatus Orator noster transiturus est, qui ipsum vlterius conducat et associet, destinare velitis, In quo rem nobis gratam et Cesari Dominoque vestro pariter vtilem et acceptam facietis, nostra in vos gratia et liberalitate Regia compensandam, Datum Viennæ Die 19 Nouembris 1536

II.

Schreiben Desselben an Sultan Suleiman I.

Wien, (wahrscheinlich 20. November) 1536.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Der erste Bogen fehlt in den Acten. Statt Viennæ *am Ende hatte früher* Grecij *gestanden; das Concept muss demnach schon in der zweiten Hälfte Octobers, während welcher König Ferdinand I. zu Gratz Hoflager hielt, abgefasst worden seyn.*

gratiam complacentiamque facere parati sumus, plane confidimus, Porro nisi Magnitudo vestra priorem sententiam suam mutarit, eam vehementer rogamus, vt Nuntium

suum prefatum cum optima vt speramus resolutione quam citissime ad nos expedire velit, quem tanto maiori desyderio expectamus, vt coram inspicere perquirereque possit, quemadmodum nos post initam hactenus pacem erga Magnitudinem vestram gesserimus, ac veluti oculatus testis de nostris factis veritatem et plane contrarium ab his que Aduersarij nostri disseminare fingereque solent, Militumque Magnitudinis vestre in nostros iniurias violentiasque referre ei queat, Is enim et videre et quasi palpare poterit, nostros iniusta causa à Magnitudinis vestre hominibus tam misere vexari et iniurijs affici, nosque pacem cum eadem Magnitudine vestra inconcusse seruare studuisse, sicuti imposterum etiam pari diligentia obseruare volumus, Et ea que supra de occupatione Castrorum Aduersarijque nostri insidijs scripsimus non aliter se habere, quam vt syncere vereque demonstrauimus, re ipsa comperiet, Quod si interea temporis accideret, quod aliquem armorum motum non nisi defensionis iure atque causa contra Comitem Scepusiensem, qui quidem totus in hoc versatur viresque suas intendit, vt quo iure quaque iniuria partes suas coaugmentet nostras vero imminuat et quos ex fidelibus nostris superesse videt à nobis alienet et ad se alliciat, vel alias facere cogeremur, petimus à Magnitudine vestra vt nos in hoc euentu sicuti par est excusatos habere, idque non in aliam partem interpretari atque accipere velit, quam quod nobis tot acceptis iniurijs victis et commotis iure quidem optimo competere existimemus, stantibus ijs inconuenientibus nostrorum quoque fidelium defensionem suscipere periculaque ab eis auertere, quando tantopere per eos vrgemur et requirimur, donec scilicet per Magnitudinem vestram debita prouisio ordinatioque fiat, Nam certo sibi Magnitudo vestra persuadere debet nos nihil prorsus acturos fore, quod à pace alienum et diuersum sit, neque vllam dicto Scepusiensi causam occasionemue dabimus nec vnquam dedimus gerendi nobiscum belli, Et si aliud à prefatis obtrectatoribus inuidisque nostris ad aures Magnitudinis vestre deferretur, rogamus vti eorum vanis relatibus nullam fidem adhibere, sed rei veritatem vt in se est explorare velit, neque se à quoquam improbis delationibus traducendi nostri causa confictis in nos irritare incitareque permittat, Et hec omnia maxime necessaria nobis visa sunt pro rerum nostrarum exigentia Magnitudini vestre per literas illas nostras diffuse syncereque et summa plane fidutia confidentiaque aperire, Hinc fore sperantes, quod Magnitudo vestra perspecta et cognita nunc mente et proposito nostro vsque adeo ad pacem perpetuo complectendam propenso, maiorem amori et paterno suo erga nos studio cumulum adijciet, nosque vti bonum et obsequentem filium commendatum et adiutum habebit, à qua super singulis his per nos impresentiarum propter bonum pacis et pro benefitio non minus Magnitudinis vestre quam nostro recensitis, enumeratis, insinuatis petitisque benignum ac citum responsum, talemque deliberationem relationemque, qualem se vti patrem nostri amantissimum decet, nostraque in eam constans ac firma voluntas, diligensque pacis synceriter obseruandę cura sollicitudoque promereri videntur, communisque vtilitatis ratio exposcit, ardentissime expectamus, Nos interim filiali studio eidem commendantes, quam diu incolumem superstitemque viuere optamus, Datum Viennæ in Mense Nouembri 1536

III.

Schreiben König Ferdinands I. an den Grossweſir Ajas Pascha.

Wien, (wahrscheinlich 20. November) 1536.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Ayas Bassæ. *Wie im Concepte des vorstehenden Schreibens hatte auch in diesem statt* Viennæ *am Ende früher* Grecij *gestanden.*

Ferdinandus etc.

Illustris et Magnifice Vir, Syncere dilecte, Salutem et Gaudium, Redijt ad nos Orator noster quem ante aliquot Menses ad Serenissimum et potentissimum Principem Dominum Soleymannum, Imperatorem Turcorum ac Asię et Gretię etc. Patrem nostrum Charissimum et Dominum vestrum miseramus, Cuius ex relatione dictique Cesaris literis cum singulari Gaudio animique voluptate intelleximus Magnitudinem suam ita ad pacem nobiscum bene tenendam inclinatam esse vt si eam antea non fecisset, iam de nouo eandem nobiscum constituere et firmare vellet, idque ob eam potissimum causam, quod liquido cognouisset nos pacem illam toto eo tempore, quo absens, forisque in longinquis partibus bello occupata et distenta fuisset, optime obseruasse, Quod ipsum vt summe gratum et iucundum nobis fuit (licet de eo nunquam sane dubitauerimus) clarius ex Magnitudinis suę scriptis percipere, ita vere affirmare possumus nos semper eo animo fuisse et adhuc esse, vt dictam pacem non solum inconcusse obseruemus sed in ea constantissime perseueremus, Palam enim est et satis manifestum nos omnia que ad illius quietem et conseruationem spectare videbantur toto pectore, quantum in nobis fuit, complexos esse, nihilque vnquam hactenus attentasse aut vllo modo attentare voluisse, de quo iure reprehendi possimus, Si autem aliter Magnitudini sue de factis nostris per inuidiam et obtrectationem Aduersariorum nostrorum scriptum vel nunciatum esset, non debet Magnitudo sua eorum vanis falsisque relationibus credere, sed nobis potius et verbis nostris vt qui puram rei veritatem sicuti in se est scripsimus et ostendimus, fidem adhibere, quemadmodum eam facere et facturam esse confidimus, Quamuis autem Magnitudo sua nos certos esse voluit et securos de animo suo quem habet erga nos et pacem obseruandam, tamen eo non obstante, subditorum et fidelium nostrorum incomparabilia damna ab hominibus et militibus dicti Cesaris preter omnem causam et contra pacis tenorem illata, continuaque Castrorum et locorum nostrorum occupatio, frequentesque incursiones direptionesque nos impresentiarum necessario impulerunt ad scribendum Magnitudini suę longissimas literas, sicuti videbitis, in quibus eam de ijs et alijs rebus nostris informamus, quas breuiter repetendo vobis quoque per has nostras significandas duximus, Perpaucis enim ante mensibus Magnitudinis suę Basse tam Nandoralbensis quam Bosnensis et Sanchiachi nonnulli magna Gentium Multitudine congregata in Regnum nostrum Sclauonię irrumpere non veriti sunt, omne genus hostilitatis exercendo, nostrosque subditos grauibus damnis affligendo, eaque perpetrando que tenendę paci mutueque bonę vicinię directe contraria et aduersa fuere, Nam queque sibi

obuia partim incendio deuastarunt partim in captiuitatem abduxerunt, et quod longe grauius et à prefata pace alienissimum est, tredecim Castra nobis et nostris pertinentia multaque alia loca inuadentes violenter ceperunt, expugnarunt occuparuntque et occupata tenent, eorumque aliquot presidio munierunt, partim penitus diruerunt exusseruntque, Et licet in vim pacis illius, et ob intellectam Cesaris erga nos voluntatem nuper nobis declaratam eosdem requisiuimus vt à talibus temerarijs ausibus abstinerent nobisque et captiuos et occupata Castra restituerent, tamen spreta eiusmodi requisitione nostra rursus in expeditionem prodeuntes, quicquid reliquum est, infestare, trucidare occupareque intendunt, Preterea Husrem Beg Bassa Bosnensis et Piribeg Bassa Hercegouine ingenti Numero Militum ad obsidendum Castrum nostrum Clyssiense nuper venerunt et prope illud duo fortalitia vnum mox post aliud extrui fecerunt, Arcemque ita nostram oppugnant et per famem, cum aliter non queant, ad deditionem compellere et in potestatem suam redigere laborant, Cum autem hec tam inhumana crudeliaque facinora contra omnem rationem pacisque tenorem perpetrentur nosque ad ea vel per nos vel per nostros nullam quouis modo causam occasionemque dedisse sciamus, aut in aliquo eos lacessere seu prouocare studuimus, illaque omnia non solum preter mentem, voluntatem iussionemque dicti Cesaris, verum etiam se prorsus inscio et ignorante fieri pro certo teneamus, tantoque magis quod Magnitudo sua ab his contraria nobis scripserit, iustumque sit et æquissimum, imo predicte paci mutueque bone vicinię et constitutę Amicitie ex omni parte consentaneum, vt talia Magnitudo sua per suos admitti non concedat, sed in vniuersum tollere et pacificare curet, Idcirco vos sedulo hortamur, vt attentis his rationabilibus causis et pro conseruatione pacis, et ad singularem nostri complacentiam gratificationemque, et æquitatis demum communisque vtilitatis intuitu, pro vestra precipua gratia et authoritate, qua ob prudentiam et industriam vestram merito alios excellitis ac plurimum valetis, tantum agere et efficere apud dictum Cesarem Dominum vestrum Patremque nostrum Charissimum velitis, vt omnibus Bassis ceterisque quibuscunque subditis et hominibus quam efficacissime mandet, quo non solum dehinc à facinoribus illis et oppressionibus prorsus abstineant cumque nostris fidelibus in bona pace vicinia amicitiaque prout conuenit viuant et maneant verum etiam sumpta arma protinus deponant eorumque vlteriorem motum euitent et ab inuasione lesioneque nostrorum desistant, Arcisque nostrę Clyssiensis obsidionem soluant et penitus relinquant, nobisque ac nostris idem Cesar vniuersa et singula bona sic indebite ablata et captiuos simul et occupata Castra Arces et loca quecunque, sine aliqua mora, impedimento et contradictione per eosdem reddi et restitui faciat, prout alias ipsi Comiti Scepusiensi fieri fecit, cuius tamen facta enormia id non merebantur neque merentur aut mereri possunt vt ipsius maior ratio à Turcharum Imperatore quam nostri haberi debeat, qui semper paci integre seruandę studuimus, cum is contra nihil non in Magnitudinem suam suis excessibus et delictis admiserit, propter quod non solum culpabilis existit verum etiam puniendus esset maxime cum neque pacem neque inducias vnquam recte obseruarit sicuti luce clarius est adeo quod tam nostrorum beneactorum et non mediocris obseruantie intuitu quam ob rationes et causas supradictas Magnitudo sua merito nobis

in his plus quam vlli alteri complacere et gratificari debet, In quo certe opus bonum et vtile, nostraque in vos beneuolentia dignum, ac sepedicte paci congruum facturi estis, peculiari nostra beneficentia liberalitateque erga vos recognoscendum, Preterea quia Nobilem fidelem nobis dilectum Franciscum Ritium à Sprinzenstain Oratorem et Consiliarium nostrum presentium exhibitorem, cui in omnibus, que vobis nomine nostro referet, plenam et indubiam fidem habere velitis non aliter ac si nos coram vobis loqueremur, continue in Curia Cesaris et Domini vestri libere versari consistereque ob causas quas tum ex se tum nostris ad eundem Cesarem literis latius percipietis desyderamus, proinde vos studiose requirimus et hortamur, vti eundem nomine et causa nostra vestro consilio, authoritate, gratia, auxilioque in omnibus rebus et negocijs nostris apud prefatum Imperatorem et Dominum vestrum quolibet tempore bene commendatum promotum et adiutum habere, penesque Magnitudinem suam id curare velitis, vt nobis super literis nostris quas ei impresentiarum scripsimus, adque singula petita nostra fauorabile ac citum responsum, et proprium ad nos Oratorem, vti se facturum promisit, quam ocyssime remittere velit, Quod pariter Regia nostra beneuolentia remuneratioque erga vos recompensare studebimus, Datum Viennæ in Mense Nouembri 1536

IV.

Schreiben König Ferdinands I. an Franz Freiherrn von Sprinzenstein.

Wien, 13. December 1536.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Francisco Ritio.

Ferdinandus etc.

Nobilis fidelis dilecte, Significamus tibi quod Aduersarius noster Wayuoda paulo post discessum hinc tuum Ciuitatem nostram Cassouiensem sub inducijs cum eo per nos factis et prorogatis nullo habito respectu fidei et promissionis per suos homines cepit occupauitque, nobisque nihil tale metuentibus contra pacem et susceptas inducias eandem Ciuitatem adimere non est veritus, Quod quidem vltra priora sua facinora nos vt debet grauiter commouet et nos nolentes volentes impellit cogitque vt aliquam rationem ineamus, quemadmodum istis suis violentijs et insultibus obuiare, nosque et subditos nostros, ab ipsius intolerabilibus iniurijs, quas nobis sub indutiarum etiam tempore sine causa et temere inferre non cessat, defendere possemus, Tot enim tantisque nos fidelesque nostros malefactis pessimisque dolis suis grauauit, vt iniquum plane sit diutius ea dissimulare, que omni iure vlciscenda videantur, Preterea satis superque nimis cum irrecuperabili et incredibili penè nostro ac nostrorum damno nocumentoque hactenus didicimus apud hominem illum neque fidei religionem, neque pacem cum Turcharum Cesare initam quidquam valere, sed omnia iura diuina humanaque simul et Magnitudinis sue verbum ab eodem non solum negligi verum etiam in tantum sperni contemnique

vt contra pacem contra inducias imò contra ius Gentium queque indignissima perpetrare sibi inprimis gloriosum ducat, Quamobrem cum nobis difficile et impossibile sit eius tam obstinatam malitiam iniuriasque diutius perferre, quas tamen respectu pacis cum Magnitudine sua stabilitę diu nimis pacienterque tulimus, nosque non dubitemus hoc ipsius Wayuodę factum haud parum Magnitudini sue displiciturum, idcirco ei suisque Consiliarijs hec omnia abs te declarari omnibusque quibus scies et poteris modis melioribus ostendi volumus nos non posse neque debere aliter facere quin arma tandem etiam defendendi nos, recuperandorumque locorum nostrorum in medio pacis tempore ereptorum causa contra illum, qui toties pacem induciasque preter omnem rationem fregerit, totiesque fidem suam violarit, et nunquam sanè promissa, sicuti Magnitudini suę sepius alias et copiosè tum per literas tum Oratorum nostrorum medio notificauimus, obseruare curarit, sumamus, et ad ea media licet inuiti descendamus per que istius vim à nostrorum ceruicibus propulsare valeamus, Et cum liceat ex omni iure vim vi repellere, irritatosque tàm multiplicibus iniurijs vt nos sumus à Wayuoda isto mille modis incitati defensionem suscipere conueniat, hinc nos Magnitudo sua excusatos habere velit, si contra dictum Aduersarium nostrum non quidem nostra sponte sed per violentias suas coacti expeditionem aliquam suscepturi sumus, in qua nos tamen pacem et confederationem cum Magnitudine sua factam haud sanè pretergressuros esse iudicemus, quando nimirum ob causas iamdictas nobis salua amicitia vnioneque nostra et illesa prorsus pace secum confirmata istius grauissimas iniurias persequi iustum et æquum sit, Quare omnia illa Magnitudini suę simul et Ayas Bassę quam potes aptissime oportunissimeque demonstrabis eisque ob oculos ponere studebis Aduersarium nostrum tàm prostituti esse pudoris extremaque malitia preditum, vt ei nihil plane sit fidendum, Nostram in ijs expressam et omnimodam executurus voluntatem, Datum Viennę xiij Decembris 1536

V.

Schreiben des Freiherrn Franz von Sprinzenstein an König Ferdinand I.

Laibach, 24. und 29. December 1536.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Die Nachschrift ist auf einem besonderen Zettel und mit rothem Wachs in das Schreiben eingeklebt.

Sacre Romanorum Vngarie Bohemie etc. Regie Maiestati Domino Domino meo Clementissimo

Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel zeigt das Wappen Sprinzenstein's.

Serenissime et Inuictissime Rex Domine Domine mi Clementissimę

Hodie Ideo primum Labacum veni quod in Biduo Moram fluuium nec Vado transire, ubi minima fluminis altitudo erat, nec Naui apud Arcem Hernhausen traijcere propter Glaciei molem potui Nunctius pro Saluoconducto .28. Nouembris missus nondum re-

dijt Cum redierit me sine mora Itineri accingam et mihi commissa qua debeo fide et diligentia curabo Cum his Bene diu ac feliciter valeat Sacra Maiestas Vestra cui me Humillime comendo Ex Labaco in Vigilia Natiuitatis Domini 1536

Eiusdem Sacre Maiestatis Vestre

Humillimus Seruus

Franciscus Ritius

Postscriptum Iudex Ciuitatis dixit meo expenditori sibi a Vicegerentibus iniunctum esse ut querat quemdam Hominem qui hodie palam in Hospitio dixit, Nuntium quem Dominus Khatianer in Bosnam miserit captum nescio ubi carceribus detineri, Idemque Iudex rogauit meum expenditorem ut mihi nihil de ea re dicat quia Vicegerentes mihi Negotium exponere nolint quoad de veritate certiores fiant eosque pro veritate investiganda nunctium ad Capitaneum cum literis misisse Datum Labaci 29 Decembris 1536

VI.

Schreiben König Ferdinands I. an Franz Freiherrn von Sprinzenstein.

Wien, 2. Februar 1537.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Francisco Ritio.

Ferdinandus etc.

Nobilis fidelis dilecte, Hac hora allatus est nobis Saluus Conductus à Bassa Bosnensi, pro quo ante discessum tuum ei vt scis scripseramus vti in certum locum ad Confinia eundem mitteret vbi tibi redderetur, Cum autem non factum sit, non libenter equidem videmus tam longam temporis moram intercessisse teque in profectione tua maturius perficienda ob eam causam impeditum hactenus esse, Quamobrem tibi prefatum Saluum Conductum hisce literis nostris inclusum per proprium hominem vna cum copia traductionis latinę vti videbis transmittimus, et omnibus modis iniungimus et mandamus vt statim iter tuum quanta maxima potes festinatione ad Cesarem Turcharum etc. prosequi contendas et acceleres, nullamque prorsus moram in eo facias, Nostram in hoc expressam seriamque omnino executurus voluntatem, Datum Viennę die secunda Mensis Februarij 1537

VII.

Schreiben Desselben an Denselben.

Prag, 28. Mai 1537.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Francisco Ritio.

Ferdinandus etc.

Nobilis fidelis Dilecte, Ex incluso literarum nostrarum ad Cesarem Turcharum exemplo videbis, cuiusmodi ad Magnitudinem suam in sententiam ferme superiorum per

te ad se allatorum scribenda duxerimus, Quare tibi iniungimus et mandamus vt pro celeri relatione et responso apud Magnitudinem suam vel eius Consiliarios instes et quantum potes sollicites, et id qualecunque sit ad Nos sine mora per literas tuas perferri, Nosque de omnibus rebus que nos scire intersit abunde certiorem reddere cures, Nostram in eo expressam et omnimodam executurus voluntatem, Datum Prage 28 Maij 1537

VIII.

Schreiben König Ferdinands I. an Chosrew Beg.

Prag, 28. Mai 1537.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Bassæ Bosnensi Husrem Beg. *Ganz unten am Rande links die Weisung:* Dem Puchler zuzuſchickhen vnd das man damit von Labach ain aignen Potten biß zum Baſſa aus Boſſen abfertigen, vnd das Pottenlon der Aufſchlager oder Vitzthomb bezalen ſoll, jme in ſeiner Rayttung aufzuheben.

Ferdinandus etc.

Magnifice et prestans Vir syncere dilecte, Mittimus impresentiarum vobis annexas literas nostras ad Serenissimum Turcarum Imperatorem ac Asie et Grecie, Dominum vestrum scriptas, quas cum subito ad Magnitudinem suam perferri cupiamus, vos itaque hortamur et singulari studio requirimus vt eas sine morâ ita dirigere curetis, vt ad manus Domini vestri certo perferantur, In quo rem non minus Domino vestro acceptam quam nobis gratam facietis nostra in vos gratia et liberalitate Regia compensandam, Datum Prage 28 Maij 1537

IX.

Schreiben Desselben an Sultan Suleiman I.

Prag, 29. Mai 1537.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Turcharum Cæsari.

Serenissimo etc. Ferdinandus etc. Quamuis per plures literas nostras preteritis Mensibus ad Magnitudinem vestram scriptas et transmissas, eidem exposuimus declarauimusque tum continuas Incursiones, Depredationes, Spolia, rapinas, innumerabiliaque damna, quæ subditis nostris, à Magnitudinis vestre hominibus ad confinia degentibus contra initam et firmatam inter nos pacem, sine omni legitima causa et indebitis modis, ac nimis hostiliter illata fuerunt, tum etiam violentas Occupationes expugnationesque multarum Arcium, Castrorum, fortalitiorumque in Regno nostro Sclauonie sitorum, necnon deuastationes exustionesque locorum ab eiusdem Magnitudinis vestre Presidibus et Militibus, nullo habito respectu pacis et Amicitie inter nos contractę indigne crudeliterque perpetratas, Eamque summopere rogauimus vt cum mens nostra et voluntas semper hæc fuerit vt Amicitiam et pacem per Nos cum Magnitudine vestra susceptam inuiolabiliter teneremus, eamque à nostris integre et inconcusse obseruari studuissemus,

Nosque vel subditos nostros nullam causam Magnitudinis vestre hominibus vnquam dedisse sciremus, cur loca nostra cum armata manu inuadere, depopulari, pluribusque vijs ac modis intolerabilibus incendia facere, nostrosque fideles crebris et grauibus damnis afficere omneque genus hostilitatis atrocitatisque in eos exercere, multaque alia mala que tenendę paci mutueque bonę vicinie non solum non consentanea, verum etiam directe contraria videbantur, designare committereque debuerint, quin potius persuasum haberemus ea omnia sine scitu et voluntate Magnitudinis vestre à suis facta esse, vellet hisce rebus cognitis protinus mandare et efficere, quemadmodum de sua in nos affectione beneuolentiaque confideremus, quo sui omnes imposterum ab eiusmodi Depopulationibus Spoliationibus oppressionibus hostilitatibusque supradictis abstinerent, cumque nostris in bona pace vicinia Amicitiaque permanerent et viuerent, ijque ab omni posthac inferenda iniuria violandisque pacis conditionibus cohercerentur, quemadmodum Nos vicissim penes nostros idem essemus curaturi, Tamen cum nobis à Magnitudine vestra super postulationibus illis nostris æquissimis non solum nullum responsum afferretur verum etiam sui Prefecti collectis numerosis copijs in Regnum nostrum Sclauonie eiusque Incolas, et vlterius quoque indies magis magisque seuire penetrare pacemque infringere, Arcemque vnam post aliam occupare, expugnare, comburere, hanc solo æquare, illam presidio imposito munire, idque genus alia aperto potius bello quam vlli paci simillima perpetrare non cessarent, preterea vero ad obsidendum Castrum nostrum Clyssiense cum ingenti Militum numero confluxissent, et prope illud duo fortalitia vnum mox post aliud extruxissent non alio consilio quam vt per obsidionem Arcem illam nostram famis angustijs adactam ad deditionem compellerent eamque in potestatem suam redigerent, Tametsi ad propulsandam vim illam tamque enormes iniurias Regnicolas Subditosque nostros omni conatu resistere, validissimaque manu concurrere incitatos, et ad capiendam iustissimam vltionem prouocatos, idque à nobis petentes vt scilicet eis qui nullam scilicet vel minimam causam tante crudelitati atque oppressioni se dedisse scirent, seseque sub pacis nomine ita innocenter deuastari perditumque iri diutius ferre minime possent, ad arma iam tandem conclamandi, bellumque suscipiendi potestatem faceremus, iam tum licuisset nobis absque vlla pacis lęsione in expeditionem exire vimque vi repellere permittere, Tamen eos, quoad eius fieri potuit, ab hac sua quantumuis honesta cupiditate abducere continereque studuimus pollicentes nos subito non minus Magnitudini vestrę, quam ipsius Sanciachis hac de causa scripturos sicuti fecimus asserentesque nos plane nullum dubium esse, quin ista Magnitudine vestra plane inscia, nedum eius iniussu fierent, Postea vero quam ne tunc quidem Magnitudinis vestrę homines tot tantisque iniurijs finem facerent, visum nobis fuit peculiarem in hoc Oratorem ad Magnitudinem vestram ablegare, cum longissimis sane literis totius rei successum complectentibus, quem Oratorem nostrum iam nunc proculdubio ad Magnitudinis vestrę Curiam appulisse illamque ex literis nostris abunde omnia, et talia quidem intellexisse nobis persuademus que nostram bonam erga se voluntatem obseruandeque pacis studium ex omni parte clare testentur, suos vero nimis iniquiter contra initę inter nos Amicitię leges, pacisque federa agere, verissime declarent, quibus ipsis nequaquam

*

conuenire licereue potuit, vel in Sclauonia alijsque in locis tam nostras quam fidelium nostrorum Arces adeo multas occupare, vel apud Clyssam noua fortalitia ad obsidendam eam construere, quippe cum isti conatus non sine perturbatione labefactationeque pacis fieri quiuerint, Nos autem ad extremum nostrorum subditorum continuas querelas sustinere non potuimus, quin nonnullam manum versus Clyssam mitteremus, non quod homines Magnitudinis vestrę offendere aut contra pacem aliquid attentare decreuissemus, sed quia æquum et iustum erat, vt Arcem illam nostram Clyssam, Militesque in ea nostros ab arctissima obsidione liberare, erectaque tempore pacis, et contra pacem pro capienda nimirum Arce nostra, fortalitia destruere conaremur, Non equidem eo animo intentioneue hoc ipsum aggredientes, quasi frangendę cum Magnitudine vestra pacis ansam quereremus, aut contra suos Hostilitatem vllam exercendam duxissemus, à quo longe alienissimi fuimus, vtpote qui nihil curauerimus optauerimusque hactenus quam vt liceat nobis per Magnitudinis vestrę subditos cum eadem optima diuturnaque pace frui, At vero quemadmodum eo in loco acciderit, et nostris victis maiorique ex parte captis, Arx nostra à Magnitudinis vestrę hominibus occupata fuerit, arbitramur Magnitudini vestrę iam nunc satis innotuisse, preterea que nobis fidelibusque nostris in Regno nostro Sclauonie, partibusque sibi coniunctis, Damna oppressionesque à suis itidem, vti supradictum est, copiosiusque in literis per prefatum Oratorem nostrum ad Magnitudinem vestram perlatis demonstrantur, cum non mediocri iniuria nostra, illate fuere, Sed quoniam vt spes nostra ac fidutia semper fuit erga Magnitudinem vestram quod esset imperatura suis simulatque hec cognouisset, vti ab vlterioribus tam temerarijs violentijs abstinerent Nobisque ac nostris immerito ablata et intercepta Castra restituerent, non solum in hanc vsque diem non factum esse cernimus, verum etiam Sansiachos suos Bosnensem et Nandoralbensem cum ingenti Exercitu in Regna et Prouintias nostras impetum facere Dominiaque nostra hostiliter inuadere propediem decreuisse, viresque suas vndiquaque colligere pro certo nobis nunciatur, non abs re denuo impulsi sumus, de ijs Magnitudinem vestram certiorem facere, de qua adhuc nobis firmiter persuademus, se minime passuram fore, vt preter omnem causam nostri diutius à suis Militibus vexentur, dictique Sanciachi Patrias seu Regna nostra eorumue Incolas adoriri audeant, Quare à Magnitudine vestra maiorem in modum petimus, eamque rogamus, vt cum ipsamet per se consyderare possit, nos ac nostros à suis contra pacem immerito grauari, eiusmodique indignas suorum excursiones immediate huic paci inter nos sancitę aduersari, nobisque longe durissimum et intolerabile videatur huncce in modum Patrias nostras non obstante pace Amicitiaque cum Magnitudine vestra stabilita, quotidie à suis infestari conniuere, velit suis presertim Sanciachis strictissime et cum effectu inhibere, vt ne vllas posthac copias aduersus Regna seu Dominia nostra contrahere educereque tentent et aggrediantur sed potius Terras et fideles nostros quoscunque in pace inoffensos relinquant et ab omni actu violento sese contineant, nobisque iniuste ablata Castra vbiuis restituant, prout omnis æquitatis ratio postulat, nosque se ad prebendum bonum exemplum alijs secum perinde ac nos confederatis lubenter facturam non dubitamus, Vbi vero aliter fieri contingeret, id quod tamen non confidimus, Magnitudini vestrę per has nostras insinuatum

et cognitum esse volumus, Nos sane inuitos magnitudine iniuriarum à suis coactos fore, vt quoquomodo hisce malis resistere paremus et ad defensionem nostrorum descendamus, Nihilominus desyderantes pacem semel cum Magnitudine vestra susceptam et firmatam intactam et inuiolabilem, quoad eius per impressiones suorum fieri queat, permanere, omniaque potius pro defensione nostrorum ineuitabili acturi, quam quod intendamus sepedictam pacem nostra sponte frangere, nisi aliter visum esset Magnitudini vestrę, quod tamen non possumus nobis de se persuadere, quam omnino in premissis se ita gesturam, nostrarumque petitionum eam rationem ducturam confidimus, vt sperandum sit pacem ad diuturna tempora inter nos durare posse prout ex parte nostra non deerimus maxime si que contra pacem hactenus admissa sunt à suis, ereptasque et occupatas arces nobis absque impedimento vt par est restituendas iusserit, Et super his omnibus animum et voluntatem Magnitudinis vestrę Nobili Francisco Ritio à Sprinzenstain Oratori nostro absque vlteriori dilatione declarari petimus vt ad nos subito perscribere possit, sin vero iam à se dimissus discessisset, per literas eiusdem Magnitudinis vestrę quamprimum responsum gratum ad singula expectamus, Commendantes nos interim debito studio, Datum Prage die xxviiij Maij 1537

X.

Schreiben König Ferdinands I. an Bernhard von Cles, Fürstbischof von Trient und obersten Kanzler.

Wien, 11. October 1537.

Aus dem von Secretärshand geschriebenen und von König Ferdinand I. eigenhändig unterzeichneten Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Dem Hochwierdigen in got vater, Herrn Bernharden der Heiligen Römischen Kirchen des titls sancti Stephani in coelio monte Briester Cardinaln Bischouen zu Triendt, vnserm lieben Freund, Fursten, Presidenten vnsers gehaimen Rats, öbersten Cantzler, vnd Stathalter vnserer oberösterreichischen Lannde

Triendt

Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel ist unkenntlich.

Wir Ferdinannd von gots gnaden Römischer Kunig zu allñ zeiten merer des Reichs in Germanien zu Hungern vnd Behaim ꝛc. Kunig Innfannt in Hispanien Ertzhertzog zu Osterreich Hertzog zu Burgundi vnnd Wirtemberg ꝛc. Graf zu Tirol ꝛc. Empieten dem Hochwirdigen in Got vater Herren Bernhardten der Hailigen Römischen Kirchen des Titls sancti Stephani in Coelio monte Prieſter Cardinalñ Bischouen zu Triendt vnserm lieben Freundt Fursten Presidennten vnnsers gehaimen Rats Obersten Canntzler vnnd Stathalter der oberosterreichischen Lannde, vnnser lieb vnnd alless guets/ Hochwirdiger lieber Frundt vnnd Furſt/ Wir geben Ewer Lieb auf dreu Ire schreiben am dato den letsten Septembris auch den andern vnnd vierdten tag diss Monnats in Antwurt gnediger vnd fruntlicher mainung zuerkennen,

Erſtlich So ſetzen wir in kainen zweifel Ewer Lieb werde Irem erpieten nach zu aufbringung der zwaintzig Tauſennd gulden anlehens zu beharung des Kriegs in windiſchen Lannden auch verſehung vnd bewarung der eroberten Fleckhen vnnd Granitzen kainen vleyß ſparren Angeſehen das ſolhe ain hohe vnuermeidliche notturfft vnd nit allain vnnſern Landen vnd Leuten ſonnder gannzer Teutſcher Nation daran treffenlich vnd vil gelegen iſt, darumb wir E. L. nochmalen gnedigclich vnd fruntlich vermannt haben wellen, das die ſölh anlehen ſouil yenndert menſchlich vnnd möglich iſt, furdern helfen welle vnnd vnns daſſelb zum furderlichiſten zuekomen möge/

Dann So finden wir E. L. bedenncken in dem das Andre de dozia den beuelh des obriſten auf dem Mör öber die aufgericht pundtnus wider den Turggen antzenemen gewaigert hat, was daraus ſonnderlich der venediger halb volgen möcht an jm ſelbs nit vnnotturftig, nemen ſölhes von E. L. zu gnedigem vnnd fruntlichem wolgefallen an, Wir achten aber entgegen bemelter Andre de dozia hab ſich in dem fal der Kay. Mt willen vnnd gemuet nach wol wiſſen zehalten, das Er auch hierjnn von Irer Lieb vnnd Kay. Mt nuemer mit genugſamem beſchaid vnnd beuelh verſehen ſeye/

Was vnnſer Botſchafft fur beſchaid vom Turggiſchen Kaiſer pracht habe, das wellen wir E. L. zu derſelben ankonnfft mundtlich nach der lenngen erzelen vnnd erjnnern, welhes wir durch ſchrifft nit ſo ſtatlich thun möchten/

Vnnd dieweil der Turgg Corphu verlaſſen haben vnnd abgezogen ſein ſölle, So achten wir das die venediger die Knecht ob die gleichwol vom Mackeßen wie E. L. ſchreiben geurlaubt nit annemen, oder deren diſer zeit bedurfftig ſein wurden, damit iſt auch E. L. anzaigen von wegen des Obriſten ſo den venedigiſchen Knechten zuegeben worden, welches von E. L. weiſlich vnnd wol bedacht worden, verantwurt, Sonſt ſind etlich Artiggl die durffen nit Antwurt. Das wolten wir E. L. gnediger vnnd fruntlicher mainung nit verhalten. Geben in vnnſer Stat Wienn den xj. tag Octobris Anno ꝛc. xxxvij vnnſerer Reiche des Römiſchen im Sibennden vnnd der andern im Ailfften.

Ferdinandus

Inhalt.

	Seite
Instruction König Ferdinands I. für Franz Freiherrn von Sprinzenstein bei dessen Sendung an Sultan Suleiman I. Wien, 20. November 1536	1
Bericht des Freiherrn von Sprinzenstein an König Ferdinand I. Wien, wahrscheinlich in den ersten Tagen Octobers 1537	7
Schreiben König Ferdinands I. an Chosrew Beg, Sandschakbeg von Bosna. Wien, 19. November 1536	31
Schreiben Desselben an Sultan Suleiman I. Wien, (wahrscheinlich 20. November) 1536	—
Schreiben Desselben an den Grossweſir Ajas Pascha. Wien, (wahrscheinlich 20. November) 1536	33
Schreiben Desselben an Franz Freiherrn von Sprinzenstein. Wien, 13. December 1536	35
Schreiben des Freiherrn von Sprinzenstein an König Ferdinand I. Laibach, 24. und 29. December 1536	36
Schreiben König Ferdinands I. an Franz Freiherrn von Sprinzenstein. Wien, 2. Februar 1537	37
Schreiben Desselben an Denselben. Prag, 28. Mai 1537	—
Schreiben Desselben an Chosrew Beg. Prag, 28. Mai 1537	38
Schreiben Desselben an Sultan Suleiman I. Prag, 29. Mai 1537	—
Schreiben Desselben an Bernhard von Cles, Fürstbischof von Trient. Wien, 11. October 1537	41

URKUNDEN UND ACTENSTÜCKE

ZUR

GESCHICHTE DER VERHÄLTNISSE

ZWISCHEN

ÖSTERREICH, UNGERN UND DER PFORTE

IM

XVI. UND XVII. JAHRHUNDERTE.

AUS ARCHIVEN UND BIBLIOTHEKEN.

GESANDTSCHAFT KÖNIG FERDINANDS I. AN SULTAN SULEIMAN I.

1539—1540.

WIEN.

IN COMMISSION BEI SCHAUMBURG UND COMP.

GEDRUCKT BEI A. STRAUSS'S SEL. WITWE.

1842.

Vorwort.

Die hier mitgetheilten Actenstücke, sämmtlich Beiträge zur Geschichte der zehnten Gesandtschaft König Ferdinands I. an Sultan Suleiman I., sind noch nirgend gedruckt, und dürften vielleicht nicht unwillkommen seyn.

Sollten sie günstig aufgenommen und für die Wissenschaft benützt werden, so ist meine Absicht vollkommen erreicht und meine Mühe am schönsten belohnt.

Wien, den 6. April 1842.

Anton von Gévay,

k. k. geheimer Hof- und Haus-Archivar.

I.

Schreiben Hieronymus Laski's, Wojwoden von Siradien, an König Ferdinand I. Käsmarkt (Késmárk), 22. November 1538.

Aus dem von Laski eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. geheimen Haus- Hof- und Staats-Archive; — die Beilage aus dem von Matthias Lobodzki geschriebenen und von Demselben und Georg Warkotsch unterzeichneten Originale ebendaselbst. Beantwortet unter Nr. II. Die Adresse ist von der Hand Laski's.

Sacratissime et Serenissime Maiestati Regie Romanorum Hungarie Boemie etc. etc. domino dominoque meo clementissimo

Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel zeigt das Wappen des Georg Warkotsch.

Sacratissima et Serenissima Maiestas Regia et Domine Domine clementissime

Humilem et perpetuam seruitutis ac obediencie meę comendacionem, Scripserat mihi quidam Castellanus meus, quum ex Zykzo militem Hispanum mouebam, ut Strigonium redeat, uenisse ad arcem illam meam quam in Polonia habeo, nunctium Turcarum Imperatoris, uehementerque cupere, ut me quum primum conuenire, et sui principis commissionem exonerare posset, Cui ego rescripseram ut eum in illa domo mea tam diu habeat et hospitetur, donec sibi aliquid aliud scribam

Interim autem cogitabam, quid mihi facto opus fieret, eaque cum deliberacione ex Zykzo Vaciam me (procurando militibus commeatum et uecturas) contuleram, ut inde ad uestram Maiestatem Serenissimam proficiscerer, uestreque Maiestati Sacratissime aduentum istius nunctij declararem, quum tamen melius cogitassem, et consilium a Reuerendissimo Domino Vaciense cepissem, reccurrere primum Poloniam censui, et sic rebus intellectis ad uestram Serenissimam Celsitudinem uenirem illamque de omnibus informarem, quecunque idem nunctius attulisset

Vbi postquam heri huc ad Kezmark uenissem, preter omnem expectationem meam inueni hic eum, uidebatur enim sibi in Polonia mora esse longior et periculosior. propterea. quod Turca summa illi festinatione uti commisit, fuit autem idem nunctius apud me circiter per duos annos, quem Turca comendacione mea stipendijs suis alias Thymar ascripsit, cuius ipse opera in transmittendis litteris et alijs occurrencijs in Curia Turcarum utebar, et ob id huc properauit ad locum sibi bene notum, ubi me etiam ante triennium cum litteris illius boni Ibraim Basse inuenerat, quem etiam tunc Domi-

nus olim Christophorus Comes a Salmen, hospitio apud me exceptus uiderat uideratque et intellexerat illas litteras, Nam tametsi non adhuc res meas apud uestram Maiestatem composuissem, neque me illius seruicijs addixissem, tamen uolebam ut intellexisset uestra Maiestas ea, que Ibraim Bassa ob uindictam mortis Gritti et captiuitatem meam parabat

Et quia idem nunctius hic in publico diuersorio aliquibus diebus agebat, nolentibus eum Castellanis meis ad castrum recipere, vereor, ne postquam hic undique aduentus suus innotesceret, aliquis uestre Maiestati de illo scribat, et me in suspicionem aliquam adducat

Scio enim nihil esse facilius, quam suspicionem contrahere, presertim ubi de Turca, adeo potenti et oppulento principe agitur, qui opibus et potencia sua facile homines sollicitare et flectere potest, tantoque magis aliquid de me quispiam suspicari, et uestre Maiestati Sacratissime suggerere posset, quia palam sit omnibus, me apud Turcam non acceptum solum fuisse, sed etiam nonnihil ualuisse, id quod fortassis non propter personam meam, sed propter Turce necessitatem mihi successerat

Vereor etiam, ne Turca mecum illa arte agat, et ob id ad me suos nunctios mittat, ut me sic. imprimis apud uestram Maiestatem, et deinde alios principes in prauarum practicarum opinionem inducat, qua Romani contra Hanibalem, et Mathias Rex apud Imperatorem Baiasethem, contra quendam Venetum secretarium ad Turcam profugum usi sunt

Non dubito autem uestram Maiestatem Serenissimam pro uirtute et eximia sua prudentia suspicari posse, quod hic subsit aliquid. preter hec, que mihi iste nunctius attulit, et que uestre Maiestati de uerbo ad uerbum in scriptis mitto, nouit enim Maiestas uestra studium et hoc unum precipuumque fuisse desiderium meum, ut uestra Maiestas Serenissima opera mea contra illum per omnem occasionem uteretur

Scit etiam uestra Maiestas Serenissima, quod assidue illam de bello contra illum suscipiendo sollicitaui, rationesque et modos in scriptis etiam dedi, quibus sub illud tempus, quum Cesarea Celsitudo Dominus frater Maiestatis uestre bello gallico, et rebus in imperio turbatis fuisset distractus, neque uestra Maiestas cum Serenissimo Domino Ioanne Rege littem composuisset, offerabamque Maiestati uestre Serenissime quod ea que suadebam persona mea exequi contenderem, neque aliquam aut periculorum aut impendij hesitationem haberem

Nunc uero melius rebus inter Cesaream et Christianissimam, vestramque et Regis Ioannis Maiestates ac in imperio stantibus, Scirem et auderem uestre Maiestati Serenissime seruire, idque ita et nunc alacri animo prestarem, ut nulli essem primum locum daturus, si id pre difficultatibus priuatis meis et indigentia prestare possem, iuissemque ad uestram Celsitudinem solus illico, si pridie in montibus Roznauiensibus per pedites aggressus, turpiterque lapidatus et percussus non fuissem, cum quibus mihi atrox et longum prelium fuit,

Consilium itaque uestra Maiestas Serenissima capiat, quid facere aut Turco respondere debeam, et cogitent Domini uestre Maiestatis consiliarij, si esset res aliqua,

ubi ego adhuc in Turcico fauore existens, uestre Maiestati Serenissime usui esse et seruire possem, lubens enim omnes practicas exequar, quascunque uestra Maiestas existimabit utiles et necessarias sibi fore, si que tamen impendio eguerint. non paciatur Celsitudo uestra, ut impendio meo fiant. quandoquidem satis superque satis exhaustus sum, qui ob id nolim uelim cogar a seruitijs uestre Maiestatis discedere, quia sub id tempus. quo uestre Celsitudini merui, nullam aut honoris aut facultatum euectionem accepi, nam eorum que mihi uestra Serenissima Maiestas obtulit et litteris inscripsit nihil meritus sum consequi, ego uero. querendo gratiam uestre Sacre Celsitudinis ammisi Debreczen, et alia multa, et in seruicijs uestre Maiestatis ex his que mihi adhuc supererant non parum expendi, qui tamen pro hoc, quod de meo expendi, accusare uestram Maiestatem neque uolo neque possum, quandoquidem potuissem domi delitescere, neque sic continue in negociacionibus uersari, Curiasque frequentare, nunc hic nunc illo nunctios, atque etiam exploratores mittere, que omnia non modico impendio egent etc. sed temperare mihi non potui, siquidem amor meus erga Sacratissimam uestram Maiestatem susceptus ad hec me pertrahebat, et licet idem amor precordia mea teneat, tamen non ille mihi sunt facultates que fuerunt antehac, quorum defectus me a vestra Maiestate Serenissima repellet

Et quoniam paucis ante diebus ad uestram Maiestatem Serenissimam Dominum Warkocz miseram, rogaueramque ut uestra Celsitudo aliam rationem mei haberet, aut si de condicione mea uestra Maiestas aliquid aliud statuere nollet uel non posset, presertim de Capitaneatu earum partium, ubi amicos, ubi bona, ubi Regnum Polonie ad manum habeam, quod dignata fuisset uestra Maiestas gratiosam mihi ueniam dare, litterisque suis me Serenissimo Domino Ioanni comendare, non potui neque in hoc neque in illo desiderio meo a uestra Maiestate gratiosum responsum obtinere, id quod pessimam mihi peperit spem et expectationem de uestre Maiestatis erga me benignitate, qui cum sciam cor Regis in manibus dei esse, acceptum Domino deo refero quicquid mihi apud uestram Maiestatem successit etc.

Nunctiaueram etiam per eundem Dominum Warkocz, ut si honestum et iustum uestre Maiestati Serenissime uideretur, pro tot meis damnis et impendijs tricesimam Aruensem mihi vestra Maiestas conferat, postquam illam mihi litteris suis inscripsisset vestra Maiestas, utque in eo negocio finem aliquem facere dignaretur, pro qua etiamnum uestre Maiestati Serenissime supplico, uelit uestra Celsitudo dictam tricesimam iuxta inscriptionem suam mihi consignare, ut ego illi apud omnes principes et amicos alios meos gratias agere possem, utque ex ista tricesima, ex qua Maiestas uestra nullum unquam emolumentum tulit, gratie et liberalitatis sue apud me memoria foret, Et quia ex litteris Maiestatis uestre Serenissime concipio. existimare illam, mihi dumtaxat mille florenos ex dicta tricesima inscripsisse., sciat uestra Celsitudo, mihi per uestram Maiestatem tam diu tenendam inscriptamque esse, quam diu alterum ex his, Saros uel Czyczwar castris mihi uestra Serenissima Maiestas conferre non posset, nulla ibi mille florenorum mencione facta, de quibus tamen mille florenis recordor Prage ad instanciam Domini Leonardi a Fels mecum tractatum fuisse, sed ego non indigebam pro dicta tricesima alia in-

scriptione. quam illa quam mihi uestra Maiestas supra unum annum Kremsij inscripsit et dedit

Scripsit etiam mihi uestra Maiestas, daturam se mihi licentiam, quum Rex Ioannes ad illam scribet, rogabitque, ut uestra Maiestas mihi concedat illius Celsitudini seruire, pro quibus litteris obtinendis non uisum adhuc mihi fuit ad Serenissimum eundem Ioannem Regem mittere, mallem enim uestre Maiestati Sacratissime eiusque liberis seruire quam cuipiam alteri in mundo principi, modo cognoscam, uestram Maiestatem Serenissimam talem mei rationem habere. qualem habuerunt alij principes quibus seruiui, qui profecto nunquam mihi pro collega Dominum Christoforum Moralles aut Dominum Casparem Riczaynner dedissent, neque Dominum Thomam Lascanum mihi et bonis meis prefecissent, sicuti uestra Maiestas facere est ista estate dignata, id quod tamen ipse pacienter tuli, et collegas istos condicioni mee impares acceptaui, omniaque apud exercitum obiui, quecunque obeunda fuerunt, sed quantum ad prefecturam Domini Lascani attinet, rogo uelit uestra Maiestas me et bona mea ex gubernio suo eximere, ut nullum in me et meos subditos illi ius sit, ego enim soli uestre Maiestati obedire et seruire uolo, et nemini alteri, legibusque et ordinarijs iudicibus cupio stare, nam et nunc Dominus Lascanus bona mea in Comitatu Sarosiense turbat, cogitque ad labores arcis Saros, itaque subditos meos afficit, ut iam equis bobusque careant, multi eorum cum magna mea ignominia Poloniam et alia in loca fugiant, precor itaque uestram Maiestatem Serenissimam, scribat ad eum, ut mecum et cum bonis meis nullum habeat negocium, perpendere enim uestra Maiestas potest, me talia amplius perferre non posse, sed opportere me ad tuicionem meorum assurgere, prestitit namque uestra Maiestas omnibus huius Regni statibus iuramentum in felici sua coronatione quod eos sit in eorum legibus priuilegijsque et libertatibus firmiter obseruatura, idque quod uestre Maiestatis officiales faciunt, ego non credo iussu uestre Maiestatis fieri, nihilominus uestre Maiestatis iuramentum frangitur, inscia uestra Maiestate Serenissima, precor itaque nolit uestra Maiestas Serenissima mihi irasci, si ego subditos meos a Domino Lascano tuebor, quibus iam commisi ne illi ad talia obediant, Amore dei precor, eripiat me uestra Maiestas ex ista opressione, quia non merui id apud uestram Maiestatem Serenissimam, ut ita cum meis subditis opprimar et leuipendio per officiales suos afficiar

Postremo, interogaui istum nunctium, dicat mihi ueritatem puram, quid hoc sit, quod eum Cesar ad me cum ista legatione mittat, neque litteras ad me scribat. respondit mihi ego charissime Domine per deum dicam tibi ueritatem quam scio, et quid nescio non dicam, quia tu es benefactor meus, nam comendatione tua sum stipendiarius Imperatoris, comedoque panem tuum fideliter, et omne bonum tibi cupio, quando Cesar ibat ad Moldauiam, scripserant ad Mehemethbeeg Sandzacum Belgradi ex Esseg, quomodo tu cum magno exercitu per Danubium ueniebas, ubi statim Sanzacus, qui ad Nicopolim cum gentibus suis ibat, substitit et ad Imperatorem misit cum isto nouo, iussitque illi Turca ut ibidem aliud nouum de te expectaret, quoniam si ita esset, uellet Turca ut ad Belgradum redeat, breui deinde uenit unus pribeg id est transfuga qui apud Bakyth seruiebat. qui dixit quod non per Danubium sed per terram uenires, quem ser-

monem multis breui diebus ex Esseg confirmarunt, et hoc idem de te scripserunt, et ita deinde Sanzacus ad Cesarem iuit, qui cum esset Cesaris sui manum exosculatus, interogauit eum Turca, si quid noui de te haberet, respondit nihil esse quod Imperatorem impedire posset, Deinde cum Turca in Moldauia fuisset, omni die nouum ueniebat quod tu cum Germanis et Hispanis in Transiluaniam ueniebas, ubi Imperator noster non ualde magnum exercitum habuit, ibi statim Mehemethbeeg iuit ad AiasBassam accepto secum Cassum Wayuoda, et fuerunt ibi longo tempore. postquam autem eum relinquerunt, statim uocauerunt me ad se, et dixerunt. Ecce Wayuodycza (ita enim me Turci uocant) uenit contra nos, nos fuimus cum Bassa, multaque de illo sumus loquuti, libenter enim efficeremus ut rediret ad Cesarem nostrum, quia nos nihil scimus quod ipse nesciat (et talia quedam) etc. quare Bassa promittit tibi maius stipendium si ibis et inuenies eum, itaque si uis ire nec ne dicas. quia te propterea uocauimus, respondi ego sum paratus ire et caput meum in periculum ponere, et ita demum post aliquot dies fui ad Cesarem uocatus, qui mihi ista comisit dicere que dixi, litteras uero tibi noluit mittere, quia timuit si quo locorum interciperer, ne ille littere inueniantur, et tibi periculum faciant aut te perdant, sed si uis ego faciam. quod habebis litteras a Cesare, quia si sciuissem. quod te hic inuenire debui, nunquam ego uenissem sine litteris, preterea quando me Imperator dimisit, et iam abire debebam, uocauit me IonusBeeg Draguman amicus tuus, et rogauit ut tibi per fidem et iuramentum suum dicerem, quod Imperator frequenter tui rationem et mentionem habeat, et quod saluum conductum tibi mittet, et si illi obedire uolueris, quod te magnum dominum facere uult, Dixit mihi etiam quomodo Sandzacus Belgradi sibi donum ducentorum florenorum promisit. si me redducet ad seruicia Imperatoris sui. et multa mihi nomine suo retulit, que propterea uestre Maiestati scripsi, ut intelligat, me non ita esse stupidum, ut non concipiam Turcas res suas agere, neque ex amore talia nunctiare, sed ut me auertant ab istis contra se bellis, quibus ego neque credam, neque credo, quare iterum atque iterum precor doceat me vestra Maiestas Serenissima quid illi respondere debeam, idque citto, quia habeo quedam ardua mea negocia, propter que domi mee diu immorari non possum, precorque faciat uestra Maiestas ut ad quattuordecimum diem a data presentium responsum habere possem, et iubeat si quam practicam ibi habere uelit, ego enim non deero satis facere mandatis uestre Maiestatis Serenissime cui me diligentissime humillimeque unacum seruitijs meis obedienciaque mea comendo et trado. Ex Kezmark. 22. Nouembris Anno Domini 1538

Minimus Seruitor

Hieronymus de Lasko etc.
manu sua

Beilage.

Cesar misit me ad te domine Laskj pluribus de causis, prima est ista Intelexit Cesar quod iste (sed nominauit non pulcre Regem Ioannem quocienscunque eius, nomine cesaris meminit) Rex Ioannes te captiuauerat, Et quod Woywodatum transilvanie tibi

accepit, et debita tua ad Cesaris intercessionem tibi non soluit, itaque wlt scire Cesar que est causa quod iste Rex Ioannes tecum ita egerit

Secunda Causa est ista Cesar prius te nouit quam istum Ioannem Regem et tu prius ad Cesarem venisti vt Ioanni regi bene faceres, Et prius cesaris manum tetigisti et osculatus es, Et ordinasti isto Ioanni Regi amiciciam et Hungarie Regnum, quod tu solus a Cesare habere poteras, Itaque Cesar miratur quod tu neque venisti neque misisti ad Cesarem, et non declarasti iniuriam tuam cesari, quam si cesari declarasses Cesar tibi fecisset bene, et debita tua tibi soluisset que iste Ioannes rex tibi non soluit, Quia tu es seruitor Cesaris et cesar tibi comiserat vt huic Regi Ioanni fideliter seruires, quod tu ad Cesaris mandatum fecisti, sed es male solutus

Ego Cesari dixi de te domine Laskj, quod quando te Ioannes Rex emitebat de carcere, quod te coegit ad iuramentum, et ad obligacionem, ne vnquam auderes Cesari conqueri et declarare iniuriam tuam, super qua re Cesar valde fuit admiratus, et mouens Caput ex admiracione, percussit manu aliquociens timpanum selle sue

Tercia Causa est Cesar comisit vt te admonerem vt venias ad Cesarem et vt tangas et osculeris manum cesaris, et vt Cesari seruires, quod si volueris facere Cesar tibi soluet omnia debita tua que tibi iste Rex Ioannes non soluit, et plus dabit tibi, Et si vis esse fidelis seruitor Cesaris, Cesar dabit tibi dominium quodcunque volueris in confinibus et manus Cesaris erit semper super te nec malus puluis cadet super caput tuum

Quarta Causa est Si nunc non vis venire ad Cesaris manum osculandam, saltem vt per me Cesari significes quam spem de te Cesar habere debet, et an habeas voluntatem seruire Cesari, tunc cesar intellecta voluntate tua, sciet tecum vlterius agere et concludere de seruicijs et stipendijs tuis

Quinta Causa est Cesar fecit te interrogare cur iste Ioannes Rex tam magnum exercitum congregauit in transiluania, tunc quando Cesar Moldauiam ocupauit et petro vayvoda expulso alium voyuodam ibi colocauit, quia iste Ioannes rex negat, quod istum exercitum contra cesarem congregasset, itaque tu verum dicas Cesari quid scis de ea re

Sexta Causa Cesar te interrogat, quid scis aut quid audisti de petro voyvoda vbi sit et vbi sit vxor sua et thesauri sui, quia Cesar edoctus est quod iste Ioannes Rex habet hec omnia in potestate sua, Et Cesar cupit ab isto Ioanne rege, vt petrum voyvodam et vxorem et pueros ac thesauros suos det in manus Cesaris

Septima Causa est Cesar audiuit de te quod tu veniebas cum exercitu almanorum et hispanorum in auxilium petro voyvode, et vt eum in statum moldavie reimponeres, Cesar wlt scire an est ita vel contra quem tu exercitum duxisti

Octava Causa est Cesar fecit interrogare te quomodo stas cum Rege francie Et si potes tu ad eum secure ambulare

Exaudito isto nunccio super supra scriptis, Interrogatus nunccius an cesar pro futura estate pararet bellum versus has hic partes Respondit quod non, et dixit Cum iam Cesar transijsset pontem in reversione, venerunt ad eum quatuor sandzaczij maritimi ex trapesonto, qui interrogaverunt Cesarem, et rogauerunt vt si bellum pro estate futura facere vellet versus has hic partes, vt eos relinqueret hac hieme in servia vel bul-

garia, Et hoc ne iterum cogerentur pro futura estate fatigare se et sua animalia tam longo itinere, quibus Cesar respondit vt irent in domos suas et cum gentibus suis

Interrogatus de Rynkone Regis gallie oratore, quidnam cvm eo esset dixit quod est gallate in quadam domo sub Custodia Ieniczerorum et dantur ei omnia necessaria ad victum

Interrogatus de barbarossa et de illius armata, respondit quod omnino tota armata pro hieme reuertetur constantinopolim, Causam dixit, sed secrete, quare debet reuerti istam, quia cum Cesar prima vice vel primo vere expediebat istam armatam ad mare cum barbarossa, nullo modo potuit habere gentes ad galleas, sed fecit Cesar vbique per villas et opida vi capi et rapere gentes rusticas qui ligati et serrati magna vi pellebantur ad galleas, qua re audita villani et incole opidorum, fugierunt ex villis et opidis in partes remotas, relictis vxoribus et pueris ita quod et in hunc diem stant mvlte ville deserte, quia non audent reuerti in domos suas, isti vero qui sic vi rapti ad galleas impulsi fuerunt, quia mari insueti fuerunt, fere omnes mortui, in tantum quod gallee fuerunt deserte nec habuit barbarossa per longum tempus gentes in galleis, donec iterum ex villis et opidis maritimis vi fecit rapi magnam multitudinem populi, et ad galleas impelli, Et hi similiter sicut et primi propter aduersum eis mare, omnes mortui, in tantum quod soli Capitanei et officiales, quos turci bassas et subassas vocant, oportebant remos trahere, itaque dixit quod magnam mvltitudinem populi perdidit Cesari barbarossa hac estate in mari, quod pro estate futura eciam si vellet Cesar, nullas vel valde paucas gentes potest habere ad mare

Cui Turco ad me misso ego dixi hoc nowm, quod barbarossa preteritis diebus nunc perdidit Cesari aliquas galleas circiter octo, iste turcus ita respondit, si perdidit istas galleas, iam et ipse omnino peribit quia Cesar valde illi irascebatur ob tot gentes perditas, et omnino faciet eum Cesar interficere si nunc galleas perdidit

Interrogatus de sophi et de bagdath ciuitate que maior babilon dicitur, dixit quod Cesar aduc possidet illam Ciuitatem et quod ruinosos mvros illius fecit reedificari et fortificare, sed sandzaczij illi qui sunt ad illam partem versus sophy, frequentes mitunt postas ad Cesarem, quod non possunt ipsi soli resistere potencie sophi et valde sibi timent ab illo

Interrogatus de georgio fratre olim lodovici griti, dicit eum nendor albe esse omnino mortuum

Dixit eciam quod animalia et equi quasi infiniti turcis sunt mortui, ita quod magna illic est equorum penuria, Et turci pertesi tot expeditionibus mvltum clamant contra cesarem, quia importune et contra consilia bassarum ipse importune in persona iuerat in Moldauiam, Et dicunt turci, quod hoc negocium moldauicum potuerunt aliquot sandzaczij expedire, et non fuit necessaria tanta expedicio, que magnam iacturam animalium turcis fecit

Mathias Loboczky etc. manu propria
Georgius Warkocz manu propria

*

II.

Schreiben König Ferdinands I. an Hieronymus Laski.

Wien, 2. December 1538.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Hieronymo Lasco. *Antwort auf Nr. I. Beantwortet unter Nr. III.*

Ferdinandus etc.

Magnifice fidelis dilecte, Legimus gratiose et attente literas tuas nobis de Nuntio Turcharum, qui tecum fuit, et alijs rebus tuis copiose scriptas, nec est quod malam de te suspitionem capiamus, in cuius fide et obseruantia erga nos nihil dubitamus, Quare nihil opus fuisset tàm longa excusatione, Ceterum quod consilium nostrum requiris, quid ad proposita et relationem ipsius Turcarum Nuntij respondere et quomodo te in toto hoc negotio gerere debeas, videtur nobis certe vt ingenue fateamur hęc res magni momenti, et ampliori consyderatione deliberationeque trutinanda et perpendenda esse, vtpote que non minimam partem concernat vel fęlicitatis si maturo consilio tractetur, vel infortunij si subito precipitaretur, Quare cum omnino exposcat deliberationem diuturniorem, ex quo non solum ad Maiestatem nostram et personam tuam, verum etiam ad vniuersam Rempublicam pertinere videatur, vti caute in his ambuletur, ex rationabilibus causis optimum factu esse existimauimus, consilij nostri super ea re cogitationem in Reuerendissimi Domini Archiepiscopi Lundensis etc., quem à Cesarea Maiestate ad nos expeditum in itinere esse et forsan breui venturum intelleximus, aduentum suspendere, vt eius cum consilio possimus melius et planius super hoc negotio disputare et nos cum certo fundamento resoluere quid nobis in omnes partes desuper faciendum sit, Interim pacienter æquoque animo hanc moram expectationemque vt feras te hortamur et requirimus, Ceterum quod ad Tricesimam Arwensem attinet, scito nos omnibus modis curaturos, vti tibi secundum inscriptionem nostram debite satisfiat, ob hanc enim causam Ioannem Koskcham de Dubowecz ad nos nunc accersendum duximus, vel si ipse venire non possit vt aliquem cum pleno mandato nomine suo mittat, statutum habentes nimirum huic negotio finem talem imponere tractatione nostra cum dicto Koska vel eius procuratore fienda vt tu de inscriptione nostra honeste contentus efficiaris, vtpote qui ad ostendendam tibi gratiàm et liberalitatem nostram admodum nos propensos esse pro indubitato credere debes,

Circa querelas tuas contra Egregium Thomam Lascanum de imperatis operis et laboribus pro Munitione Arcis nostrę Saaros per Comitatus istius homines facienda inter quos etiam tuis onus idem impositum fuisse moleste fers et angeris, Etsi tales labores operasque pro reparatione Arcis illius coactas in euidentem vtilitatem et conseruationem Ditionis nostrę cum bono ordine et iuxta uniuscuiusque bona colonosque fieri demandauimus, et cum in benefitium nostrum et Regni quasi firmiorem tuitionem obrepente casu aliquo violento cederent, omnes communiter has operas presertim que alias etiam apud predecessores nostros fieri consueuerunt, exigente necessitate, non difficulter ad-

missuros esse persuasum haberemus, Tamen eo non obstante, ipsi Lascano serio commisimus vti in hoc seruitutis genere, quoad eius fieri queat, tuarum villarum subditis deinceps parcat ita vt ne posthac grauentur tali onere vltra debitum modum, Opinamur enim iam illud quod ad reparationem dicti Castri spectat vel absolutum et confectum prorsus esse vel in breui confectum iri, vt non opus sit pluribus fortasse operis, Quod si necessitas exigeret, confidimus te in nostri complacentiam plura etiam quam vel Consuetudo vel Constitutiones Regni concedant, ratione Subditorum et bonorum tuorum in partibus istis facturum esse presertim cum nihil aliud quam bonum publicum et securitas inde paretur

Quod autem petis te et bona tua ex Gubernio ipsius Lascani eximi, cum is sit Capitaneus noster in partibus istis, non videtur rationi et æquitati consonum, vt cum Locumtenens noster et alij, quoad Bona eorum, non repugnent Mandatis ipsius Lascani ex iussione nostra et offitij sui authoritate editis, tu velis totaliter esse exemptus cum bonis tuis que in istis locis habes, Nam quoad personam tuam non arbitramur ipsum tibi quidquam imperare, Sed qui gerat Magistratum illum sibi à nobis commissum huic ratione bonorum tuorum homines et subditos tuos in licitis et honestis audientes esse decet, ne confundatur offitiorum ordo, et malum alijs prebeatur ad licentiam exemplum,

Quæ obiter ad literas tuas respondenda duximus, Datę Viennæ 2. Decembris 1538

III.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Käsmarkt, 13. Jäner 1539.

Aus dem von Laski eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Antwort auf Nr. II.

Sacratissime et Serenissime Maiestati Regie Romanorum Hungarie Boemie etc. Domino dominoque meo clementissimo

Das Siegel ist abgefallen.

Humilem et perpetuam seruitutis et obedientie meę commendationem, Quemadmodum rebus omnibus in alijs dicto uestre Maiestatis obediens fui. et futurus sum semper, ita etiam obaudire nolui illius mandatum, in retinendo tantisper apud me nunctio Turcarum, donec Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus Lundensis ad uestram Maiestatem Sacratissimam rediret, tametsi eidem nunctio et suspecta et multum aduersa tanta mora fuerit, Nunc autem aduenientе Reuerendissimo Domino Archiepiscopo, supplex oro, aut uestra Maiestas informacionem mihi tribuat. quo pacto Turco respondeam, aut paciatur, ut illum dimittam reseruato responso ad personam hominis mei quem essem eo missurus, id quod laudarem ipse potius, propterea quod emerserunt quedam de quibus consilium erit uestre Maiestati Sacratissime capiendum, que cum talia sint ut scribi non possint, decreui ipse breui ad uestram Maiestatem Sacratissimam

proficisci, ibique talia declarare, et tunc quicquid uestre Sacratissime Celsitudini uisum fuerit consulcius amplectar, et demum hominem meum ad Turcam mittam, ut non solum obiret ea cum Turca que sibi imponentur, sed ut agat etiam quedam alia et exploretur etc. precor itaque faciat me uestra Maiestas eo ocius certiorem, nam presentium latorem ob id dumtaxat ad illam mitto, Porro quod Tricesimam Orawe attinet, supplex oro imponat uestra Maiestas Sacratissima his Ioannis Dubowyczky diffugijs finem, nam iste sue fabule, dignitati uestre Maiestatis derogant, et licenciam alijs tribuunt temeritatis etc. et iam uestra Maiestas illam ad manus meas tribuat, ut tandem uestre Celsitudinis promissis et munificencia gaudere possem, cui me humillime comendo. Ex Kezmark. 13. Iauuarij Anno 1539

minimus Seruitor

Hieronymus Lasky etc.

IV.

Bedenken Laski's über ein in Betreff des Königreichs Ungern an Sultan Suleiman I. zu stellendes Begehren König Ferdinands I.

(Wien, Anfang Juli's 1539.)

Aus dem von Laski eigenhändig geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

In omni peticione hec precipue sunt consideranda, primum ut peticio ostendatur esse honesta, deinde an prestari possit, tercio propter quas causas prestari debeat, postremo que inde sequatur remuneratio

Honesta est peticio et cause ob quas prestari debeat

Quoniam posset a Turca obijci, cur ipse Regnum opulentissimum. quod armis aquisiuit, uelit hosti tradere, itaque ne uideatur vestra Maiestas inhonesta petere, firmissimis racionibus occurrendum est

Primo quod regnum Hungarie, antequam illud Turca armis impeteret, a centum ferme annis per contractus pactaque et confederaciones, pertinet ad domum Austrie, tanto autem nunc magis optimo et honestissimo. ac diuino pariterque humano iure. ad uestram Maiestatem illiusque liberos pertinet, quia mortuo Rege Ludouico nulloque herede relicto, cum unica eius sorore uestre Maiestatis consorte et tot pactis ad uestram Maiestatem sit deuolutum

Deinde quod ab inicio suscepti Regiminis Hungarici vestra Maiestas quesiuit inire raciones et modos. per quos amicissime cum Turca uiuere. illudque regnum non in contemptum suum retinere posset, in omni beneuolencia coniunctioneque ac uicinitate

Neque Turca ab inicio potest se offensum a uestra Maiestate fuisse conqueri, nisi si se lesum putet, quod Regnum Hungarie. quod Ioannes dolo et fraude preoccupauerat, uestra Maiestas armis repetere contendit, et sine dubio olim Turca consensisset re-

gnum hoc uestre Maiestati retinere, nisi fuisset quibusdam racionibus per me et venetos disuasus

Deinde fiet comparatio, utri Turca honestius esset regno cessurus, an Ioanni, qui cum Rege et domino suo in aciem descendere noluit, homini stirpis ignobilis, qui nec amicis nec inimicis fidem seruat, qui contra Turcam suum benefactorem conspirationes init, et est ingratitudinis exemplum, qui Turcam venalem apud omnes Christianos appellat, qui Grittum in leuipendium Turce et illos qui cum eo erant Turcas prodidit rebusque omnibus spoliauit, apud quem nulla virtus nulla fides ac honestas est, Aut uestre Maiestati Serenissime. Regi Stirpis nobilissime. unico Cesaris Christianorum fratri. principi perpetue et inconcusse fidei constantissimique amiciciarum cultoris et obseruatoris tot Regnorum et populorum domino, Et licet per hos annos intercesserint inimicicie et bella inter vestram Maiestatem et Turcam, considerandum est et ostendendum quod non odio uel calumnijs certatum fuit et est, sed de Imperio, magnanimi enim principes uix aliter bella exercent, et sepe idcirco ex inimicissimis coniunctissimi et amicissimi fiunt, Hec omnia pulcherrimis et ornatissimis uerbis ornanda sunt et exageranda diligenter et precipue contendendum ne Turca horreat potenciam Cesaree et uestre Maiestatis. qui locus in hac legacione multum est arduus et grauissimus

Ostendendum etiam quod ad reddendum regnum hoc vestre Maiestati non est necesse ut Turca sumptum aut labores subeat, nisi quod Ioanni tanquam perfido et ingrato neque armis neque peccunia adsit. paciaturque quod vestra Maiestas eum regno pellat

Quod regnum si hoc pacto Turca consentiet a Ioanne repetere, vestra Maiestas talem eius beneuolenciam sempiterna memoria apud se retinebit, et modis omnibus conabitur gratificari Turco. vt vestra Maiestas et illius frater Cesar firmissimam amiciciam cum illo inituri et obseruaturi essent, et ipse Turca gauisurus sit semper de tali tamque arcta et toti orbi necessaria coniunctione

Preterea honorificentissimum hoc erit apud omnes orbis nationes, et magna ad immortalem gloriam accessio, quod Turca tanquam arbiter iusticie, ingratitudinem pariterque perfidiam Ioannis ulciscetur, illumque exstirpabit. et uestram Maiestatem tanquam legittimum successorem amicicia et liberalitate complectetur

Et hic omnem uestre Maiestatis (neruosissimis persuasionibus) amiciciam, gratitudinem, obseruanciamque et filiacionem comendare, illique vestram Maiestatem pro filio tradere et dedere

Remuneracio

Castrum nouum ut reddatur per uestram Maiestatem a domino fratre acceptum, item vt id etiam uestra Maiestas prestet. quod Ioannes obtulit, obtulit autem trecenta millia florenorum. sed Maiestas vestra occupato Regno illa soluere et non nunc deberet. preterea assecurare Turcam pro uera et integra amicicia Cesareę Maiestatis

V.

Denkzettel Laski's für Leonhard Freiherrn von Fels (Vels), obersten Hofmeister König Ferdinands I.

(Wien, Anfang Juli's 1539.)

Aus dem Originale wie Nr. IV. Die mit Cursivlettern gedruckten Worte sind unterstrichen, und ihnen gegenüber am Rande steht von der Hand Adam Carl's die Anmerkung: Cifferę mandatum.

Spectabilis ac Magnifice Domine etc.

Dimittat me Maiestas Regia citto ut istum Turce oratorem in polonia possem inuenire, et efficere vt simulet infirmitatem interim donec ego in reditu huc iterum meo a Maiestate Regia ad illum reuertar, et vnacumipso per Moldauiam proficiscar. quoniam est in confinijs amici mei cuiusdam castrum vbi iste Turcus me expectaret, nam per bossnam difficilius ingrediar. et Bossnensis ac Belgradi Sanzaci melius est ne intelligant negocia nostra quoniam ipsi sunt paci hostes propter lucra ex rapinis et stipendia que illis ampliora sub bellis currunt, Ego autem ex vienna duodecimo die possum esse in illo castro, et ex illo castro intra .15. dies per postas Constantinopoli

Ibo etiam nunc ad dominum Comitem de Tarnow. vt me liberet a sponsione mea ad quem sua Maiestas mittat Tranquillum vnamecum vt ipse agat nomine sue Celsitudinis

Maiestas autem Regia intra hos dies quibus ego abero de his deliberet

An castrum Nouum a Maiestate Cesaree obtinere et Turco reddere posset

An trecenta milia florenorum que Ioannes Turco promisit soluere posset

An pro fratre id est Cesaree Maiestate polliceri amiciciam et pacem Turco posset

Aiasbasse an pendere pensionem vellet Maiestas Regia omni anno ita etiam Mahmuth Czelebei et Ionusbeeg

Preterea opus erit ut his et Cassumbasse munera mittat, partem ut publice illis offerantur partim uero secrete. publice itaque dande essent pelles sabelline Aiasbasse due ligature, Cassumbasse totidem tamen viliores. Mahmuth vnam et Aga Ianizarorum aliam. Secrete autem Basse tria millia duccatorum Mahmuth Czelebei duo et Ionusbeeg mille

Scribende littere ad Cesarem ad Bassas et ad alios cum Titulo spectabili et Magnifico in numero .20.

Scribende ad Moldauum littere fidei et danda sibi bona spes. quod Maiestas Regia vellet apud Turcam laborare. vt illi restituatur adempta prouincia

Et Super omnia contendere vt citto expediar vt possem oratores polonos preuenire

Item si Turca ob fauorem Regis polonie, nollet in toto Ioannem deprimere et eicere, sed vellet vt illi restituatur patrimonium. *pro buda Transiluania Cassouia et alijs regalibus*. quid Maiestas sua facere velit

VI.

Schreiben des von Kaiser Karl V. zur Betreibung der Kundmachung des Groſs-Wardeiner Friedensvertrages an Johann von Zápolya gesandten Reichsvicekanzlers, Matthias Held, an König Ferdinand I.

Plintenburg (Visegrád), 14. Juli 1539.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Adresse und Siegel fehlen.

Serenissime atque potentissime Rex, sacræ Regiæ Maiestati vestræ inprimis deditissima mea seruitia, vnacum perpetua seruiendi fideliter voluntate, humillimè offero deuoueoque, Domine clementissime, A discessu meo ex Vienna, nihil hactenus occurrit, quod momenti alicuius esset, et hoc nomine ad Maiestatem vestram rescribendum. Discessi autem quinta die huius mensis, ex nonnullorum sententia ob securitatem, secundo flumine potius quam curribus. Soluerat autem præcedenti die Reuerendissimus Dominus Colocensis, quem postea in itinere attigi, et nonnunquam simul nauigauimus, vtplurimum vero separatim. Præuenit ille me hic vna ferè hora, idque (vt puto) composite. Ego vero quarto abitionis die, sub quintam horam pomeridianam, huc saluus appuli. Eodem die, Rex iste Ioannes, ante meridiem vnacum Regina coniuge me anteuerterat, et in fluminis ripa, multis nobilibus excipi, et in designatum hospitium deduci ordinauerat. Sesquidiem quiescere iussus, post nonnullas interpellationes, tandem decima huius, admissus sum a rege, et benigniter satis et non absque ceremonijs, ad audientiam. Exhibitis itaque credentialibus literis, quas Cæsarea Maiestas ad illum dederat, duabus pene horis, cum eo, ad prandij vsque tempus, egi, præsentibus duntaxat Dominis Colocensi et Vaciensi. Aberat enim Thesaurarius, qui tamen eodem die mox à prandio venit. Et cum eo solo, postridie iste Rex, sub prætextu (vt multi existimant) recreationis, ruri deliberauit ea quæ ego proposueram. Quorum summa, præter vulgaria beneuolentiæ et salutationis offitia, quæ tamen omnium diligentissime sum prosequutus, fuit fere Epilogus, rerum in hoc negotio prius transactarum, Et quomodo tandem ex paterna affectione, quam ambæ Cæsarea et vestra Regia Maiestates erga hoc Regnum clementer gerunt, deuentum sit ad tractatum pacis, neglecto optimo et notorio iure Maiestatis vestræ. Ex qua Concordia, præter successionem, ab obitu ipsius Regis Ioannis, nihil omnino ad Maiestatem vestram redire. Maiestates vestras omnia pacta ad vnguem seruare et præstare clementer velle, et eadem ab ipso Ioanne Rege indubitanter expectare. Et quum nihil desit, nisi vt quæ sanctè firmata, iurata et in obligationem deducta sunt, in effectum redigantur et publicentur. Idque maxime esse in benefitium Regni et contrahentium, inter alia multa, satis ostendere iuditium Cæsareæ Maiestatis, quo ad huiusmodi publicationem prius requisitus sit ipse Ioannes, per Dominum Lundensem. Cui Cæsareo iudicio accedere quamplurimas rationes à parte Maiestatis vestræ in scriptis exhibitas Reuerendissimo Domino Colocensi. Cum Enumeratione eorum quæ Viennæ acta proxime fuerunt. Et quur ego ad huiusmodi negotium absoluendum descenderim, instante etiam ad hoc dicto Domino Colocensi. Vbi obiter Cæsareæ Maiestatis commissionem

attigi. Concludendo et exhortando, vt ipse Rex Ioannes ad obseruationem et publicationem eorum quæ conclusa sunt, non tam Cæsareo iudicio innumerisque Maiestatis vestræ rationibus, quam sua voluntate deuenire velit. Alioqui Cæsaream Maiestatem, in cuius arbitrium et voluntatem articulus publicationis ab vtraque parte purè reiectus esset, non posse suam auctoritatem diutius suspendere et intermittere. Ostendendo multa incommoda, quæ aliter ex hoc negotio, in perniciem Regni et ipsius Regis Ioannis oriri possent. Institi simul pro matura responsione et expeditione, propter alias meas occupationes in rebus Cæsareæ Maiestatis, quæ hanc publicationem tam notoriè huic Regno et Regi Ioanni salutarem et vtilem, confectam magis quam conficiendam putauerit. Hæc sunt Serenissime Rex præcipua capita et loci rerum, de quibus apud hunc Regem, in prima audientia, duabus ferè (vt præmittitur) horis, egi, et quidem pro mea virili fusissime et diligentissime, sicuti Maiestas vestra in aduentu meo apertius omnia intelliget. Rex Ioannes, ad vulgaria orationis præambula, satis benigniter respondit, et inter alia, se suosque omnes plane Cæsareos asseuerauit, cum maxima obsequiorum et seruitiorum oblatione. Verum de hijs quæ ad rem ipsam pertinebant, dicebat, propter eius magnitudinem et pondus, necessarium esse vt deliberet, et ita se facturum et maturaturum responsionem promisit. Quam ego quatuor hactenus diebus, satis cupide expectaui, et quantum modeste fieri potuit, ambiui etiam. Et sub hac spe et expectatione, distuli hucusque ad Maiestatem vestram quicquam destinare. Sed quum verear has moras ad aliquot plures dies fortassis duraturas, nolui diutius silentium fouere, et potius absque argumento idoneo, quam nihil omnino scribere. Quamprimum autem aliquid maioris momenti, in hijs vel alijs rebus, successerit, non committam vt Maiestatem vestram id lateat, quæ interim hæc boni consulere dignetur, et certò sibi persuadere, me quamprimum fieri poterit, ad eandem sacram Maiestatem vestram rediturum. Sola necessitas, nulla vero voluptas me hic detinebit. Tamen si negotia ita exigere videbuntur, nihil præcipitabo. Imò feram et perferam omnia, quæ ex publico et vestræ Maiestatis vsu, quouis pacto erunt. De hoc Maiestas vestra sit in vtramque (vt dicitur) aurem secura. Nihil quoque intermittam, vt ad scopum omnia resoluantur, ne Maiestas vestra suo malo in ancipiti diutius hærere cogatur. Ita tamen et eo moderamine, vt res ista, si mea opera melior fieri non poterit, saltem deterior etiam non fiat. Conueni per hos dies, Dominum Thesaurarium et alios huius Regis Magnates, a quibus varia intelligo, ob quæ non absque causa varie quoque afficior, De quibus in aduentu meo. Nouarum rerum hic nihil boni dicitur, quod saltem publice expediat. Sed quæ apud bonos omnes in expectatione certa sunt, hic præpostere detorquentur. Dicunt enim Cæsaream Maiestatem hoc anno non traiecturam. Regem Galliæ suscepisse tractatum generalium induciarum, hoc tantum nomine, vt Italicam confoederationem dissipet. In reliquis plusquam hostilia moliri. Præfatus Dominus Thesaurarius certò mihi retulit, Turcam trecenta vela iam destinare contra Cæsaream Maiestatem, sub auspitio Barbarossæ. Et auocari omnes milites in confinibus huius Regni, ad recuperandum castrum nouum. Vnde quid de inducijs sperandum facile iudicari potest. Ex Germania, Hungari isti nihil boni præsagiunt. Videntur autem mea sententia, scire omnia monstra quæ illic aluntur. Deus perdat tam infidos et

curiosos relatores. Mebec Bassa Belgradiensis habuit nuncium apud hunc Regem, quem ad filiæ nuptias inuitauit. Sed dimissus est nuncius, splendidis muneribus auctus, ob quæ ille destinatus, hoc colore, creditur. In summa, hic confusa omnia video, et parum a Constantinopoli distare. Dominus Caspar Wintzerer grauatè fert Saluumconductum Maiestatis vestræ Germanicum quem vna cum hijs remitti pecijt, ob denegatam Maiestatis vestræ aulam. Supplicat vt denuò illi Germanicè expediatur Securitas redeundi, iuxta exemplum latinum, quo superiori anno Maiestas vestra illi clementer prospexisse dicitur. Videtur huiusmodi petitio, absque Maiestatis vestræ incommodo locum habere posse. Et ipse Wintzerer suo malo tandem doctus, nihil æque ac gratiam Maiestatis vestræ se ambire dicit. Quam sacram Maiestatem vestram deus optimus maximus in fœlici Regimine et prosperrimo rerum omnium successu, clementer conseruare dignetur. Eidem sacræ Maiestati vestræ tamquam Domino meo clementissimo, me deditissime et humillime commendo. Præcipitanter, Ex Vicegrado, die quartadecima Iulij, 1539.

Sacræ Maiestatis vestræ

fidelissimus et humillimus Seruus,

Matthias Held doctor etc

VII.

Schreiben Laski's an Leonhard Freiherrn von Fels.

Krakau, 22. Juli 1539.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus - Archive. Adresse und Siegel fehlen.

Spectabilis ac Magnifice Domine Domine amice maior colendissime

Salutem et seruitutis mee comendacionem, Ea que hic Dominus Scheynach in negocio fratris mei transegit, intelliget uestra Magnificencia ex eo, sed quoniam magno mihi usui et ornamento Sacratissime Maiestatis Regie comendatio fuit, uolo hanc benignitatem sue Celsitudini corpore uitaque et sanguine demereri meo, et ob id pauca de hac re uerba faciam

Scripseram hinc ante sex dies uestre Magnificencie, quomodo Turca et Basse coram oratore Serenissimi huius hic Regis turpiter Regem Ioannem obloquuti sunt, accusantes quod Rex Polonie, tam impuro et sordido homini filiam suam locarit, cui Turca esset propter ingentes suas fraudes et ingratitudinem infensissimus

Dixit etiam Aiasbassa oratori Polono, Ego inquit sum amicus Regi tuo, et quia doleo tristiciam suam, quam habiturus ex filia sua Ioanni Regi nupta, significo tibi secrete, quod hic apud Imperatorem meum sunt nunctij a Rege Francie et Venetis, qui agunt pro inducijs cum Carolo Cesare pontificeque ac Romanorum Rege, ad quas suscipiendas iam Imperator meus habet animum, de Rege uero Ioanne nemo est, qui in tanta Imperatoris mei ira aliquid agat, et solus Ioannes Rex nihil curat, quare Rex tuus Polonie si amat filiam suam et Ioannem, mittat huc oratorem solemnem, mittat alium Ioan-

*

nes, et querat vterque quod reconcilietur Ioannes Imperatori meo, quoniam ruina pendet ex debili filo, que capud Ioannis si cadet conteret

Misit itaque Rex Polonie eundem oratorem ad Ioannem Regem, ut illi talia aperiat, obtulitque Rex iste hic missurum se sua causa oratorem solemnem, iamque est designatus orator quidam amicus meus, qui tamen uix ante festum Michaelis Turcam conueniet, Hec uestra Magnificencia declarabit Maiestati sue, bonum enim esset, si posset Sacratissima Regia Maiestas tenere modum, ne Rex Ioannes sit aliquarum parcium homo, quoniam sic eum semper sua Celsitudo in obsequio haberet, quoniam ego timeo, ne si cum Turca in graciam redeat, sit nimis subtilis semper erga Maiestatem suam futurus, quia noui hominem et scio quid scribo, Quoniam autem intelligo Dominum Mathiam Helth apud Ioannem Regem publicationem pacis promouere, uidetur mihi, si accedere in sentenciam Cesaree Maiestatis et Sacratissime Regie Celsitudinis noluerit, quod honeste et iuste preueniantur isti oratores apud Turcam, et Ioannes Rex nullarum partium faciatur, Regnumque Hungarie paruo negocio ueniat ad manus Maiestatis Regie sine suspicione doli et fraudis eorum qui solent esse subtiles, qua ratione autem id apud Turcam agere debeamus, non dubito uestram Magnificenciam modum unacum alijs consiliarijs inuenturam, nam ego licet sim industria debili scirem suadere ac exequi, Alia non sunt, Comendo me gracie uestre Magnificencie ceu domino meo amicoque maiori colendissimo. Cracouie .22. Iulij die Anno 1539

Deditissimus Seruitor

Hieronymus de Lasko etc.
manu sua

Fuit hic orator Moldaui, qui me tanquam Sacratissime Regie Romanorum etc. Maiestatis consiliarium conuenit, rogauitque nomine sui Wayuode, ut apud Maiestatem suam saluumconductum oratori eius petro warthyk Marsalco Curie wayuode Moldauie impetrarem, quoniam uellet suum oratorem ad suam Maiestatem mittere, uideretur itaque mihi daret sua Maiestas in personam istius petri Warthyk aut cuiuscunque alterius litteras fidei, quas uestra Magnificencia Domino Warkocz dabit, ut eas ad me transmittat, cupit tamen id quam secretissime fiat, quoniam timet ne Rex Ioannes eum apud Turcam accuset

VIII.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Krakau, 24. Juli 1539.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Die Adresse wie bei Nr. I. Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel zeigt das Wappen Korab, zu welchem die Familie Laski gehört. Beantwortet unter Nr. XII.

Sacra et Serenissima Maiestas Regia et Domine Domine clementissime

Perpetuam seruitutis et obediencie mee comendacionem, Quia neque uerbis nec etiam litteris satis condigne agere et habere gratiarumactiones possum, pro ea uestre

Maiestatis Serenissime benignitate et humanitate, qua est in comendatione fratris mei Domini prepositi Gneznensis apud Serenissimum Dominum meum Polonie Regem, per nunctium suum Dominum Sebastianum Schaynach usa, omni meo conatu studioque unacum fratribus meis et familia mea, perquam humillime contendam, seruitute fideque et diligentia mea perpetuo mereri, proque uestre Sacratissime Celsitudinis bono et commodo, corpus hoc meum, uitamque, et facultates, omnibus periculis exponere incunctanter uolo et polliceor, Qui tametsi non ad plenum per Serenissimum Dominum Polonie Regem exauditus existam, tamen maximo mihi usui et ornamento uestre Sacratissime Maiestatis clementissima comendacio fuit, data enim mihi non parua neque ambigua spes est, de primo quocunque Episcopatu uacaturo, id quod totum uestre Sacratissime Maiestatis gracie et benignitati acceptum refero, meamque perpetuam seruitutem et obedientiam supplex comendo

Scripsi quedam Spectabili ac Magnifico Domino MagistroCurie que arbitrabar scitu uestre Maiestatis Serenissime esse necessaria etc. Cracouie .24. Iulij Anno 1539

Minimus Seruitor

Hieronymus de Lasko etc.
manu sua

IX.

Schreiben des Reichsvicekanzlers, Matthias Held, an König Ferdinand I.

Plintenburg, 25. Juli 1539.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Sacræ Romanorum Hungariæ et Bohemiæ etc. Regiæ Maiestati etc. Domino meo clementissimo.

Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel zeigt das Wappen Held's.

Serenissime atque potentissime Rex, deditissimis seruitijs meis, Maiestati vestræ fidelissime præmissis, Clementissime domine, Non possum sacræ Maiestati vestræ non conqueri de magnis tædijs, quæ vltra iustum etiam fastidium, cogor ab isto Rege et suis indies deuorare. Et quanto magis ego abitionem quouis prætextu molior, tanto diligentius isti nectunt, fingunt et refingunt moras, et causas me diutius detinendi. In omnes me ferè partes hactenus moui, et nihil reliqui intentatum, vt horum hominum astutias et malicias expugnarem, sed parum promoui. Septimus hodie dies agitur, quo Rex iste, post longam satis, hoc est decem dierum deliberationem, tandem ad ea quæ Cæsareæ Maiestatis nomine proposueram, respondit. Quæ certe responsio parum mihi visa est differre, ab hijs quæ Viennæ egit Dominus Colocensis, nisi quod verba quædam in Cæsaream et vestram præcipuè Maiestatem stringebantur, quæ per iugulum in auctores retorsi. Erat autem verborum quæ mihi dabantur longa series, quam Dominus Vaciensis ne a præscriptis forte aberraret, ex scheda legit magis, quam dixerat. Excusabat autem ille memoriæ lubricum. Quæ omnia nunc reponere haud necesse est. Fiet autem in redi-

tu diligentissime. Summa vero Responsi fuit. Publicationem fieri non debere, ne turcæ in perniciem huius regni irritentur, cum magna amplificatione Promissi Londensis, cui hæc petitio publicationis ex diametro quoque aduersaretur. Inducias tamen et conclusam pacem, hunc Regem omnino seruare velle, sicuti ei nihil imputari possit, quod hucusque a sua parte sit neglectum. Multis etiam sesquipedalibus verbis me inhortabatur, vt mediam personam in hoc negotio sustinere vellem, absque omni affectione in partes Maiestatis vestræ. Huiusmodi responsionis centones mox replicando confutaui bonis rationibus, atque inter alia ostendi publicationem solum pendere ex arbitratu Cæsareæ Maiestatis, non requiri consensum ipsius Regis Ioannis vel sacræ Maiestatis vestræ, qui consensus diserte et pure in iurato tractatu sit ab vtraque parte in Cæsareæ Maiestatis voluntatem reiectus. Et Cæsaream Maiestatem eo casu quo inter Maiestatem vestram sacram et Regem Ioannem, super huiusmodi articulo, non conuenerit, iam statuisse et mihi iniunxisse, quid fieri debeat. Asserebam etiam ex multis causis absurdum et intolerabile, etiamsi publicatio intermitti nunc deberet, quod cætera omnia publicationi coniuncta, ob id non deberent in effectum redigi. In quibus tamen huius pacis conseruatio maximopere consisteret. Præcipue quantum attinet, ad securitatem successionis, quam Maiestas vestra non posset neque deberet diutius in suspenso relinquere. De qua securitate ipse Rex Ioannes ne verbum quidem fecisset. In summa, vltra duas horas Replicatio mea durauit, qua effectum fuit, quod ipse Rex Ioannes absque interprete benignius omnia bonis verbis leniebat, maxime ea quæ Cæsaream Maiestatem respiciunt. Post multa tandem colloquia, vltro citroque, obtulit Rex Ioannes se velle cogitare et proponere modos ac media securitatis ad successionem. Et quod omnes articuli alij inducia-rum et pacis, potissimum obseruationes iudiciorum, sine dilatione celebrentur, et omnia bono fine hic concludantur, cum multis alijs oblationibus, quæ tunc mihi non displicebant. Ante tres dies mecum egerunt secretiores Consiliarij eius multis horis, sed non pro oblatione eorum Regis neque pro mea expectatione. Inter alia, priorem quoque mihi cecinerunt cantilenam, ne videlicet magis afficerer Maiestati vestræ quam ipsorum Regi. Quæ res toties inculcata non caret artificio. Ego in responsione nihil neglexi. Abierunt itaque a me, ea spe, vt intra paucos dies bene hinc dimittar et expediar. Interim tamen omnia protelantur, et sentio istum Regem Ioannem nullum aliud nunc mihi illudendi remedium habere, nisi vt aliunde superueniant periculosæ nouitates vel incursiones Turcarum, quibus se explicare possit. Alioqui cogetur velit nolit, ad punctum (quod aiunt) respondere. Isti sui omnes magis anxij sunt quam vnquam fuerint. Videntur lupum auribus tenere, neque rationem habere, qua me dimittant vel retineant diutius. Quicquid successerit quamprimum intelliget Maiestas vestra vel scriptis meis vel coram. Loci huius molestiæ non minores sunt quam rerum tractandarum. Certe cum tanto tædio vix vnquam alicubi vixi. Quod ad Ducem Meckelburgensem attinet, Respondeo Illustrissimæ Dominationi Eiusdem literis, ex quarum exemplo, Maiestas vestra Regia intelliget me nihil iniunctum habere a Cæsarea Maiestate quod illi referre possim, puto tamen ex multis causis quas coram Maiestate vestra dicam negotium desperatum, in quo ego nunquam præfatum Illustrissimum Principem alere volui, neque deinceps alam. Hæc præci-

pitanter, et ex inopinato scribo Maiestati vestræ quum ita se offerret Dominus Stephanus Canonicus Vaciensis, qui isthuc ad Maiestatem vestram proficiscitur in negotio quorumdam subditorum Domini Wolfgangi Hamponis, sicuti Maiestas vestra ab eodem intelliget, et in ea re quod huiusmodi subditorum protectioni, et suæ Regiæ auctoritati conuenire videbitur aget. In particularibus negotijs, quæ multa hic occurrunt, ex querelis subditorum Maiestatis vestræ, nihil hactenus etiam resolutum fuit. Exhibui in omnibus fere Memorialia, vt res magis inculcetur. Negotium contra Podmanitzky diligenter sollicito, exhibui designationem iuxta exemplum adiunctum. Gaspari Wintzerer si huc ex Buda redierit et pecierit tradam saluumconductum Maiestatis vestræ quem si admiserit nec ne parum laboro. Illius enim patrocinium sicuti nunquam suscepi ita deinceps nunquam sum contra voluntatem Maiestatis vestræ suscepturus. Eidem Maiestati vestræ tamquam Domino meo clementissimo me deditissime et humillime commendo. Ex Vicegrado xxv die Iulij 1539.

Aliam destinandi ansam nactus, has non Domino Stephano, sed Domino Prouisori arcis Strigoniensis, commisi.

Sacræ Maiestatis vestræ

Deditissimus et humillimus Seruitor,

Matthias Held doctor etc.

X.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Tarnow, 26. Juli 1539.

Aus dem doppelt versiegelt gewesenen, eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Die Adresse wie bei Nr. I. Beantwortet unter Nr. XII.

Sacratissima Maiestas Regia et Domine Domine clementissime

Perpetuam Seruitutis et obediencie commendacionem, Dominus Lascanus oppressus est quemadmodum uestra Maiestas cognoscet ex litteris Domini Loboczki, quas uestre Maiestati scribit, quas ego errore credens mihi pertinere, attonitus hoc nouo aperui, precor itaque parcat mihi Sacratissima vestra Celsitudo quod isto errore fracte sint

Ego ibam obuiam oratori Turco, qui mecum exoptat presens esse. hinc tamen iam reccurro, et omni fide et diligentia rebus vestre Maiestatis Serenissime prouidebo. iamque currendo colligam certos equites et pedites neque parcam impensis propter graciam vestre Maiestatis

Rogo faciat me vestra Maiestas certiorem, si ob hoc facinus dignabitur aliquid contra Ioannem agere. ut ego etiam facerem prouisionem,

Preterea precor si ita est quod sit Dominus Lascanus mortuus uelit me vestra Maiestas his ciuitatibus preficere. quoniam fidem vitamque et reliqua omnia uestre Maiestati dedicaui iam semel, et ita mori decreui. Raptim Ex Tarnow in crastino Sancti Iacobi 1539

Hieronymus de Lasko etc.
manu sua

XI.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Käsmarkt, 27. Juli 1539.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Beantwortet unter Nr. XII.

Sacratissime Maiestati Regie etc. etc.

Das Siegel wie bei Nr. VIII.

Sacratissima Maiestas Regia et Domine Domine clementissime

Perpetue seruitutis et obediencie meę humillimam comendacionem, Ex Cracouia ad oratorem Turcarum qui in polonia in itinere morbo grauatus substitit ibam, quoniam optabat ut illum conuenirem, ubi die Sancti Iacobi consequutus fuit me a coniuge mea nunctius, qui cladem pariterque mortem Domini Lascani declarauit, quod cum ego intellexissem, mox reuerso equo huc cucurri, et heri .22. miliaria emensus sum hicque ueni

Ad Dominum Vernerum quem in Saros esse intellexi misi et scripsi, ut doceat me, si equitibus, si peccunia, si peditibus, aut uictualibus opus sit, uelle me his omnibus consulere et prouidere, personamque etiam meam offerre etc., nescio. quid responsi habuero, quicquid tamen erit necessarium. pro uirili mea exequar,

Sacratissima Maiestas Regia, scripsi uestre Maiestati Serenissime breuibus nuper quid Turca de Rege Ioanne Regi Serenissimo polonie nunctiauit, et quibus illum titulis decorauit, scripsi etiam opinionem meam in quantum noluerit publicationem pacis inite manifestare, nunc etiam obticere pro fide mea neque possum neque uolo Regem Ioannem facere contra dignitatem uestre Serenissime Maiestatis, qui subtilitatibus suis uult illam gubernare, fuccatisque coloribus paliare mentis sue insidias, dat enim ex una parte rationes, quod Turcarum intuitu bonoque respectu publicare pacem non possit, cum tamen Turcam sciat sibi esse infensissimum, et hoc pacto gestit, uelle Hungarie regnum bonis cum Turca practicis ex simultatibus saluare,

Potest autem Rex Ioannes contendere Regnum a Turca practicis suis saluare, sed intencio talis est eius, ut id non in bonum uestre Maiestatis cedat, quare quum uideat Maiestas uestra, et nunc in hoc successu Domini Lascani, preterea in neglecta pacis publicacione, datam esse uestre Celsitudini iustam causam agendi contra illum, uelit uestra Maiestas tot iam iniurias mature et consulte perpendere, et ostendere orbi, quod quamcunque uestra Maiestas fecerat cum Ioanne concordiam, fecerat eam non ex re sua, sed propter bonum publicum, multaque illi ob comunem tranquillitatem condonasse, sed cum ipse sit et vestre Maiestatis et Sacratissime Cesaree Maiestatis contemptor, iam extra dignitatem fore, si suis simulacionibus accedat vestra Maiestas, et faciat se per nasum ut aiunt in foueam duci

Mittat uestra Maiestas ad Turcam, et laboret, ne se intromittat, quando vestra Maiestas contendet Ioannem Regem armis impetere, quoniam Turca timet sibi a Cesarea Maiestate et uestra Celsitudine, et pocius eius desiderio accedet, quam ut Regi Ioan-

ni, quem ipse perniciosissime odit, assistat, perpendat enim uestra Maiestas, Dominum deum nolle ut Turca comunibus Cristianorum consilijs armisque et opibus agrediatur, et ob id suadeo quod uestra Maiestas bene et in tempore cum Turca sentiat, non tamen in detrimentum reipublice Cristiane sicuti fecerunt alij, sed in utile etc. et in suam liberorumque ac subditorum suorum Tranquillitatem

Sacratissime Rex iam multo Regnum Hungarie predecessores uestre Maiestatis et etiam uestram Celsitudinem constitit, sed nunc paruo precio hoc regnum sibi et pueris lucrare uestra Maiestas potest, Regnum autem Hungarie est aliquid et eiuscemodi ut uestra Maiestas una et cum Cesarea Celsitudine maiorem sibi laudem reipubliceque accessionem parare non possent in nulla re alia, quam si hoc regnum sibi et Cristianitati seruarent

Si autem vestra Maiestas Serenissima eam occasionem obmittet, Turca ad Regis Polonie Serenissimi instanciam, qui ibi causa Ioannis Regis oratorem mittet breui, redibit cum Ioanne Rege in graciam, et demum erunt omnia difficiliora, preterea nulla hic uestre Maiestatis dignitati Regie fit accessio, quod Ioannes ad multas uestre Maiestatis exhortaciones pacem publicare recusat, cogitant hic aliquid Germani, cogitant Itali, cogitant Hungari et alij populi etc.

Obticere autem nolo in eum euentum, me a uestra Sacratissima Maiestate Tranquillum ex Captiuitate liberasse, in eum etiam usum eum apud me in hanc diem retinuisse, ut si quando cum Turca practicandum foret, quod uestre Maiestati Serenissime operam utilem nauare posset, pro cuius fide et diligencia semper me uadem faciam, itaque premittendus iste esset ad Turcam propter iacienda fundamenta et inficiendas Serenissimi Regis polonie practicas, quas est in fauorem Regis Ioannis facturus, Tranquillus autem est Turce et suis Bassis bene notus, Ego uero deinde, et nunc etiam, non grauarer ad Turcam uestre Maiestatis causa domini mei clementissimi proficisci, quamuis inde letalem Serenissimorum polonie Regum indignationem mihi pollicear, si Regis Ioannis rebus obesse uelim, sed propter Maiestatem vestram talia ego non curo, quoniam hic directe contra Serenissimum Regem Polonie Dominum meum nihil fecerim, nisi contra Ioannem Regem, cui ego iam diu renunctiaui, et graciam uestre Maiestatis Sacratissime eius beneuolencie pretuli

Postquam autem ob Lascani malum istum casum sum redire huc coactus, misi ad oratorem Turcarum Secretarium meum hominem bene occulatum, qui quicquid afferet, Maiestas vestra Sacratissima breui cognoscere dignabitur, quoniam nihil hic negligentie committam

Fuissem nunc Sacratissime Rex et domine clementissime ad uestram Maiestatem profectus, ut alia quedam uestre Maiestati declarassem, prefecturamque istarum Ciuitatum impetrassem, ne ita semper alijs hic subsim, sed malui uestre Maiestati bono quam priuato consulere, manebo itaque hic hos dies dies, et equites peditesque parabo, ut si opus foret prouidere his locis possem,

Sed uestram Maiestatem rogo uelit uestra Maiestas perpendere meam apud se propensionem qui ab inicio, nunquam vestram Maiestatem grauabam sicuti fecerunt alij nunc hoc nunc aliud emungengo

Recordetur etiam uestra Maiestas Sacratissima, me anno superiore, magnis premijs per Regem Ioannem et coniugem suam in obsequia sua fuisse tractum, me tamen mutare locum noluisse, non aliam ob causam, quam propter amorem, quo uestram Celsitudinem obseruo et colo, et utinam uestra Maiestas posset cordis mei penetralia dispicere, cognosceret propensissimum amorem meum, sine quo nullus in mundo seruitor domino suo bene et utiliter seruire potest, Nouissime etiam Vienne quando apud uestram Maiestatem fui, dixi, uestram me Celsitudinem omnibus alijs principibus preferre, neque commissurum ut ab illa diuellar, modo ratio persone mee haberetur, ubi uestra Maiestas Serenissima per Magnificum Dominum Leonardum offerebat mihi centum Scuttorum in menses singulos prouisionem, ut sic expectarem officij in Danubio mei successum, sed ego non ex stulticia neque ex contemptu eiuscemodi prouisioni accedere nolui, uoluique ut intelligat uestra Maiestas Serenissima me illi non propter peccuniam uel stipendia seruire, sed propter graciam eius et augendam famam existimationemque apud amicos et inimicos ex benignitate uestre Serenissime Celsitudinis

Quare postquam nunc sic sors, et domini Lascani insufficiencia attulit, quod hec ciuitates et loca prefecto careant, Rogo humillime uelit uestra Celsitudo huic me prefecture preficere, ut hic in domo mea cum existimatione mea et auctoritate possem Maiestati uestre Serenissime seruire, quoniam quando pro eadem prefectura Boemiam ad illam miseram, responderat uestra Maiestas, non posse Lascano uiro de se probe merito sine sua indignitate aufferre, uolebatque uestra Maiestas ut boni consulerem. id quod etiam feci, Nunc iam dominus Lascanus sublatus est, ego uero hic domum et mansionem habeo, hic habeo poloniam ad manum, hic amicos, hic magis quam ullo alio in loco uestre Maiestati Sacratissime. et in isto presenti casu, et in futuris contingentibus euentibus seruire possum, Non quero autem hinc emolumenta, aut ut uestra Maiestas magno me hic impendio alat, sed hoc quero ut cum honestate et reputacione in his locis maneam, neque semper alijs subsim, Profecto Sacratissima Maiestas erubesco, quod sic multa uerba pro ea prefectura feci, sed quoniam promotoribus careo et absens sum, dignabitur uestra Celsitudo Serenissima hoc multiloquium pro sua benignitatè complecti

Domino Lascano capud ab humeris absectum et lanceę infixum Cassouiam pro triumpho ita latum esse dicitur, sed mortuus est certe et alij omnes potiores, ego hic nulla re sum ciuitatibus defuturus, modo me faciant certiorem

Has meas litteras precor, nemo ex dominis Hungaris uideat, quoniam timeo ne talia Rex Ioannes et demum polonie Rex presciat, nam multa solet Ioannes Rex scire, que in Consilio Maiestatis uestre fiunt, ubi non omnes Hungaros consiliarios accuso, sed denique est inter eos quidam etc. nam si hoc Rex polonie presciret letalem mihi indignationem lucrarer etc.

Comendo cum his seruitutem obedientiamque meam uestre Serenissime Maiestati domino dominoque meo clementissimo. Ex Kezmark 27 Iulij Anno 1539

Minimus Seruitor

Hieronymus de Lasko etc.
manu sua

XII.

Schreiben König Ferdinands I. an Hieronymus Laski.

Wien, 6. August 1539.

Aus dem Concepte Adam Carl's. Überschrift: Hieronymo à Lasko. *Antwort auf Nr. VIII, X, und XI.*

Ferdinandus etc.

Magnifice fidelis dilecte, Reddite sunt nobis abs te ternę Literæ, vnę ex Cracouia 24 altere ex Tarnow 25 et vltime ex Kezmark 27 Iulij proxime preteriti ad nos scripte, quas diligenter legimus et ea quę de Turcicis deque Ioannis Regis rebus scripsisti clementi prorsus abs te animo suscepimus, et pro ipsarum magnitudine bene perpendimus et consyderauimus, planè perspicientes te ad istiusmodi ardua negotia prudentes cogitationes et non inania consilia conferre, Sed quia nostra totiusque Reipublice plurimum interest, tàm magni momenti res altius maturiorique deliberatione trutinare, priusquam id quod melius videatur statuamus, cogitabimus apud nos quid nobis in ijs faciendum sit et nos deinde cum certo beneque deliberato consilio resoluemus, Requirentes te gratiose, vt de reliquis explorandis similem curam operamque adhibere studeas, nosque singulo quoque tempore de eisdem commonefacias, nolumus autem te latere Sacram Cesaream Maiestatem certo constituisse hoc autumno ex Hispanijs in Italiam soluere

Ceterum indignam cedem nostrorum Militum atque Ciuium presertim Thomæ Lascani iampridem percepimus, et ex ea merito summam contraximus molestiam, et necessario nos adigi per istorum improbitatem videmus vt de vijs et rationibus idoneis ineundis cogitemus, per quas Subditi nostri in pace et quiete conseruari defendique possint, sicuti cum tempore intelliges, Etenim statim vti hunc casum successisse audiuimus de repentinis prouisionibus faciendis ordinem dedimus, et Magnifico Caspari Seredy tanquam veteri partium istarum Capitaneo tuendę ditionis istic nostre curam demandauimus eique in locum demortui Lascani suffecto prefecturam commisimus, In qua re non videtur pro nunc conueniens esse vt aliquid mutemus, Sed tuam oblationem non nisi grata mente accipimus et probamus, et nobis quidem nunquam voluntas deerit ad gratificandum tibi si qua dabitur occasio, Id quod tibi gratiose significandum duximus, Datum Viennæ 5ta Augusti 1539

XIII.

Vorstellung Laski's an König Ferdinand I.

(Wien, Anfang Septembers 1539.)

Aus dem doppelt versiegelt gewesenen, eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Die Adresse wie bei Nr. XI. Das eine Siegel fehlt; das andere, noch vorhandene, zeigt das Wappen Korab.

Sacratissima Maiestas Regia, iam restant. 19. dumtaxat dięs, quibus mihi conueniendus Turcarum nunctius, quare rogo acceleret vestra Maiestas, quoniam difficillimus esset mihi ingressus in Turciam sine isto oratore, qui mihi est sanguine iunctus

*

Perpendat etiam vestra Maiestas. quod etiam, si me hodie uestra Celsitudo absolueret, non citius potero ad Turcam peruenire nisi circa finem .8.bris mensis

Mora autem est perniciosa tum propter oratores Ioannis et Polonie Regum, tum etiam propter reditum Barbarosse. qui triumpho suo faciet imperatorem insolescere, et erit nostre intencioni hostis

Suspicor etiam. quod orator Cristiani Regis qui hic fuit, postquam sit uenetias profectus conferat se ad Turcam, quoniam Rex Gallie contendet Turcarum amicicia res suas in authoritate manutenere, neque patietur in quantum erit possibile ut illo inuito et inscio Turca, cum alijs Cristianis principibus pacem ineat

Mei etiam omnes amici. quos ego officijs et premijs in beneuolenciam pertraxaram omnes dempto Ionus Beeg occubuere, id quod etiam non paruum est mihi impedimentum

Hec propterea scripsi ut ostendam duabus rebus opus nos habere, ut intencione nostra gaudere uelimus, vna est, vt maiori qua possibile est festinatione Turca conueniatur, alia est, ut consiliarij eius largicione corrumpantur, et instructioni per vestram Maiestatem facte omni ego fide et diligentia inheream, id quod sine dubio sum facturus

Ad cittam profectionem opus est, scribat uestra Maiestas litteras credentiarum in personam Tranquilli ad Moldauum, ut eum quinque ante aduentum meum diebus prior conueniat, et faciat Moldauum mecum conuenire. dando sibi spem quod vestra Maiestas per se et amicos suos aget apud Turcam pro restitutione ablate prouincie, et quod tanto ocius curaret, ut ad Turcam possem penetrare, dicet etiam de saluoconductu quem vestra Maiestas illius oratori dedit, et eundem Moldauo reddet

Ego autem quinto post Tranquillum die conuenirem Moldauum et tandem festinantissime proficiscerer, cum Tranquillo autem premitterem currum meum cum rebus dempta peccunia

Qualia uero munera sint danda. et quibus personis, cognoscet uestra Maiestas ex adiuncta ceda, que Tranquillus consilio oratoris Turcarum scripsit, quoniam ego non potui propter suspicionem cum ipso multum tractare. placetque mihi sua in his consultacio et sentencia, que profecto ad rem tantam parua admodum sunt, quoniam ego Regis Ioannis nomine circiter 60000 florenorum elargitus fueram, in peccunijs et in rebus etc.

Sacratissima Maiestas Regia, video mihi subeandam esse arduam et periculosissimam prouinciam, quia sine saluoconductu, quia sub indicibili peste, quia ad infensissimum Maiestatis Cesareę et uestre Celsitudinis hostem, quia ad superbientem ex uictoria Castelli noui, quia contra mentem Regum Polonie et Ioannis, et nolo dicere Francie, tamen sciat vestra Maiestas, quod me summa festinacione presentabo illi Imperatori, ibique nullos conatus modosque et rationes obmittam, ut uoto suo uestra Maiestas frui posset, Spemque in domino deo habeo, quod tam pio et multis populis necessario operi per benignitatem suam diuinam fauebit, tamen si contingat me ibi captiuitatem incidere, supplex oro agat uestra Maiestas in eo casu eum et ita Cristianum principem, quemadmodum ego pro uestra Maiestate faciam, et consulat aut per Francie Regem aut per Venetos eliberationi mee, habeatque uestra Maiestas meam coniugem et liberos meos

in protectione sua, quibus per testamentum, quod in forma consueta his diebus faciam scribi, nestram Serenissimam Maiestatem tutorem et protectorem eligo et testamento lego etc.

Sacratissima vestra Maiestas dignabitur me et coniugem meam liberosque meos assecurare litteris suis pro 14000 florenorum in spacio sex mensium soluendorum

Mittat etiam vestra Maiestas ad Dominum Turzonem pro eliberacione trium villarum. et uideretur mihi Warkocz ad eam rem bonus

Alia dedi domino Leonardo in scriptis quedam parua

Hieronymus de Lasko etc.
manu sua

XIV.

Vollmacht König Ferdinands I. für Hieronymus Laski bei Dessen Sendung an Sultan Suleiman I.

Wien, 8. September 1539.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Mandatum pro Hieronymo à Lasco.

Ferdinandus etc. Recognoscimus et notum facimus tenore præsentium Vniuersis, Quod Quum nouam quandam et arctiorem Pacem et Amicitiam cum Serenissimo et Potentissimo Principe Domino Soleymanno Imperatore Turcharum ac Asiæ et Græcię bona fide inire suscipereque cupiamus illamque solidiori vnionis nexu corroborari vehementer desyderemus, Nos itaque de fide integritate et rerum agendarum industria Magnifici Hieronymi à Lasco, Palatini Syradiensis, Consiliarij et Oratoris nostri, fidelis nobis dilecti plenam fidutiam gerentes sponte et ex certa nostra scientia, animoque bene deliberato, omnibusque melioribus modo via iure causa et forma quibus magis melius et efficatius de iure potuimus et debuimus ac possumus et debemus præfatum Hieronymum à Lasco, Mandatarium Actorem factorem negotijque infrascripti gestorem et Nuntium spetialem et generalem, ita tamen quod spetialitas generalitati non deroget nec econtra elegimus nominauimus creauimus fecimus et constituimus prout eligimus nominamus creamus facimus et constituimus per præsentes, Dantes et concedentes eidem Hieronymo à Lasco tanquam legitimo et indubitato Mandatario nostro plenam facultatem auctoritatem et potestatem dictam pacem Amicitiam vnionemque cum præfato Turcarum Cesare vel Agentibus aut Commissarijs suis ad hoc interuenire habentibus et ab eo eligendis et deputandis, pro nobis ac vniuersis Regnis Prouintijs et Dominijs nostris eorumque Subditis quibuscunque ineundi suscipiendi stabiliendi necnon super alijs à pace et vnione huiusmodi dependentibus emergentibus annexis et connexis agendi paciscendi transigendi et concludendi libere vel sub conditionibus prout à nobis iuxta spetialem Instructionem nostram sibi traditam accepit in mandatis Nosque superinde erga ipsum Cesarem et alios pro eorum efficatia maiori obligandi et obstringendi, et generaliter omnia alia et singula faciendi dicendi gerendi exercendi promittendi iurandi et recipiendi, quæ nos-

met faceremus et ageremus ac facere et agere possemus, si præmissis omnibus et singulis præsentes et personaliter interessemus, etiam si talia forent, que Mandatum exigerent magis spetiale quam præsentibus est expressum, Promittentes insuper et pollicentes in verbo nostro Regio nos perpetuo ratum gratum firmum validumque habiturum totũ id et quicquid per dictum Hieronymum à Lasco Consiliarium et Oratorem nostrum secundum Instructionis Mandatorumque nostrorum tenorem actum factum gestum tractatum promissum receptum pactum et conclusum fuerit in præmissis seu quolibet præmissorum, nec contra illud vllo vnquam tempore directe vel indirecte facturos aut contrauenturos, Releuantes nihilominus eundem Consiliarium et Oratorem nostrum ac releuare volentes ab omnibus oneribus, quæ forsan ipsum prædictorum occasione sustinere oporteret aut contingeret, omni dolo fraudeque remotis, Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum et sigilli nostri appensione munitarum, Datum Viennę 8ᵃᵉ Septembris 1539

XV.

Beglaubigungsschreiben König Ferdinands I. für Hieronymus Laski an Sultan Suleiman I.

Wien, 8. September 1539.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Cesari Turcarum.

Serenissimo et Potentissimo Principi Domino Soleymanno Imperatori Turcharum ac Asię et Grecię Ferdinandus Diuina fauente Clementia Romanorum Hungarię Bohemię etc. Rex Infans Hispaniarum Archidux Austrie etc. Salutem et continuum debitę obseruantię beneuolentisque animi Augmentum Serenissime Princeps Commisimus Magnifico Hieronymo à Lasco Palatino Syradiensi Consiliario et Oratori nostro fideli nobis dilecto nonnulla Magnitudini vestrę nomine nostro exponenda sicut Magnitudo vestra ab eo coram intelligere dignabitur, Quare Magnitudinem vestram enixe rogamus, vt dictum Oratorem nostrum benigno vultu audire, illique in his quę de voluntate desyderioque nostro sibi verbis nostris dixerit plenam et indubitatam fidem adhibere; seque ita superinde gerere et exhibere velit prout plane confidimus, et Magnitudinem vestram omnino facturam esse speramus, Cui nos obsequiose offerimus et commendamus, Datum Viennæ 8ᵃᵉ Septembris 1539

XVI.

Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an Andere.

Wien, 8. September 1539.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Credentiales.

Ferdinandus etc.

Spectabilis et Magnifice syncere dilecte, Salutem, Commisimus Magnifico Hieronymo à Lasco Palatino Syradiensi Consiliario et Oratori nostro fideli nobis dilecto non-

nulla vobis nomine nostro referenda, sicuti ab eo coram intelligetis, quę cum de mente et voluntate nostra procedant, vos ideo impense et perquam studiose hortamur, vt eidem Oratori nostro in his, quę verbis nostris vobis exponet, plenam et indubitatam fidem adhibere, vosque superinde ita gerere et exhibere velitis, prout in vos plane confidimus et nostra erga vos gratia liberalitateque regia omnino compensabimus, Datum 8va Septembris 1539

Fiant decem cum suprascripto titulo in simili
Item decem cum titulo Magnifice et Præstans

XVII.

Beglaubigungsschreiben Desselben für Tranquillus Andronicus an Stephan, Wojwoden der Moldau.

Wien, 9. September 1539.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Wayuodæ Moldauiensi Stephano.

Ferdinandus etc.

Spectabilis et Magnifice syncere dilecte, Commisimus Egregio fideli nobis dilecto Tranquillo Andronico nonnulla vobis nomine nostro exponenda, sicut coram ab eo intelligetis, Quare vos requirimus et hortamur, vt ei in ijs quę sic verbis nostris referet plenam et indubitatam fidem adhibere vosque superinde ita gerere velitis prout in vos clementer confidimus, Quod gratia nostra regia recognoscemus, Datum Viennę 9na Septembris 1539

XVIII.

Schreiben Desselben an Alexius Thurzó.

Wien, 9. September 1539.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Turzoni.

Ferdinandus etc.

Spectabilis et Magnifice fidelis dilecte, Ostendit nobis Magnificus fidelis nobis dilectus Hieronymus à Lasco Palatinus Syradiensis Consiliarius noster sibi a pluribus in Regno nostro Hungarię tendi insidias, Quare vt ab ijs melius sibi cauere possit, *tibi* harum serie firmiter committimus et volumus, vt illum de præsenti in certis negotijs nostris expeditum cum comitiua equis curribus idque genus alijs quantum satis est et necessarium ad loca sibi secura deduci omnino *facias*, Nostram in eo expressam et omnimodam *executurus* voluntatem, Datum Viennæ 9na Septembris 1539

vobis

curetis

executuri

In simili mutatis mutandis
Prudentes et Circumspecti fideles dilecti

XIX.

Schreiben des Matthias Lobodzki an König Ferdinand I.

Käsmarkt, 29. November 1539.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Beantwortet unter Nr. XX.

Sacre ac Sacratissime Romanorum Hungarie Bohemieque etc. Regie Maiestati domino et domino Clementissimo

Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel zeigt das Wappen Iastrzębiec, zu welchem die Familie Lobodzki gehört.

Sacra ac sacratissima Regia Maiestas et domine domine Clementissime

Premissa fidelissimorum seruiciorum meorum ac perpetue seruitutis mee commendacione, Non dubito Clementissime Rex non excidisse Maiestati vestre ex memoria, quod ad Maiestatem vestram miseram nunccium, Significando Maiestati vestre, que hic in scepusio Marsalcus et Capitaneus Serenissimi domini Regis polonie patrauit, Circa hoc significaueram eciam Maiestati vestre de quibusdam Litteris subditorum Regis polonie in falsitate suspectis, totusque in eo fueram cum egregio petro polankay, vt potuissemus querere et inuestigare originem talis falsitatis, Cumque ad id faciendum me totum iam composuissem, Interuenerunt interim rumores et noua ex varijs partibus, quomodo faccio partis aduerse Mathias videlicet bazo de Muran et podmaniczky, dolis malis agerent quo pacto Ciuitatem Kesmark circumvenire et intercipere possent, Vnde sit fomes talium eorum conatuum, ita Maiestas intelligat, sicuti ego non ex wlgaribus domini Lasky et meis amicis accepi, Quod serenissima domina Regina polonie intellecta profeccione ista domini Lasky in turciam, vehementer illi ob hoc rebusque illius omnibus infensa est, adeo quod eciam iram suam erga illum manifestauerit palam dicendo, Ve michi, numquam, inquit, plus timui ab aliquo homine sicuti nunc ab ipso Lasky timeo, Et subiunxit, Ecce Lasky in turciam profectus est in ruinam Regis Ioannis et filie mee, Et mvlta alia que longum esset describere, illa serenissima Regina, contra dominum Lasky ob talem illius profeccionem irata loquuta est, Qua re intellecta comvnes amici domini Lasky et mei, nuncciauerunt michi, vt omni qua possem diligencia Ciuitatem Kesmark custodirem, Suboluisse se aliquid nuncciantes, quomodo ipsa Serenissima domina Regina polonie dedisset consilium Regi Ioanni, vt Kesmark Ciuitatem quibuscumque modis posset interciperet, rata fortassis, vt si hunc locum in hungaria dominus Lasky amiteret, ipse et vxor sua oporterent in Regno polonie manere, Sicque et Rex Ioannes in hungaria, et ipsa Serenissima domina Regina polonie in polonia, facile vindicarentur in domino Lasky hanc illius in turciam profeccionem, Multaque molitur et consultat illa Serenissima domina Regina, quo pacto dominum Lasky et illius honorem pesundare possit, Quibus Rebus ego intellectis, bene prouisis castris meis, ipse in Kesmark maneo, nichil pro possibilitate mea omitens, quod ad prouisionem, contra maleuolencium machinaciones, pertinet, Nec aduc habui tantum temporis vt potuissem

ab hinc discedere, et ire ad capitulum Scepusiense, vt cum petro polankay falsitatem illam inquisivissemus, Interim tamen egi quod secundum comissionem Maiestatis vestre, Castellanus Magnifici domini Tursonis de Castro Scepusiensi, captiuauit illum quondam notarium capituli, qui ex mvltis causis de illa falsitate suspectus est, Itaque si Serenissimus dominus Rex polonie miserit ad Maiestatem vestram vel ad dominum tursonem in causa captiui illius notarij, Maiestas vestra et dominus turso dicant aliquam aliam causam captiuitatis illius notarij, de falsitate vero nulla aduc fiat mencio, nemo enim scit causam captiuitatis ipsius notarij, de qua re volui Maiestatem vestram in tempore esse avisatam vt et Maiestas vestra domino tursoni hoc significaret

Preterea Clementissime domine non ab re esset, vt propter meas hic circa Ciuitatem Kesmark ocupaciones, ac eciam propter Serenissimi domini Regis polonie in me iram et vindictam, Maiestas vestra Sacratissima adderet domino petro polankay aliquem alium, et precipue georgium varkocz aulicum Maiestatis vestre, cuius eciam res agitur, qui talem falsitatem et in capitulo inuestigaret et captiwm examinare sciret, Ego eciam in ea re consilio eis non deessem, quod si Maiestas vestra fecerit, necessarie erunt alie littere preceptorie ad Capitulum scepusiense et ad conuentum Iasow in personam ipsius georgij varkocz et petri polankay vt in eorum presencia omnes scepusiensium metarum perquirantur littere

Quod vero ad prouisionem Ciuitatis Kesmark atinet, Rogo Maiestatem vestram Sacratissimam, velit Maiestas vestra adiuuare me centum peditibus, qui essent hic in Custodia Ciuitatis Kesmark, Et licet ego vna cum vxore domini Lasky, que hic est et cum puerulis suis, conduxi pedites tot quot potui pro Ciuitatis presidio, at tamen aduc indigerem centum peditibus, sumptum vero non habeo, vt eos soluere et conducere possem, Scio quidem certo quod dominus Casper Scheredi Capitaneus Maiestatis vestre, non deerit michi foris tempore necessitatis, Sed tamen et ille continuo hic esse non potest, nec eciam liceret illi illas partes vbi castra sua habet relinquere exutas presidijs, Ego reuera Clementissime domine de foris a nulla vi timeo, sed intus non confido aliquibus Ciuibus Ciuitatis Kesmark, et avisatus sum aliunde aliquid prodicionis fore inter aliquos ex eis, nondum tamen expiscari potui quidquam quidnam sit illud, aut qui sint illi, nichilominus illis parum confido, scio enim in cordibus eorum aduc herere innatum hereditarium affectum erga Regem Ioannem cuius hereditarij semper fuerunt, Itaque maioribus presidigis si sumptus michi esset intus indigerem, Non est opus germanis peditibus et qui sumptu magno indigerent, inuenirentur hic pedites boni, qui duorum florenorum stipendio pro mense contenti essent, sicut et alios hic conduxi

Et licet nesciam Sacratissime Rex ac domine clementissime, an dominus Lasky ad tam longum iter per Maiestatem vestram missus sit, vel an ipse ex sua aliqua priuata necessitate tanto itineri ac tam periculoso se commiserit, nichil enim neque michi, neque alicui ex suis, preter hoc quod in franciam proficisci debuit, dixerat, que res eciam summe vxorculam illius conturbauit, immo et in aduersam valitudinem congecit, quod nesciuerit de tali illius profeccione in turciam, vtcumque sit, hoc certo scio, vbi vbi ille sit, et quidquid agat, illum esse optimvm ac fidelem Maiestatis vestre seruitorem, Qui

si reuertetur, merebitur Maiestati vestre, si Maiestas vestra aliquam impensam in conseruanda ciuitate sua Kesmark fecerit

Quod superest, Maiestatem vestram Sacratissimam feliciter et cum tota domo Maiestatis vestre valere desidero, cum felici Maiestatis vestre dominiorum incremento, Cuius Maiestatis gracie me et mea fidelissima seruicia comendo, Datum ex Kesmark, vigesima nona nouembris anno domini .1.5.3.9.

Eiusdem Maiestatis vestre Sacratissime

fidelis seruitor

Mathias Loboczky etc. manu propria

XX.

Schreiben König Ferdinands I. an Matthias Lobodzki.

Wien, 15. December 1539.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Loboczky. *Antwort auf Nr. XIX.*

Ferdinandus etc.

Strenue fidelis dilecte, Accepimus literas tuas de xxviiij Mensis Nouembris quibus nos certiores facis prolixe, periculum esse ne oppidum Kesmarck certorum hominum machinatione intercipiatur, captumque esse iam illum quondam Notarium Capituli Scepusiensis, qui ex multis causis de intercipiendo illo oppido suspectus habeatur, quantum autem huc attinet totam mentem et voluntatem nostram ex literis nostris quas cum his accipies poteris cognoscere itaque te ad illas reijcimus,

Verum de presidijs in idem oppidum collocandis, deque opportuna munitione facienda, Annuimus sane propter fidelia et grata seruitia Spectabilis et Magnifici nobis dilecti Hieronymi à Lasko uti dica tam de bonis suis quam de tuis proueniens in vsum duntaxat tuendi conseruandique istius oppidi retineri et impendi possit, prout literas eiuscemodi consensus nostri similiter his adiunximus

Porro vbi flagitas vti Egregium fidelem nobis dilectum Georgium Warkocz aulę nostrę familiarem pro eius oppidi tuitione isthuc emandare velimus, id quidem ultro facturi plane fuissemus nisi profectio nostra ad Cæsaream Maiestatem quam propediem ingressuri sumus consilium nostrum immutasset, Quare mandamus tibi, ut de suscepta ista tua cura nihil ipse remittas, sed in eam ut debes fideliter incumbas, desque operam ut non modo ne oppidum illud cęteraque Lasky bona quicquam detrimenti capiant, sed et uxor liberique eius in tuto maneant, tuaque opera consilio et auxilio subinde iuuentur et conseruentur, id quod de tua in nos fide nobis pollicemur, gratiaque nostra Regia quandoque recognoscemus, Datum Viennę die 15 Decembris Anno 39

XXI.

Schreiben Desselben an Anna Laska.

Wien, 15. December 1539.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Vxori Lasky.

Ferdinandus etc.

Spectabilis et Magnifica fidelis nobis grata, Quoniam Maritus tuus Spectabilis et Magnificus fidelis nobis dilectus Hieronymus à Lasko Palatinus Syradiensis Consiliarius noster hoc tempore à te abest, eiusque prȩsentia frui tibi non licet, Nos pro paterno nostro rerum suarum tuarumque studio mandauimus Strenuo fideli nobis dilecto Mathię Loboczky Consiliario nostro negotiumque ei dedimus ut interim pro tua incolumitate liberorumque tuorum ac bonorum omnium conseruatione nihil laboris curę diligentięque prętermittat, sed suo consilio et auxilio vbique prȩsto tibi sit ne absente Marito tuo quicquam forte detrimenti capias aut aliqua lȩsione damnoue et iniuria afficiaris, quod quidem ne fiat, utque magis instructam te reddere, et aliorum insidias, si quę fuerint, depellere possis, permisimus iam consensumque dedimus ut Dicam prȩsentem tam ex bonis ipsius Loboczky quam Mariti tui prouenientem retinere et pro commodo bonorum tuorum administrare possis et valeas, id quod tibi gratiose significandum duximus, vti scires res Mariti tui tuasque omnes pro eo ac debent magnę nobis curę esse et semper fore, Datum Viennę die 15 Decembris Anno 39

XXII.

Schreiben Desselben an Hieronymus Laski.

Wien, 16. December 1539.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Hieronymo Lasky. *Am Rande links:* Ciffra, *und weiter unten:* Duplicatæ.

Ferdinandus etc.

Magnifice fidelis dilecte, Certiorem te clementer reddimus plȩrosque homines male habere profectionem istam tuam in Turciam, ideoque tibi infensiores esse, ut adeo haud parum vereamur ne tibi quoquo modo in reditu insidię struantur, et ad te intercipiendum machinationes subornentur, quas quidem ut certius vitare, tuaque incommoda facilius propulsare queas, volumus hortamurque te ut reditum tuum caute prudenterque instituas, ac ut nobis videtur per Bossniam aut Ragusium potius quam uel Poloniam uel Hungariam iter facias, curesque diligenter ne te usquam prȩcipites in itinere aut periculo personam tuam exponas, quod si vero aliquid literarum ad nos dare velis, non inconsultum erit illas similiter per Bossniam aut Ragusium et non per Poloniam uel Hungariam ad nos transmittere, scribas tamen primo quoque tempore, magno enim desyderio tenemur ea omnia quę per te hactenus acta et transacta sunt, cognoscendi

*

Cæterum scripsit ad nos Maiestas Cæsarea se decreuisse in Flandriam idque per Galliam proficisci, nullumque sibi dubium esse quin Deo volente circa medium Ianuarij emenso toto itinere in Flandria sit futura, petens à nobis ut eo quoque ueniremus, siquidem et Rex Gallię adesse certo statuisset, Sumus itaque in procinctu et propediem iter ingressuri, sperantes eum Conuentum toti Christianitati maximas vtilitates allaturum, id quod te quoque scire voluimus, Datum Viennę die 16 Decembris Anno 39

Postscripta scire te uolumus Fratrem Georgium cum amplissimis promissis in legatione à Ioanne ad Turcam esse emandatum, illumque omnes vias tentaturum esse, omnesque insidias structurum, quibus te è medio tollere possit

XXIII.

Schreiben des königlichen Secretärs Paul Bornemisza an König Ferdinand I.

Gran, 20. December 1539.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Sacre Regie Maiestati Domino meo Clementissimo

Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel zeigt das Wappen Bornemisza's.

Sacra Regia Maiestas domine Clementissime, Pręmissa fidelium seruiciorum meorum in graciam Maiestatis Vestrę Sacrę Commendacione, Strigonium ueni Sabato quod fuit xx^{a} Decembris, Hic audiui pro certo Regem Ioannem, Buda, celeri itinere, Varadinum uersus, die xvij^{a} eiusdem Mensis, discessisse, relicta Regina Budę, Frater Georgius cum eo abiuit, quem post paucos dies, cum centum electissimis Equitibus, Constantinopolim expedire constituit de Varadino, pro quo publicę Suplicaciones Budę et pręcaciones factę sunt, iussu Regis, pro fęlici illius discessu et reditu, Cęterum Prouisor Arcis Strigoniensis dixit mihi quod a quibusdam intellexisset Hieronymum Lasky Constantinopoli detentum esse, usque ad aduentum Nuncij Regis Ioannis, qui illuc die penultima Octobris peruenerat,

Hęc ex itinere ad Vestram Maiestatem Sacram exaraui, nunc recta per Budam, Varadinum, celeri cursu, proficiscar mandata Vestrę Sacrę Maiestatis fideliter executurus, quicquid noui habuero, ex Buda rursus ad Maiestatem Vestram Sacram perscribam, in cuius Graciam me humiliter commendo, Quam deus optimus maximus seruet incolumem toti Reipublicę Christianę, datę Strigonij die xx^{a} Decembris anno domini 1539

Eiusdem Vestrę Sacrę Maiestatis

perpetuus Seruitor

Paulus Bornemyssa

XXIV.

Schreiben König Ferdinands I. an Chosrew Beg, Sandschakbeg von Bosna.

Wien, 29. December 1539.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Bassæ Bosnensi.

Ferdinandus etc.

Magnifice et Prȩstans Vir, Dedimus inprȩsentiarum literas ad Magnificum Hieronymum à Lasko Palatinum Syradiensem, easque una cum his ad vos transmittendas duximus, propterea quod sua opera diligentiaque ad Curiam Excellentissimi et Potentissimi Turcarum Cæsaris, apud quem nunc agit, facile celeriterque perferri possint, quoniam autem prȩfati Cæsaris magnopere interest plurimumque refert, ut eędem literę quam primum quamque celerrime ad manus dicti Lasky perueniant, Idcirco maiorem in modum clementer vos hortamur velitis ad id studium vestrum adhibere et non tam nostra quam eiusdem Cæsaris causa nihil in eo uel laboris uel festinationis prętermittere, Id quod nobis in primis gratum erit, et sicubi dabitur occasio sane perbenigne recognoscemus, Datum Viennę die 29 Decembris Anno 39

XXV.

Schreiben der Königinn Anna, Gemahlinn König Ferdinands I., an Alexius Thurzó.

Wien, 5. Februar 1540.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Thurzoni.

Anna etc.

Spectabilis et Magnifice fidelis dilecte, Venit hodie ad nos ex Turcia rediens Spectabilis et Magnificus fidelis nobis dilectus Hierȯnymus à Lasko Palatinus Syradiensis ostenditque nobis se Inducias a Turcarum Imperatore attulisse, sed quousque et quibus conditionibus illę confectę sint rescire non potuimus, Habet autem literas ad Serenissimum Principem Dominum et Conthoralem nostrum dilectissimum in quibus hæc omnia explicate continentur, eas non visum fuit nobis aperire, verum quoniam idem Lasky per equos dispositos magnis itineribus ad prȩfatum Serenissimum Dominum et Conthoralem nostrum profecturus est, satius esse duximus de hoc toto negotio certam et plenam informationem à Dilectione sua expetere, quam indubie quanto otyus fieri poterit nos percepturas confidimus, Mandantes interea tibi firmiter, uti illos qui in Confinijs Regni Sclauonię sunt superinde certiores quam primum quamque celerrime facias et ut vicissim se pacifice gerant, nullas excursiones faciant, nullamque hostilitatem et vim quoquo modo exerceant, mandes, desque omnem operam vt omnibus sumptibus qui pro conducendis equitibus et comparandis copijs hoc tempore fieri debebant parcatur et ut nulla stipendia distribuantur, quamquam tamen ea quoque ineunda ratio est, ut prȩparatio interim ad bellum et apparatus necessarij ne desint aut intermittantur, sed in eum

euentum iusta etiam et oportuna prouisio fiat quo non omnino imparati aut non vigiles esse reperiamur, siquidem hic hostis versutus est et callidus, qui suas occasiones non negligit, prout longa experientia passim sensimus, quare vigilandum erit solicite et diligenti exploratione subinde peruestigandum, quid hostis agat, quid machinetur, qúorsum animum adijciat, ut tanto celerius pro rerum occurrentium conditione consilium capere, et remedium adhibere possimus, quicquid autem ad nos a memorato Serenissimo Domino et Conthorale nostro allatum fuerit, tecum protinus communicabimus, ut te rebus omnibus pro Dilectionis suę sententia accommodare valeas, Nostram in pręmissis seriam exequuturus voluntatem, Datum Viennę die 5 Februarij Anno 40

XXVI.

Schreiben der Königinn Anna an Peter Keglewitsch, Ban von Dalmatien, Kroatien und Slawonien.

Wien, 5. Februar 1540.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Petro Keglewyth.

Anna etc.

Magnifice fidelis dilecte, Rediens ex Turcia Spectabilis et Magnificus fidelis nobis dilectus Hieronymus a Lasko venit ad nos asseruitque se Inducias a Turcarum Imperatore adferre et propterea sese in procinctu esse ut quam primum per equos dispositos ad Serenissimum Principem Dominum et Conthoralem nostrum Dilectissimum proficiscatur, cui etiam literas ab eodem Imperatore Turcarum esset redditurus, Quoniam autem ad quod tempus et sub quibus conditionibus illę Inducię confectę essent, urgentius ab ipso sciscitari nolebamus, eaque omnia in dictis literis expressa esse intelleximus, nihil certi donec prędatus Serenissimus Dominus et Conthoralis noster plenam informationem ad nos dederit, inprędentiarum superinde tibi scribere possumus, Hoc vnum duntaxat tibi strictissime interim mandantes, ut statim acceptis lectisque his literis nostris ijs qui in Confinijs istis sunt prędipue uero in Zeng Ottoschitz Wihitsch et Repitsch alijsque locis circumcirca mandes, ut se vicissim ab armis contineant, nullamque hostibus occasionem et ansam prębeant, qua ad violandas istiusmodi Inducias merito incitentur, deinde etiam iniungas ut quoniam hosti fidere non satis tutum sit, diligenter sibi ipsis prouideant, ne ex improuiso opprimantur, et damnum capiant, Tu vero quoque ante omnia curabis ut accuratissime explorationes quid Turcæ agitent, quid consilij captent, subornentur et exerceantur, vt nos de omnibus quam celerrime certiores reddere possis, nam nos licet Inducias firmiter obseruare statuimus idque ipsum iam Generali Capitaneo designato alijsque quorum interest iniunximus, tamen nolumus prorsus esse securę, quin iussimus iam ut eæ etiam prouisiones et prędarationes fiant quę in omnem euentum necessarię futurę sunt, id quod tibi gratiose significandum duximus, Datum Viennę die 5 Februarij Anno 40

XXVII.

Schreiben des Alexius Thurzó an König Ferdinand I.

Schintau (Sempthe), 18. Februar 1540.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geheimen Haus-Archive. Beantwortet unter Nr. XXXIV.

Sacratissime Regie Maiestati Domino meo clementissimo ad manus proprias Cito

Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel zeigt das Wappen Thurzó's.

Sacratissima Maiestas Domine clementissime

Premissa fidelium Seruiciorum meorum humillima Commendacione etc. Ea que Iohannes Rex cum suis agitabat et consultabat Waradini quam sint consona et conformia pacis tractatibus inter Maiestatem vestram et illum iureiurando firmatis, nemo est qui non videat et non intelligat, hinc Maiestas vestra facile elicere potest, quid et in futurum ab illo sperari debeat, maxime cum vxor illius Regina sit pregnans, que si masculum enixa fuerit partum, exponetur misera Hungaria nouis periculis et calamitatibus, et Maiestati vestre noue cure accrescent, quibus meo iudicio primo quoque tempore maxime si cum Turca pax certa concludi poterit, occurrendum foret, tentabit enim et in posterum Iohannes omnibus modis et maximis largicionibus aput Turcam pro se et heredibus suis eam partem Regni quam nunc possidet obtinere, neglectis vt premisi omnibus federibus cum Maiestate vestra initis, sicuti et modo facere intendebat cum esset Waradini per suum fratrem georgium, cum quo volebat ire precipuos Nobiles et Hungarie et Transilvanie ad prestandam obedienciam, et censum, ac omnem subieccionem Cesari Turcarum, Ista quanta pericula afferant non modo Regnis Maiestatis vestre, verum et toti reipublice cristiane, facile omnibus liquet, Si enim Turca Regnum Hungarie in potestate sua, vel ad arbitrium suum habeat, nouit Maiestas vestra quam diu possint stare Regna Maiestatis vestre, Nunc se commoditas omnis offert hisce negocijs prospiciendi, nam Maiestas vestra est nunc presens aput Sacratissimam Cesaream Maiestatem, que iam vnita est cum Rege gallorum, Iohannes Rex est exosus Turce, a quo alioquin nunquam aliud preter dolos fraudes et violaciones federum expectari possunt, nunc instandum, nunc laborandum, vt hoc Regnum in quietum statum commodo reipublice cristiane, et Regnorum liberorumque Maiestatis vestre collocari possit, vno vel alio modo, de quibus Maiestas vestra sat consilij habet, Non est autem multum confidendum in privata pace cum Turca, crederem esse tucius, quod ista pax vel inducie fierent communi omnium cristianorum principum nomine, vel saltem principum confederatorum, quam ob leues enim causas soleat Turca cum vno vel altero principe violare federa, Maiestas vestra suo malo experta est, Sub hijs nichilominus pacis tractatibus cum Turca, non est omittendum quin fiant provisiones solite, ymo apparentur belli necessaria, ne Turca solitis dolis nos inparatos aggrediatur, Interea Maiestas vestra intellectis hijs que dominus Lasky attulit dignabitur nos de statu rerum informare quibus eciam hic negocia Maiestatis vestre conformari possint, Expecto et ego exploratores ex Turcia in horas, Credat autem michi Maiestas vestra (id enim ex bonis et certis locis

habeo) Iohannem nichil minus cogitare quam conclusam pacem execucioni demandare, imo vel ex presentibus inducijs facile apparebit cuius animi sit erga Maiestatem vestram, Orator polonus aduc est Bude aput Iohannem, vrget assignari Regine super certis bonis terrestribus dotem et intertencionem, sed et secreto agit quo pacto eciam opera Regis sui Res Ioannis cum Turca componi possint, Ego cras me hinc conferam Posonium, hactenus hic non recte sanus coactus fui manere, Cum hijs me et fidelia seruicia mea Maiestati vestre humillime commendo, In Sempthe 18. Februarij Anno 1540.

fidelis Seruitor
Thurzo

XXVIII.

Schreiben der Königinn Anna an Thomas Nádasdy.

Wien, 19. Februar 1540.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Nadaschdy.

Anna etc.

Magnifice fidelis dilecte, Redditę sunt nobis literę tuę de feria quinta post Cinerum in quibus humillime flagitas ut te super Inducijs per Spectabilem et Magnificum fidelem nobis dilectum Hieronymum a Lasko Palatinum Syradiensem allatis certiorem reddere dignaremur quo ita nimirum rebus Castrorum tuorum quę in Confinijs Turcarum sunt facilius certiusque accommodare te possis, ad quas ipsas literas hoc tibi inpręsentiarum clementer respondendum duximus, Venisse ad nos quidem superioribus diebus Hieronymum a Lasko, attulisseque a Turcarum Cæsare inducias sed quod ad tempus duraturę et quibus modis confectę fuerint rescire sane non potuisse nam literas in quibus illa omnia continebantur non visum fuit aperire, eundem itaque sic ad Serenissimum Principem Dominum et Conthoralem nostrum dilectissimum per equos dispositos iter arripientem dimisimus literasque simul ad prędictum Serenissimum Dominum et Conthoralem nostrum ei dedimus petentes quatenus nos dilectio et Maiestas sua celeriter edoceret et expressam informationem super prędictis inducijs ad nos mitteret, quemadmodum etiam iam indies resolutionem et responsum eiusmodi expectamus, Quod cum allatum fuerit non patiemur te illud ignorare

Cæterum quemadmodum interea temporis Prouinciarum nostrarum Statibus, Generali Capitaneo, Regnorum istorum Bano cęterisque nonnullis mandauimus, ut se donec responsum habuerimus, ab armis contineant, nullamque Turcis vim inferant, ita tibi quoque mandamus uti idem facias, sed nihilominus bonam cautionem adhibeas diligentique inuestigatione explores et perlustres quid Turcę agitent quid moliantur et machinentur, ne si ex improuiso, sicut eorum mos est, in ista loca erumpere tentent, nulla prouisio nulla obsistendi ratio prępparatioque in procinctu esse videatur, et si quid huiusmodi certi exploratique habueris id nobis quam citissime potes significes, Id quod te pro tua prudentia fide et constantia sedulo et indefesse curaturum plane confidimus, Datum Viennę die 19 Februarij Anno 40

XXIX.

Schreiben König Ferdinands I. an Alexius Thurzó.

Luxemburg, 21. Februar 1540.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Turzoni.

Ferdinandus etc.

Spectabilis et Magnifice fidelis dilecte. Quamuis iam antea acceperis a Serenissima Conthorale nostra Charissima id quod de Inducijs Turcicis actum sit, nihilominus tibi Nos quoque clementer significare voluimus Magnificum Hieronymum a Lascko Palatinum Syradiensem Consiliarium nostrum fidelem nobis dilectum ad Nos peruenisse, qui nobis retulit, se Constantinopoli fuisse, et quod sub eodem tempore illuc etiam Cæsar Canthelmus Orator Regis Gallorum peruenerit, ad pertractandum iamdudum ceptum negotium Induciarum inter ligam Christianam et Turcharum Principem, quodque sic in huiusmodi tractationibus tam nostro quam dictę ligę nomine obtentę sint Inducię durature ad sex menses a die prima Ianuarij proxime preteriti computandos, Quod tibi ultra priorem notificationem a Serenissima Conthorale nostra acceptam ideo significare uoluimus, ut quantum ad te spectat iussu et mandato nostro cures atque efficias, quo eiusmodi Inducię inuiolabiliter obseruentur, et dicto communi hosti ansa illas infringendi non prebeatur, Nostram in eo seriam et omnimodam executurus voluntatem, Datum in Ciuitate Lucenburga die 21 Februarij 1540.

XXX.

Schreiben Desselben an Peter Keglewitsch.

Luxemburg, 21. Februar 1540.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Keglewith Bano. *Die mit Cursivlettern gedruckte Stelle ist unterstrichen.*

Ferdinandus etc.

Magnifice fidelis dilecte. Significamus tibi Nos pro bono et commodo Regnorum, Prouinciarum, ac fidelium Subditorum nostrorum cum Turcharum Cæsare Inducias sex Mensium, qui primo die Ianuarij proxime preteriti currere inceperunt, iniuisse, Cum itaque deceat et omnino uelimus, ut firmiter inuiolabiliterque obseruentur, Tibi serio ac sub graui indignatione nostra districte precipiendo mandamus, ut durantibus eiusmodi semestribus Inducijs contra prouincias et homines dicto Cęsari Turcharum subiectos nihil tale per te ipsum uel alios committere, aggredi, uel tentare presumas, quod aduersum eiusmodi Inducias factum vel attentatum existimari, uel dictus Princeps Turcharum ansam illas infringendi inde arripere possit, sed potius ab omni violentia et contraria actione ita penitus abstineas ut per Nos non stare appareat quo minus illę firmiter

et inuiolabiliter obseruentur, *Quod quidem etiam apud Subditos istos nostros ex officio tuo per te curari atque effici uolumus*, Nostram in eo omnino seriam et expressam executurus voluntatem. Datum in Ciuitate Lucenburga die 21 Februarij 1540.

In simili Thomę Nadasdy Ladislao More Francisco Thay Eg. Francisco Zay dempta clausula subducta

XXXI.

Schreiben des Alexius Thurzó an König Ferdinand I.

Schintau, 22. Februar 1540.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Adresse und Siegel wie bei Nr. XXVII.

Sacratissima Maiestas Domine clementissime etc.

Premissa fidelium Seruiciorum meorum humillima commendacione. Maiestas vestra scire dignetur quod Commissarij Iohannis Regis ex Strigonio discesserunt, causantes, mandati litteras Maiestatis vestre in personam Pauli Karol produci non potuisse, cuius autem negligencia littere ille non sunt expedite, reddant racionem Maiestati vestre, et cum alioquin Iohannes Rex semper abhorruerit ab istis iudicijs Commissariorum, facile hinc occasionem accepit, vt illa intermitterentur, et alioquin nulla michi vnquam spes fuit quod ista iudicia eciam si fuissent celebrata vllam execucionem per Iohannem accepissent. Quid multis? Maiestas vestra querat vna cum consilio et auxilio Cesaree Maiestatis res suas in regno Hungarie stabilire, quia illa que hactenus inter Maiestatem vestram et Iohannem tractata et conclusa sunt, nunquam sorcientur effectum, et nichil minus cogitat Iohannes et maior pars suorum adherencium, quam vt Maiestas vestra in regno Hungarie succedat, et hoc ipsum querunt eciam aput Turcam efficere varijs artibus, sicuti ex bonis et certis locis hoc assequi potui, et postremo verget hoc non modo in detrimentum Maiestatis vestre, sed periculum quoque regnorum suorum. Quid enim hoc aliud est, quod Iohannes intendit, quam regnum hoc tradere in potestatem Turcarum, quantum autem bona pars Hungarorum turcizat, Maiestas vestra nouit. Ego nunc crederem omnibus modis, auxilio Cesaree Maiestatis et Regis Gallorum, querendas esse vias, quibus obtineri posset aput Turcam, vt pateretur Maiestatem vestram esse dominum et regem regni Hungarie secluso Iohanne, eciam si non modo racione Hungarie, sed eciam aliorum regnorum et prouinciarum suarum esset illi aliquid magni contribuendum. Ego alioquin video hec regna breui peritura, paruam eciam spem habeo in concordia principum cristianorum que raro diu durare solet, et circa hanc noue semper emergunt vix complanande difficultates. Cum nunc Turca aliquantisper sit commotus contra Iohannem Regem facilius Maiestas vestra desiderio suo aput illum potiretur. Alioquin studet nunc Iohannes maximis muneribus quibus potest animum Turce iratum placare et Bassas corrumpere, quo facto res Maiestatis vestre nunquam succedent. Ista fortassis etsi insipienter, sinceriter tamen Maiestati vestre propono, neque ea suaderem,

nisi viderem plane Iohannem cum Maiestate vestra mala fide et dolose procedere. At longum eciam est expectare Maiestati vestre et Regnis suis vt potentatus reipublice cristiane omnes vniti tam potentem hostem, vt est Cesar Turcarum, a nostris et suis ceruicibus propellant, et vix aliquo alio tempore ita commodo Maiestas vestra, vti premisi, rebus suis et regnorum suorum consulere potest, quam nunc in presencia Cesaree Maiestatis et rebus nunc vndequaque sic stantibus. Subtimendum eciam, ne quod nunc videretur faciundum vel tractandum cum Turca per Maiestatem vestram honestiori via, tandem subditi Maiestatis vestre compulsi extrema necessitate ad turpiora et magis periculosa, accepto primum maximo incommodo, cum Turca condescendant, que et Maiestati vestre non parum detrimenti afferrent. Hec a me ita sinceriter et fideli animo ad Maiestatem vestram scripta Maiestas vestra clementi animo interpretetur et accipiat, nec arbitretur omnino esse vana, cuius me clemencie humillime commendo. In Sempthe 22. Februarij Anno 1540

fidelis Seruitor
Thurzo

XXXII.

Schreiben der Königinn Anna an die ungrische Regierung.

Wien, 22. Februar 1540.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Anna etc.

Reuerende Spectabilis Magnifici Egregij fideles dilecti, Dedimus superioribus diebus ad vos literas quibus de Inducijs quas Spectabilis et Magnificus fidelis nobis dilectus Hieronymus a Lasko Palatinus Syradiensis a Cæsare Turcarum attulit, certiores facti estis, mandauimusque etiam tunc ut in conducendis conscribendisque militibus donec a Serenissimo Principe Domino et Conthorale nostro dilectissimo responsum allatum fuerit, ne scilicet hoc tempore sumptus frustra fiant, supersederetis, et quidem non minus interea toti in hoc sitis ut subsidia pecuniaria in vsus necessarios colligantur, aliaque omnia subornentur et pręparentur quę vostro officio congruere et in quemcunque euentum nobis ac Regnis nostris vsui esse possunt, Id quod a vobis curatum perfectumque plane confidimus, Cęterum superuenerunt nobis iam literę a Magnifico fideli nobis dilecto Balthasare Banffy quibus sibi solutionem fieri flagitat sicut ab exemplo his incluso cognoscetis, Quare volumus ut si is de hac ordinatione nostra sicut supra recensuimus et in proximis literis nostris prolixe ostendimus admonitus non fuerit illum primo quoque tempore admonendum informandumque curetis et quicquid forte ante informationem istiusmodi in milites suos impendit ipsi tandem etiam rationabiliter refundi iubeatis neque committatis ut hac in parte propter seruitia sua damnum aliquod paciatur, Nostram in eo seriam et omnimodam exequuturi voluntatem, Datum Viennę die 22 Februarij 40

Regimini Regni Hungarię

*

XXXIII.

Schreiben der Königinn Anna an Alexius Thurzó.

Wien, 7. März 1540.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Anna etc.

Spectabilis et Magnifice fidelis dilecte, Dedimus superioribus diebus cum Spectabilis et Magnificus fidelis nobis dilectus Hieronymus à Lasko Palatinus Syradiensis Inducias à Turcarum Cæsare attulerat ad te literas, quibus donec à Serenissimo Principe Domino et Conthorale nostro dilectissimo ea in re certum responsum quid fieri velit afferatur, iniunctum tibi fuit ut in conducendis conscribendisque equitibus Subsidij Regni nostri Hungarię nullos sumptus facias ijsque qui in confinijs istis sunt mandes, ut se ab omni vi et armis protinus contineant, caueantque rumpendarum Induciarum authores esse, sed interim tamen etiam dares operam, ut quę ad tempestiuam prouisionem faciendam pertinerent quęque ad depellendas hostium insidias, si quas ab illis subdole et sub hoc veluti prętextu strui contingeret, facto consultoque opus esse viderentur, nusquam non quantum quidem tui muneris est pro virili parte curentur et pręparentur, habeaturque hoc pręsertim tempore in colligendis pecunjis oblati subsidij per Regnicolas nostros prima atque potissima ratio quę ingruente necessitate ad vsus maxime opportunos in paratis atque in promptu haberi possint, Quoniam autem responsum illud prędicti Serenissimi Domini et Conthoralis nostri nobis iam allatum est, de eo te quidem illico commonefaciendum duximus, probari scilicet Dilectioni atque Maiestati suę ea quę a nobis super obseruatione Induciarum deque reliquis rebus necessarijs subornandis et pręparandis, in primis vero de pecunijs ut supra diximus colligendis ad omnes Regnorum et Prouinciarum nostrarum Status et magistratus scripta sunt, hortarique nos illam impensé, ut quo istiusmodi ordinationi nostrę mos omnino geratur identidem instare et urgere velimus, quare iam quidem denuo te gratiose requirimus ut ea mandata nostra exhaurias et perficias, nilque remittas plane laboris et diligentię, ut ea que à Regnicolis istis nostris conclusa et oblata sunt, ad futuras necessitates in numerato habeantur, maxime cum Inducijs istiusmodi nequaquam fidendum sit, qui ut nostros incautos opprimat quasuis captat occasiones, neque tanti fidem suam quanti nostrorum calamitatem existimat quemadmodum tute etiam facile apud te potes memoria repetere atque perpendere

Cæterum quod ad obsidionem Arcis Zarwaskew attinet, ex inclusa Scheda germanica, quam ex literis memorati Serenissimi Domini et Conthoralis nostri excerpi iussimus, quę sit voluntas Dilectionis et Maiestatis suę dilucidius intelliges, postquam autem castellum illud quod per Balassienses e regione Arcis Zarwaskew erectum fuerat demolitum rursus et exustum esse constat, sicut ex literis Prędicti illius fidelis nostris Egregij Francisci Horwath, quarum exemplum in has coniecimus, deprehendere poteris, non videtur nobis iam ea ratio ineunda esse, ut armata manu quicquam agendum uel tentan-

dum sit, quanquam tamen in reliquis grauaminibus, quas idem Horwath in ijsdem literis suis prolixe exaggerat, magnopere refert, ut per te mature prouideatur, ne quid Ditio illa nostra detrimenti capiat utque controuersię illę per Commissarios vtrinque deputatos iuridica reuisione sedentur, subditique nostri deinceps illęsi et indemnes maneant, quod si non fit sique aduersarij audatię et temeritati suę modum nullum statuent, sed pergent nostros violenter et hostiliter lacessere tunc sane par erit ad eam defensionis tuitionisque subditorum nostrorum rationem condescendere, quam uel Serenissimus Dominus et Conthoralis noster iam ostendit et prescribit, uel tunc rei necessitas et periculorum magnitudo requiret, Id quod tibi in prȩsentiarum, quo te rebus omnibus attemperare, et negotia omnia ex sententia Serenissimi Domini et Conthoralis nostri certius commodiusque dirigere possis, perbenigne significandum duximus, Nostram in prȩmissis omnimodam exequuturus voluntatem, Datum Viennę die 7 Marcij Anno Domini 1540

XXXIV.

Schreiben König Ferdinands I. an Alexius Thurzó.

Gent, 11. März 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Turzoni. *Zum Theil Antwort auf Nr. XXVII.*

Ferdinandus etc.

Spectabilis et Magnifice fidelis dilecte, Redditę sunt nobis binę litere tuę de 10 et 18 Februarij proxime preteriti ad nos date, in quibus ea que istic geruntur, et qui status rerum sit, cognouimus, quæ diligentia tua nobis grata fuit, petentes abs te vti eam continues, frequens scilicet scribendo ad nos de ijs rebus nouitatibusque que istic occurrerint, maxime vero ea, que de consilijs conatibusque Ioannis suorumque, aut ipsius Turci indagaueris, cum quo sex mensium inducias à nobis et ceteris confęderatis Principibus factas esse per alias literas nostras ex Lucenburga datas tibi significauimus, nunc vero in optima spe sumus consecuturam inde durabilem honestam nostrisque Regnis et Dominijs necessariam pacem cum eodem Turca ineundam, Quicquid autem sequetur in ijs, id postea ad te perscribemus

Ceterum Commissarijs nostris pro differentijs cognoscendis deputatis noua rursus Mandata hinc transmisimus, Quod si aliqui adhuc defectus restare viderentur volumus vt cum reliquis Consiliarijs nostris illos corrigendos emendandosque cures, Serenissimęque Reginę Annę Conthorali nostrę Charissimę consilium semper et opinionem vestram super ijs, que istic emergunt, quęque vel remedijs vel prouisionibus per nos adhibendis opus habent perscribatis, nihilque negligere ipse velis eorum quę pro munere offitioque tuo curari possunt et debent sicuti in prudentia vigilantiaque tua gratiose confidimus, et inprimis operam des vti promissa nuper dica tam per te quam per alios ad Cameram nostram administretur, ex qua ea quę ordinauimus pro necessitate solui numerarique possint

Porrò quod ad Ioannis practicas attinet, equidem operam dabimus ne illi à nobis vlla rumpendę pacis ansa prebeatur, si vero perget et inducias et pacis tractatus neque per se neque per suos obseruare, extunc ad paranda sumendaque aduersum illius conatus arma necessario adigemur, vtpote qui tot tantasque iniurias apertasque hostilitates diutius perferre non possimus neque ex dignitate aut ex re fidelium subditorum nostrorum sanè esset talia tam diu tolerare, Quare in euentu quo pacem induciasque Ioannes infringeret, curę nobis etiam nunc est vt eo statim tempore copias nostras in procinctu instructasque habeamus, quandoquidem omni studio, labore, sedulitateque in hæc incumbimus vti necessitatis tempore fideles Regnicolas nostros non deseramus, quorum de salute tranquillitateque constituenda non minus quam de alijs grauissimis rebus cum Sacra Cesarea Maiestate accuratissime agere tractareque nunquam cessamus, optima spe fulti nos hec ipsa negotia in eum statum perducere posse, qui tum Regnis et prouintijs nostris tum vniuersę etiam Reipublicę Christianę salutaris vtilisque sit futurus, et in ea quidem re assequenda toti nunc cum prefata Maiestate Cesarea versamur, apud quam nulli prorsus diligentię solicitationique hactenus pepercimus, quo ad optatum finem nostra et Regnorum nostrorum negotia dirigantur

Intelleximus autem ex multorum literis Arcem nostram Zarwaskew à Iohanitis obsessam eque regione illius nouum fortalitium contra inducias per eosdem extructum esse, quę res magnam nobis molestiam attulit et à nobis minime toleranda videtur, Idcirco dedimus non solum nos verum etiam Cesarea Maiestas tum ad Ioannem tum ad Regem Polonie super ea re literas grauissime sanè scriptas, que si nullum pondus apud Ioannem illum habebunt, plane necesse habebimus eiusmodi violentijs armata manu iamtandem obuiam ire, ad quod copias nostras paratas faciemus, Tibi interim iniungentes vti consilio operaque tua quantum potes prouideas, quo Arx iamdicta ab istorum grassatorum obsidione vno vel alio modo liberetur, si modo nondum liberata est, Nostram in ijs expressam executurus voluntatem, Datum Gandaui xj Martij 1540

XXXV.

Schreiben König Ferdinands I. an Georg Warkotsch.

Gent, 18. März 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Georgio Warkocz.

Ferdinandus etc.

Egregie fidelis dilecte, Mittimus impresentiarum ad te instructionem quandam et credentiales literas in tui personam à nobis expeditas sicuti videbis, Mandantes tibi vti apud Serenissimos Reges Reginamque Polonię iuxta instructionem illam nostram negotia Magnifici Hieronymi à Lasko etc. diligenter (petita tamen priuata audientia) nomine nostro agas, Quod si videris nihil te posse ijs rationibus, quas in instructione expressimus, apud Serenitates suas pro ipso Lasko proficere nempe quo indignationem sine

causa erga eum conceptam abijciant placabilesque sese prebeant, tunc bono modo demonstrabis illis nos merito ægre laturos si Serenitates suę nunc primum indignationem contra illum exercere vellent, ex quo bonum Christianitatis nedum nostrum proprium apud Turcam procurauerit, cum tamen antea eundem ipsum charum et acceptum habuerint, quando Regis Ioannis nomine non sine Reipublice Christiane iactura exitioque ad prefatum Turcham profectus fuerit, Cetera ex iamdicta instructione nostra percipies, Datum Gandaui 18 Martij 1540

XXXVI.

Schreiben Desselben an Simon Erdödy, Bischof von Agram.

Gent, 18. März 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Episcopo Zagrabiensi.

Ferdinandus etc.

Reuerende Deuote fidelis et syncere dilecte, Mittimus impresentiarum Egregium Tranquillum Andronicum in certis rebus ad Cesarem Turcarum, Committentes proinde Deuotioni tuę, vti dictum Andronicum, quo tuto et secure per istas partes ad confinia ipsa transire possit, quibus opus erit conductoribus equitibusque associari curet, Nostram in eo omnimodam executura voluntatem, Datum Gandaui 18 Martij 1540

XXXVII.

Schreiben Desselben an Tranquillus Andronicus.

Gent, 23. März 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Tranquillo Andronico.

Ferdinandus etc.

Egregie fidelis dilecte, Ex annexis literarum nostrarum exemplis videbis quid ad Turcarum Cesarem illiusque Sanciachos Bosnensem et Belgradensem scribamus, Quare fidelitati tuę firmiter iniungimus et precipimus vt inter alia negotia tibi à nobis commissa etiam hoc apud dictum Cesarem et Sanciachos illos si ita itineris tui ratio tulerit diligenter agas tractesque vt à Turcho ipso bonum et optatum responsum atque adeo noua Mandata ad prememoratos Sanciachos pro firmiter custodiendis indutijs quibus potes melioribus modis extorqueas, Nostram expressam in eo executurus voluntatem, Datum Gandaui 23 Martij 1540

XXXVIII.

Beglaubigungsschreiben König Ferdinands I. für Tranquillus Andronicus an Chosrew Beg, Sandschakbeg von Bosna.

Gent, (23. März 1540).

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Ferdinandus etc.

Magnifice et Præstans Vir syncere dilecte, Reddite sunt nobis literæ vestrę per Magnificum Hieronymum à Lasco, Palatinum Syradiensem Consiliarium et Oratorem nostrum, quæ nobis perquam gratę et iucundæ fuerunt, Declarastis enim in ijs singularem affectum animique propensionem, quam erga nos resque nostras geritis, Quapropter studium illud vestrum et offitia operamque tàm diligenter à vobis in commodum et benefitium nostrum impensam clementer suscipimus, eoque nomine vobis gratias agimus non solum de ista gratificandi nobis voluntate vestra, quam nobis dictus Orator noster vberius exposuit, verum etiam propter consilium quod nobis dedistis, quod quidem probamus atque adeo sequi volumus, Nam primo quoque tempore eundem Oratorem nostrum Hieronymum à Lasko ad Serenissimum et Potentissimum Cesarem Turcarum Dominum vestrum remittere statuimus, Vos interim hortantes maiori quo possumus studio vti iuxta oblationem vestram negotia resque nostras ad Magnitudinem Cęsaris Domini vestri bene commendatas adiutas promotasque habere velitis, ita vt voti nostri compotes reddi possimus, Id quod singulari gratia liberalitateque erga vos nos recognituros pollicemur, de quo certi esse debetis, quoniam quicquid diligentie atque studij rebus nostris apud Dominum vestrum iuuandis impenderitis, id egregie pro regia Munificentia nostra remunerabimur et vos semper gratiose complectemur, quippe qui iamnunc ex relatione Oratoris nostri magnam fidutiam in vobis collocare cepimus, quam speramus vos vestris offitijs sic aucturos esse vt indies maiorem habeamus occasionem vobis gratum animum nostrum ostendendi, prout hec et alia à Secretario nostro Tranquillo Andronico presentium ostensore coram latius intelligetis, cui plenam et indubitatam fidem nomine nostro adhibere velitis, Datum in Ciuitate Gandauo

XXXIX.

Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an Jahjapaschaſade Mohammed Beg, Sandschakbeg von Semendra.

Gent, (23. März 1540).

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Ferdinandus etc.

Magnifice et Præstans Vir, syncere nobis dilecte, Salutem, Commisimus Egregio fideli nobis dilecto Tranquillo Andronico Secretario nostro nonnulla vobis nomine no-

stro exponenda, sicuti ab eo coram intelligetis, Hortantes vos singulari studio, vt ei in ijs, que vobis ex verbis nostris referet, plenam et indubitatam fidem adhibere, vosque superinde ita gerere et exhibere velitis, prout in vos plane confidimus, et erga vos omni gratia liberalitateque recognoscemus, Datum in Ciuitate Gandauo

XL.

Schreiben Desselben an Alexius Thurzó.

Gent, 31. März 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Turzoni.

Ferdinandus etc.

Spectabilis et Magnifice fidelis dilecte, Redditę sunt nobis rursus binę literę tuę de nona presentis ad nos date, ex quibus inter alia facile perspeximus te vere prudenterque consyderare, quantum in discrimen exitiumque Ioannis ipsius suorumque malis artibus regnum istud nostrum Hungarię sit casurum, nisi in tempore prouiderimus, Fuerunt itaque istiusmodi cogitationes admonitionesque tuę de ijs malis quę euentura times, nobis non solum gratę, verum etiam probabiles visę et adeo clementi à nobis animo susceptę, vt te in eadem scribendi ad nos sedulitate perseuerare omnino velimus, presertim qui non ignores nostra referre plurimum, ut quę conentur machinentur tractentue Ioannes simul et Turcha, ex omni parte resciamus, Quare quod facis, in ijs quoquo modo explorandis diligentiam studiumque tuum solitum adhibeto, et nos continue creberrimeque de ijs, quę sic indaganda curaueris, quęque alioquin nostra interesse scire existimaueris, certiores facito, Ceterum quod ad offitium curamque nostram de tuendo conseruandoque regno illo nostro attinet, per superiores literas nostras demonstrauimus tibi nos in ea re omnes cogitationes nostras consumere, nihilque adeo prius habere, quam vt collabentes perturbatasque dicti regni nostri rationes in tranquillum quietumque statum reducamus, nostrosque istos fideles subditos oportunis quesitis adhibitisque remedijs à presentibus calamitatibus eximamus, cuius quidem rei causa nos potissimum huc profectos fuisse, prorsus tibi persuasum esse debet, Nam vt nihil pretermittimus quod ad stabiliendum regnicolis istis nostris ocium, comparandamque salutem incolumitatemque facere posse videmus, ita nobis cure quoque non mediocri est consilia actionesque nostras eo destinare dirigereque, vt quantum per alia etiam negotia quibus simul cum Cesarea Maiestate distinemur licebit, quantocius nos hinc rebus eiusdem Cesaree Maiestatis consilio opeque salubriter constitutis absoluere et ad regna nostra propius reuerti possimus,

De Iuditiorum vero celebratione, displicet profecto nobis impedimenta illa ita obiecta fuisse, quominus processum sit hactenus in ijs, quemadmodum oportuit, sed speramus iamdudum renouatis missisque Mandatis nostris eorum initium factum, neque fore quidquam, cur diutius Iuditia illa extrahantur, quorum celebratione executioneque

nihil magis hoc tempore in tantis nimirum nostrorum subditorum iniurijs et ditionis nostre impetitionibus necessarium esse optime te quidem animaduertere videmus,

De Inducijs cum Turcha susceptis, ex quo cognouimus nonnullas incursiones predasque à Plagiarijs quibusdam ipsius Turcę per Regnum nostrum Sclauonię factas esse, illico tum ad Turcam tum ad Sanciachos suos Bosnensem et Belgradensem literas ea de re expediendas curauimus, missisque illis ad Serenissimam Reginam Conthoralem nostram Charissimam certa ei mandata, quid scilicet pro auertendis istiusmodi inopinatis incursionibus fieri velimus, dedimus,

Indignas Balthasaris Bamffy postulationes de rationibus stipendij sui permoleste vt debemus ferimus, Quocirca ei serio per literas nostras mandauimus, vt ab istiusmodi importunitatibus sese abstineat, nulloque modo Camerę nostrę Consiliarios ea verborum improbitate siue conuitiorum acerbitate offendere presumat, in quantum gratiam nostram charam habeat, quin potius eo quod sibi iuxta conductum ordinationemque nostram numeratum est contentus maneat, prout merito contentus esse debet, Nam quas pecunias pro Mensa sibi soluendas petit, cum domi sedens in seruitijs nostris personaliter haud occupatus fuerit, non videmus causam, quare illi eo nomine pecunia vlla persoluenda sit

Porrò intelligentes ex dictorum Camerę istius nostrę Consiliariorum literis pecunias ex dicis colligendas ne in tertia quidem parte administratas adhuc esse, Tibi firmiter iniungimus, vt pro offitio tuo per omnia oportuna remedia illos qui nondum administrarunt, ad soluendas dicas illas cogas et compellas sicuti dictis Commissarijs nostris iniunximus, vti tuo in hoc vtantur consilio, eorumque nomina qui dicas administrare recusant vel per se retinent, nobis perscribant, quo quid superinde deliberandum agendumque nobis sit, mature statuere possimus, Et hęc quidem sunt quę ad literas tuas obiter respondenda putauimus, Datum Gandaui vltima Martij 1540

XLI.

Pass für Hieronymus Laski.

Wien, 1. April 1540.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Literæ Passus pro Hieronymo à Lasko. *Anstatt des mit Cursivlettern gedruckten* istiusmodi *hatte früher* et legationem sibi iniunctam *gestanden.*

Anna etc. Fidelibus nobis dilectis vniuersis et singulis Prelatis Dominis Baronibus Militibus Clientibus Nobilibus Presidibus Capitaneis Locumtenentibus et Potestatibus Castellanis Comitibus ViceComitibus Iuratis Consulibus Magistris Ciuium et quorumuis Locorum et Communitatum Rectoribus ac Passuum et Portuum quorumcunque Custodibus cęterisque Officialibus et Personis quibuscunque per Regna et Dominia nostra ac alias vbilibet constitutis Salutem gratiam Regiam et omne bonum. Quoniam Spectabilis et Magnificus fidelis nobis dilectus Hieronymus à Lasko Palatinus Syradiensis Serenissimi Principis Domini et Conthoralis nostri Dilectissimi Consiliarius in certis negotijs et

rebus prefatum Serenissimum Dominum et Conthoralem nostrum ac nos concernentibus per supradicta Regna et Dominia nostra proficiscitur, Nosque eidem quo melius dicta negotia perficere possit, tutum vbique et securum iter obuenire velimus et cupiamus, Vos itaque prefatos omnes et quemlibet vestrum harum serie gratiose requirimus, quatenus eundem Hieronymum à Lasko vna cum Comitatu suo Equisque et Sarcinis ac rebus omnibus sibi ad iter *istiusmodi* conficiendum necessarijs, per omnia et singula Dominia, Districtus Iurisdictionesque nostras et vestras seu alia loca quecunque tàm terra quàm flumine ad que ipsum declinare contigerit libere expedite et absque aliquo impedimento seu molestatione non solum vltro citroque ire transire stare morari sinatis et permittatis, sed et omni fauore ope consilio ac assistentia quo eo melius et commodius ea que sibi à Serenissimo Principe Domino et Conthorale nostro ac nobis commissa sunt exequi possit, fauere opitulari adesse et assistere, rebusque omnibus ad accellerationem itineris sui facientibus pro iusto et competenti pretio prouidere et prouideri curare velitis et debeatis, secus minime facturi presentibus perlectis Exhibenti restituendis. Datum Vienne die prima Aprilis Anno 1540

XLII.

Schreiben der Königinn Anna an Hieronymus Laski.

Wien, 4. April 1540.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: Hieronymo Lasko.
Beantwortet unter Nr. XLV.

Anna etc.

Spectabilis et Magnifice fidelis dilecte, Rursus ad nos certorum hominum literis perlatum est tantum abesse, ut Turce Induciarum respectum ullum habeant, ut etiam sub his Inducijs Regnum istud Sclauonie acerbius crudeliusque depopulentur, omneque genus hostilitatis assiduis excursionibus depredationibusque exerceant, non secus ac si ne mentio quidem ulla Induciarum esset facta, quoniam autem tu ea de re cum Bassis agendi tractandique à nobis mandatum habes, volumus teque gratiose requirimus ut eas querelas et lamentationes subditorum nostrorum eisdem diligenter inculces urgeasque illos quibus scis et potes rationibus ut non modo aduersus Comites Zrinienses sed et reliquos subditos nostros quoscunque isthic in confinijs existentes nihil hostile agant suosque omnes tam pedites quam equites non in quatuor sed in sex menses integros prorsus contineant, ni enim id fiat certe causa erit cur nos defensioni istarum partium alia ratione incumbamus Turcasque subinde igne ferroque populabundos et grassantes arceamus, curabis autem superinde expressam relationem seu assecurationem potius elicere, qua freti miseri regnicole nostri tuti esse possint, sicut non dubitamus te pro virili tua parte quo id obtineas et consequaris, nihil opere pretermissurum, Cæterum memineris ne quid pecuniarum que tibi in eos vsus quos scis deputate a nobis sunt prius eroges aut expendas quam certitudinem firmam habueris Turcas sub his Inducijs sex

mensium se et a Comitibus Zriny et a reliquis quibuslibet subditis nostris ex omni parte temperaturos et ab omni vi predationeque uel palam uel per insidias exercenda penitus cessaturos, ne videlicet sumptus illi frustra fiant, et ne labores tui in cassum cessisse videantur, verum ante omnia diligenti deliberatione perpendes postquam iam certum et persuasum est omnibus Turcas expeditionem generalem nunquam solere nec posse facere antequam graminibus pascua virescant pabulumque equis subministrent si absque sumptibus pro tua rerum agendarum dexteritate et solertia res confici possint, Nostram in eo benegratam exequuturus voluntatem, gratia nostra reginali erga te quandoque recognoscendam, Datum Viennę die 4 Aprillis Anno 40

XLIII.

Schreiben der Königinn Anna an Franz von Batthyán.

Wien, 4. April 1540.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Überschrift: **Francisco Bathyany.**

Anna etc.

Magnifice fidelis dilecte, Allatę sunt nobis literę tuę quas die vltima Marcij ad nos dedisti cognouimusque ex ijs prolixe qua sæuitia Turci sub his inducijs grassantur quęque nouissime ab illis in confinijs Regni nostri Sclauonię hostiliter patrata sunt, Quoniam autem ea ipsa quoque Capitaneus Generalis Magnificus fidelis nobis dilectus Ioannes Vngnad Baro in Sunegg nobis hisce diebus significanda curauit, iam ordinem dedimus uti non modo plagiariorum sed et equitum leuis armaturę certus numerus conscriberetur, qui in confinijs hinc inde positi id genus irruptionibus obsisterent, et fines nostros tuerentur et defenderent, Expediuimusque etiam ea de causa Spectabilem et Magnificum fidelem nobis dilectum Hieronymum Lasky Palatinum Syradiensem à Serenissimo Principe Domino et Conthorale nostro Dilectissimo paulo ante reuersum rursus ad Bassas Mechmetbeeg et Hwzrembeeg, quo nimirum eos ad seruandas istiusmodi inducias instantius cohortaretur, daretque operam quo in posterum id genus cędes et rapinę omnesque violentę actiones cessarent et desinerent, Quod si uero nec sic quidem quicquam profici possit, tunc in eum euentum maiorem plagiariorum numerum pro presidio confinium conduci iussimus, et si opus erit non patiemur etiam numerosiores copias subinde contrahere, quicquid enim ad fidelium Regnicolarum Regnique istius nostri Sclauonię tuitionem conseruationemque pertinebit, id nobis magnę semper curę erit, neque committemus, ut hac in parte usquam officium nostrum desyderetur, id quod tibi inpresentiarum ad literas tuas clementer respondendum duximus, Datum Viennę die 4 Aprillis 1540

Schedula

Quod scribis te nuper literas ad nos misisse, neque tibi relationem factam esse, scire te uolumus quod nullę nobis abs te redditę sunt, et si redditę fuissent haudquaquam pretermisissemus tibi ad illas respondere.

XLIV.

Schreiben Derselben an Alexius Thurzó.

Wien, 6. April 1540.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Thurzoni. *Beantwortet unter Nr. XLVI.*

Anna etc.

Spectabilis et Magnifice fidelis dilecte, Redditę sunt nobis literę tuę quibus articulatim et quidem diffuse binis literis nostris respondisti, vbi solitam omnino in omnibus diligentiam tuam et perspicimus et probamus,

Ac primum quod ad excursiones Turcarum in Regnum nostrum Sclauonię attinet, Scire te volumus etsi non pretermiserimus pro tuitione finium nostrorum certum plagiariorum et equitum leuis armaturę numerum per Capitaneum Generalem Magnificum fidelem nobis dilectum Ioannem Vngnad Baronem in Sonegg conducendum et ad ea potissimum loca vbi plus periculi est collocandum curare, Nos tamen nihilominus etiam Spectabilem et Magnificum fidelem nobis dilectum Hieronymum à Lasko Palatinum Syradiensem his proximis diebus à Serenissimo Principe Domino et Conthorale nostro Dilectissimo reuersum ad Bassas seu Sansachos Bosnę et Nandoralbę rursus expediuisse, quo nimirum illos non modo de istiusmodi iniurijs rapinis et depopulationibus admoneret, proque obseruandis inducijs et sopiendo in primis bello quod in Comites Zriny moturi audiuntur accuratissime instaret, sed et ijs nominibus certam assecurationem eliceret, quę si impetrari non posset iam ordinem dedimus ut in eum euentum plagiarij nostri iusta accessione augeantur, ita tamen ne ullam induciarum rumpendarum significationem aut occasionem prebeant sed duntaxat irruentes hostes citra induciarum lęsionem retrudant et arceant,

Vbi autem ostendis habere te quosdam exploratores in confinijs è quorum numero potiorem qui ad ea loca vbi Turcarum Cæsar personaliter ageret penetrare per te iussus fuit ad hæc festa pascę rediturum sperabas, id quidem certe benignam in partem abs te accipimus, teque gratiose inhortamur, uti id genus subornandis exploratoribus sumptibus ne parcas, eos enim sicut ex prioribus literis nostris cognouisti tibi perbenigne refundi curabimus, neque patiemur eam fidei officijque partem cum detrimento et iactura tua coniunctam esse,

Cæterum non sine animi nostri molestia intelleximus motus quosdam in Transsyluania subortos, adeo ut ad tributum Turcę pendendum animum adijcere videantur, quod ut ne fiat uel per te uel per amicos omnem dabis operam curabisque ne omnes in ea sententia persistant, vbi enim prędatus Serenissimus Dominus et Conthoralis noster redierit, nullum dubium est quin alia rerum conditio alia facies sit futura,

Porro de Buda munienda atque presidio firmanda satis apparet te prudenter admonuisse, sed nos censemus non inconsultum fore si tu per te priuatim non literis quę suspitionem fortassis aliquam gignere uel ad Turcas in exacerbationem odij in nos transmitti et ostentari possint, sed misso fido homine et ad res agendas idoneo aut Ioannem

ipsum aut Consiliarios eiusdem solerter horteris, quo in tanto rerum discrimine et extremo quasi imminente periculo tuendæ eius propugnandęque et necessarijs rebus victualibusque instruendę tempestiuam curam gerant, ea enim amissa et in hostium potestatem redacta, ipsos in toto Regno certam et diuturnam sedem habere non posse, Quod si itaque germanorum militum qui Budam presidio firment sine quibus presidium ullum firmum esse non potest opera vti velint non dubitare te quin Serenissimus Dominus et Conthoralis noster quo illos milites ipsi facilius conducere possint eos adiutos sit habiturus, Vbi uero ad sumptus istiusmodi faciendos Ioannes et eius Consiliarij induci non possent, tum Ioannis consensum extorquendum curabis ut facta sufficienti assecuratione ac tali quidem quę ante biennium prestari debebat promittat prefato Serenissimo Domino et Conthorali nostro quo ei liberum sit et integrum suo ære conductos milites in dictam Ciuitatem Budensem pro presidio collocare ita tamen ut idem Rex Ioannes machinas seu ingenia bellica pulueres tormentarios commeatus et victualia suppeditet, et hæc quidem omnia ea cautione per te agenda sunt, tanquam ne verbum quidem hac de re tecum communicassemus, quemadmodum te pro tua solertia et prudentia facturum non dubitamus, quicquid autem sic egeris impetrauerisque fac nos deinde quamprimum certiores facias, Nostram in eo benegratam exequuturus voluntatem, Datum Viennę die 6 Aprillis Anno 40

XLV.

Schreiben Laski's an die Königinn Anna.

Agram, 10. April 1540.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Antwort auf Nr. XLII.

Sacre et Serenissime Reginali Maiestati Romanorum Hungarie Boemie etc. etc. Domine Domineque mee clementissime C

Das Siegel wie bei Nr. VIII.

Sacra et Serenissima Reginalis Maiestas et Domina Domina mea clementissima

Seruitiorum meorum humillimam commendationem, reddite sunt mihi littere quum iter agerem, hinc per duo miliaria, ex quibus accepi uestre Maiestatis Serenissime commissionem, cui etiam reuerenter per magnam obedienciam et studium parebo, iamque fuissem ditionem Turcarum ingressus, nisi per integros tres dies Pethouie fuissem subsistere coactus. et hoc propter aliqua pocula, que offerre illis duobus Sanzachis deberem, ubi Magnificus Dominus Wngnad faciebat magnam difficultatem in dandis eiuscemodi poculis, quoniam dicebat nullam se habuisse a uestra Maiestate commissionem, ut nunc mihi deberet preter ducentos Coronatos quidpiam aliud dare, id quod longe aliter quam ego cum Magnifico Domino Leonardo Barone a Fels constitueram successit, cui ego aperte dixeram nihil me ibi sine muneribus obtenturum, grauiter itaque Dominus Vngnad tres cuppas seu pocula dedit, et quadraginta duccatos ut hic unam aliam cuppam

emerem, quam tamen hic inuenire aut emere non potui, ego etiam in hunc usum a Magnifico Domino amico meo Thoma Nadasdi unum pulchrum poculum acceperam. et sic cum istis quattuor pocculis proficiscar et per omnes meas uires enitar ea omnia procurare, que mihi sunt per uestram Maiestatem imposita, neque etiam ita sum stupidus futurus, ut uelim facile peccuniam uestre Maiestatis expendere, nisi si aliud nullum consilium uel remedium esset, Et cum his me uestre Maiestatis Serenissime gracie et benignitati supplex commendo. Zagrabie . 10. die Aprilis. Anno domini 1540

Minimus Seruitor

Hieronymus de Lasko etc.
manu sua

Post scriptas uenit huc hodie. quidam Ioannes Horwath. qui in castro Domini Ludouici Pewkri Krystalocz militabat. et per Turcas captus erat. uir boni nominis et laudatus ab omnibus. is a Turcis exemptus ante festa Paschadis redijt. qui cum intellexisset meum in hanc ciuitatem aduentum, uenit ad me precatum ut sibi aliqua peccunia subuenirem. pro taxa liberationis sue, et dixit mihi quomodo tercio post meum ex Turcia egressum die accurrerat ab Imperatore Turcharum postha. usque ad castrum Posga, ut me assequutum reduxisset iterum ad Turcam, que res quum mihi incredibilis uideretur, adiecit idem Ioannes Horwath et dixit. apud Dominum Episcopum Zagrabiensem esse etiam quendam bonum uirum. qui nouiter a Turcis eliberatus existat. qui me de hac re melius esset informaturus, quare decreui cum Domino Episcopo conuenire, iamque illi scripsi, ut ut haberet secum dictum hominem, quoniam uolo intelligere, neque pro paruo reputo hoc nouum, si quidem timeo ne de uita mea conclusum sit aliquid. id quod uestre Maiestati Serenissime breui perscribam quum primum intellexero

H. Laskj

XLVI.

Schreiben des Alexius Thurzó an Dieselbe.

Schintau, 10. April 1540.

Aus dem von Secretärshand geschriebenen und von Thurzó unterzeichneten Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Die Nachschrift ist auf einem besonderen Blatte. Antwort auf Nr. XLIV.

Sacra Maiestas Reginalis Domina graciosissima,

Premissa fidelium seruiciorum meorum perpetua commendacione, Accepi binas Maiestatis vestre literas de sexta huius mensis datas, ex quibus cognoui, datam esse Magnifico domino Ioanni Wngnod, Generali Capitaneo, negocium, vt certum equitum et plagiariorum numerum conscriberet, pro defensione Sclauonie, et repellendis grassatoribus, Non possum non vehementer probare graciosam hanc Maiestatis vestrę prouisionem, et presertim quod expediuit Magnificum dominum Hieronymum de Lasko, palatinum Syradiensem, qui Bosne et Belgradi Sansarchos hortaretur ad seruandas presentes inducias, ab-

stinendumque a Bello quod Comitibus de Zrinio intentabatur, Pernecessarium equidem videtur, hoc maxime pacto cum Turca agendum, dum adhuc spes aliqua est futurarum induciarum cum illo, qui quanquam apparatum ingentem facere dicatur, nemo tamen hucusque pro comperto asseuerare potuit, in quas potissimum partes sit declinaturus, Expectabam illum exploratorem de quo et prius ad Maiestatem vestram scripsi, Receperat licèt ille ad festa preterita se rediturum, nondum tamen redijt, certis forsitan impedimentis et difficultatibus (vt plerumque solet) prepeditus, Nihilominus hodie redijt ad me quidam alius ex confinijs, Is certissima affirmat ea, quę prius ex alijs didiceram, quod videlicet circa Belgradum et vicina illi loca naues, et pontibus instruendis necessaria sedulo parentur, Mehmethbegum Belgradi esse dicit, eius vero filium ad proximas Sclauonie partes vexandas destinatum in Gara fuisse, loco: qui a castro Walpo duobus duntaxat milliaribus distaret, Eundem loca quedàm lustrasse, vbi aut municiones erigeret, aut vt illinc aliquibus alijs castris intercipiendis intenderet, Confirmat eciam idem famam: quę de Bello Zriniensibus inferendo fuerat allata, et in hoc prefectum Boznensem se totis viribus instruere, asserens prefectum illum: pro sua opinione, mouere eciam hucusque potuisse aut de facto mouisse, Sed cum eo iam missus sit dominus Hieronymus de Lasko, fieri existimo pocius, vt ille a proposito destiterit, Quod si tamen (vt solent esse prefracti Turcarum mores) nullas illi inducias admittant, nec temperaturi videantur, quominus Castra et Bona Zriniorum aggrediantur, magna est hic in vtramque partem difficultas, nam si obsideantur Zrinij, deserere subditos et fideles, inque ipsis hostium faucibus relinquere, quantum ad aliorum exemplum faciat, Maiestas vestra poterit considerare, vicissim si laboranti et obsesso auxilium feratur in hoc rerum statu, quorsum sit Turca hanc suppeciarum lacionem interpretaturus, plane superiora tempora ostendunt, in quibus cum non solum inducię: sed pax propemodum perpetua inter Maiestatem Regiam et Turcarum Cesarem firmata fuerat, et promulgata, omniumque mentes ad bonam et amplissimam concordiam spectarent, vnius Francisci Kapolnay gesta, tantum irritare Turcam potuerunt, vt publicatam per orbem pacem rescindere, armaque contra mouere non dubitaret, Hec inquam res gesta monet, vt cum Turca caucius agendum quilibet existimet, nam si apud Turcam certum fixumque fuerit, Bellum contra Maiestatis Regie domini mei clementissimi diciones mouere, nulle inducię, nullum iusiurandum tantum erit, vt illum ab instituto auertat, Inter hec igitur duo ambigua ego rem omnem Maiestatis vestrę prudentissimo consilio submittendam decreui, De eo vero motu qui in transsyluania dicebatur concitatus, fui iam antea sollicitus, egique apud quosdam primores quos et ipse pacis et concordie studiosos noueram, et per literas et per nuncios, nunc tamen intelligo, acerbitate illius contribucionis, quam Ioannes postulabat, et qua se Turcam placaturum existimabat, commotos prouinciales, vt commodius ea exactione se liberarent, sparsisse verius quam ex animo sensisse vt ea contribucione ad arbitrium suum immunitatem et defensionem a Turca mercarentur pocius quam a Ioanne, Expecto si quid circa exitum huius motus ab illis habere potero,

Eodem contextu et de Budensis Castri municione et conseruacione egi, propositis periculis que ex illo amisso possent contingere, si quo modo fieret, vt Ioannis mentem

cercius cognoscere liceret, vix enim adducor vt credam Ioannem insumpturum pro illius arcis conseruacione, quod ad extremas necessitates videtur corrasisse, Expecto igitur rescriptum illorum apud quos rem hanc sollicitare cępi, Tentaturus deinde et illud quod Maiestas vestra graciose admonet, nimirum vt si Ioannes videatur id non curaturus, admoneam illos de Regie Maiestatis prouisione sub ea assecuracione, que in hoc et antea fieri debebat,

In expediendis vero gentibus ad recuperacionem pertinenciarum Castri Zarwaskew: de qua re Maiestas Regia dominus meus clementissimus ad me scribit, puto supersedendum, quoad cerciora de conatibus Ioannis argumenta elucescant, vt ille pocius ruptarum induciarum faciat exordium quam Regia Maiestas, licet nunc pacandę transsyluanie causa videatur copias contraxisse, et tamen non desint qui dicant illum oppugnando Castro Mwnkatsch vel Hwzth velle intendere, Quod si vero placeat, nondum perfecte cognitis rebus, conscribere et expedire milites, contra illum aut pro defensione dictorum Castrorum, nullo modo ex hijs locis potest subito conscribi tantus numerus, qui illius viribus par sit, habet enim ille collecta circa se ad sex millia militum

Quod vero ad collectionem oblati subsidij attinet, nihil laboris et diligencie est a me pretermissum, nec pretermittetur eciam, vt norunt Camerę prefectus et consiliarij, Non desunt tamen qui nullis requisicionibus flecti possunt, contra quos in hac absencia Regie Maiestatis violencia aliqua vti visum non est, vti eciam ad Maiestatem Regiam scripsi, ne deterius aliquid sequeretur, erit tamen integrum ipsi Maiestati Regię, post felicem suum reditum, hijs remedia opportuna adhibere, Postulat autem Maiestas vestra transmitti ad se descripcionem awlsę dicionis per Ioannem et suos sub hijs inducijs, Sciat Maiestas vestra hanc descripcionem me non habere, quę a Camerarijs petenda est, illi enim cum administracionem prouentuum curent, obseruare ista soliti sunt, qui eciam in hijs dare solent informacionem Causarum Regiarum directoribus: qui iam aliquocies ad commissariorum iudicia sunt expediti, Ipsi inquam Camerarij magna ex parte ista norunt, nam omnia ne ipsis quidem constare puto: propterea quod bona pars subditorum, cum nullam sentiret defensionem, tacite ad vim inferentes aduersarios concessit, et in hunc diem tacet, cum sepius antea supplicans defensionem orasset, Ceterum scribit Maiestas vestra, probasse Sacratissimam Maiestatem Regiam quod causa Francisci Nyary et Balthasaris Banffy dilata sit, et modo quoque differri placere, Sciat Maiestas vestra id de iure fieri non posse cum leges huius regni nullo modo id paciantur, et Maiestas Regia obseruandis legibus et defendendis obstricta sit, et alioquin salua existimacione, iudices non possunt iuris et iusticie administracionem cum delectu personarum facere, quam omnibus et singulis debent, hij vero duo presentes cum sint, nec postulare audent, vt immunes a iudicijs habeantur, sed seruari tantum preteriti temporis prorogacionem in causis quibusdam cuperent, quam ne tum quidem de iure poterant impetrare, licet in ea parte res est per me et iudices ad reditum Regie Maiestatis reiecta, vnde isti duo non videntur id postulasse, vt nemo illos in ius trahere possit, Quod si tamen ea sit Maiestatis vestrę sentencia, vt supersedeatur, oportet me vniuersas simul omnium causas differre, ne arguar ex fauore iudicia hijs administrare, illis denegare, Quanquam ita com-

muni consilio decretum fuerat vt celebrandis iudicijs dies statim post festum Georgij publicaretur, ego tamen ab hac publicacione abstinebo, neque quicquam aggrediar sine Maiestatis vestrę voluntate, verumtamen sciat Maiestas vestra pro certo futurum, vt nec id quod restat exoluendum, nec eciam quod pro festo beati Georgij oblatum est subsidium contribuetur, iudicijs denegatis, Me et seruicia mea fidelia cum hijs Maiestati vestre recommendo, Ex Sempthe 10 die Aprilis 1540,

humilis Seruitor
Thurzo

Post scripta, Venerunt ad me Nuncij aliquot Comitatuum vicinorum qui non solum simplicem aliquam difficultatem ostendunt in conferendo subsidio quod ad festum beati Georgij fuerat oblatum, verum plane negant se contributuros si iuris administracio non fiat, Itaque dignetur Maiestas me de sua voluntate et sentencia reddere cerciorem an plane sibi videatur, vt causę Nyary et Banffy reijciantur in alia tempora et non cognoscantur, Nam cum isti sint presentes nec in expedicionibus circa confinia nec in legacionibus extra Regnum occupentur, quę solę sunt causę propter quas differri causarum cognicio solet, prohibere aliquos qui agere contra illos vellent, de iure non possumus, Attamen responsum Maiestatis vestrę expecto, vt sciam vel publicare iudicia vel silencio transmittere, Isti certe duo de futuris causis nihil agunt aut contendunt sed de illius temporis prorogacione, quo ipsi in expedicionem fuerant missi,

XLVII.

Schreiben Laski's an Leonhard Freiherrn von Fels.

Welika, 16. April 1540.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Spectabili ac Magnifico Domino Domino Leonardo Baroni a Fels Consiliario et Supremo MagistroCurie Maiestatis Regie Domino amico obseruandissimo

Das Siegel wie bei Nr. VIII.

Spectabilis ac Magnifice Domine Domine amice obseruandissime

Salutem et seruiciorum meorum commendacionem. Ex litteris quas Maiestati Reginali scripsi intelliget uestra Magnificencia omnia. non possum enim pre occupationibus illa uestre Magnificencie repetere. Rogo uelit uestra Magnificencia exequi ut castrum Sossed mihi detur ad manus. quoniam uidet uestra Magnificencia quo pacto seruio Maiestati sue. Nam si mihi non consignabitur hinc ad festum Sancti Georgij omnino omnino prestare illa non potero. que Maiestas Regia exoptat. Commendo me vestre Magnificencie. Ex Velyka .16. Aprilis Anno 1540

Seruitor

Hieronymus de Lasko
manu sua

XLVIII.

Schreiben Desselben an Johann Ungnad, Freiherrn von Sonneck, Landeshauptmann in Steiermark und obersten Feldhauptmann in den niederösterreichischen Landen, Slawonien, Kroatien u. s. w.

Welika, 16. April 1540.

Aus dem von Secretärshand geschriebenen und von Laski eigenhändig unterzeichneten Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive.

Dem wolgebornen Herrn Herrn Hansen Vngnad Freyherrn zu Sonneckh ꝛc. ꝛc. meinem geliebten Herrn vnd bruedern zu handen ꝛc.

Das Siegel wie bei Nr. VIII.

Wolgeborner Herr besonder vertrauter geliebter Herr vnd brueder euch seyn mein gantz guet willig fraintlich dienst in alweg beraidt Ich hab euch gestern for dato so fil ich bisher erfaren mugen aller sachen gelegenhait zugeschrieben wie yer vngezweifelt nun mer vernommen habt, wie aber die sachen ferrer gestalt habt yer auf disem eingelegten zettl welches mir der Trangquillus durch ziffer von gradiskha auß geschickht etwas leuterer zu vernemmen, derhalben will ich euch wie ich zu thain schuldig bin ermandt haben das jhenig zu handln vnd furzůnemmen das zu fordrist der rom: ku: mt ꝛc. auch den landen zu nutz vnd gueten kommen mag, wie auch solches euer ambt ausweist, an welchem ich aber wol waiss yer bey euer person nichts so euch immer menschlich muglich wiert sein werdet erwinden lassen, yedoch wo yer noch mócht ainicherlay vnkosten ersparen wár nit bóß dan so bald mir gott herwider hilft welches als ich hoff in 4 oder 5 tagen geschechen soll will ich euch aller sachen gewissen beschaid aufs eilendist zuschreiben, Yederman widerrádt mir mit dem hóchsten ich soll nit zu dem muratweg noch zu den andern turckhen raisen dieweil ich es aber der rómischen ꝛc. kunigin vnser aller genedigsten frauen zugesagt will ich zu jme zu ziehen vnd alles das jhenig so menschlich muglich zu handln nit vnderlassen vnd dariñ mein leib noch leben nit ansechen noch desselben verschonen, Ferrer wist das etliche gefangne bey dem Muratweg zu gradiskha sein welche in diser zeit des anstandts gefangen worden welche er aber wider ledig zu geben willig doch das dagegen die gefangen so wier haben auch ledig gelassen werden, er beklagt sich das der anstandt anfenckhlich nit durch jne oder die seynigen sonder durch die vnsern gebrochen vnd jnen von den vnsern fil schadens zugefiegt worden sey,

Die grafen von Serin haben drey meil wegs von hinnen ain gschloss mit namen pewkretz, den selben burggrafen hab ich zu mier hie her erfordert vnd wie das gschloss mit allerlay noturft fursechen sey an jn erkundigt, so zaigt er mir an das er aller profandt nit mehr als 25 metzen prein darinnen hab, auch nit gar zwen zenten pulfers, Dieweil dañ das gar ain fest gschloss ist darin sich auch móchten zwaitausend pferdt erhalten vnd so es der turckh soll gewinnen welches er dan so es mit profandt nit fursechen gar kurtzlich thain mag so ist auf dem selben gschloss das gantz windisch landt bis an die teutsch gránitzen schon

verlozn, Derhalben iſt an euch mein frayndtlich bith welleth verozdnung thain damit aufs aller eylendiſt von agram auß ain guete anzal mel auf der ſau bis hie her bey tag vnd nacht geſchickht, vnd von hinnen will ich ozdnen das es in das ſelbig gſchloſs pewkretz gefiert werde, dañ mit pulfer hab ich hie verozdnung than, derhalben yer diſer zeit khains herab ſchickhen dózft, alain mit der prozfant eilt das gſchloſs zu verſechen, dañ den turckhen an diſem gſchloſs all yer furnemmen gelegen vnd ſo bald das monadt auf iſt werden ſy es mit groſſer macht vnd ſonderlich der Mehemet waſcha von kriechiſchen weiſſenburg aigner perſon belegern, Ich hab ain aigen botten zu dem Mehemet waſcha geſchickht vnd jm geſchziben das ſolches gſchloſs pewkretz nit mer der grafen ſonder mein ſey, dan ich hab es den grafen abkauft derhalben will ich mich verſechen ſy werden mir mein erkauft guet nit vberziehen ꝛc. auf ſolch mein ſchzeiben iſt mir noch nit antwozt wozden, vnd ſo bald ich mit der gnad gots wider von gradiſka herauf khumm will ich in daſſelbig gſchloſs reiten es einnemmen vnd die burggrafen vnd diener in mein glub verſtrickhen ꝛc. Das alles hab ich aber dem Mehemet waſcha alain zu ainem ſchein geſchziben es helff ſo fil es mag,

Diſen beyligenden turckhiſchen bzief ſchzeibt euch der Muradtweg, dieweil ich aber beſozg yer mózht bey euch die leidt die euch das turckhiſch in das latein oder teutſch tranſferiern khunnen ſo bald nit haben, derhalben hab ich ſolchen bzief auf das guet vertrauen ſo ich in euch ſtell geóffent vnd hie von wozt zu wozten in latein tranſferiern laſſen, das habt yer alſo alles bey einander zu empfahen, Damit findt yer mich yeder zeit als euern willigen bzuedern zu euern dienſten beraidt vnd ich befilch euch vnd vns alle in die gnad des allmechtigen gots, Datum zu Vellikha den 16 tag Apzilis im 40 Jar,

Hieronymus de Lasko etc.
manu sua

URKUNDEN UND ACTENSTÜCKE

ZUR

GESCHICHTE DER VERHÄLTNISSE

ZWISCHEN

ÖSTERREICH, UNGERN UND DER PFORTE

IM

XVI. UND XVII. JAHRHUNDERTE.

AUS ARCHIVEN UND BIBLIOTHEKEN.

GESANDTSCHAFT KÖNIG FERDINANDS I. AN SULTAN SULEIMAN I.

1540—1541.

WIEN.

IN COMMISSION BEI SCHAUMBURG UND COMP.

GEDRUCKT BEI A. STRAUSS'S SEL. WITWE.

1842.

Vorwort.

Die hier mitgetheilten Actenstücke, sämmtlich Beiträge zur Geschichte der eilften Gesandtschaft König Ferdinands I. an Sultan Suleiman I., sind noch nirgend gedruckt, und dürften vielleicht nicht unwillkommen seyn.

Sollten sie günstig aufgenommen und für die Wissenschaft benützt werden, so ist meine Absicht vollkommen erreicht und meine Mühe am schönsten belohnt.

Wien, den 6. Juni 1842.

Anton von Gévay,

k. k. geheimer Hof- und Haus-Archivar.

TAGEBUCH

DES

HIERONYMUS LASKI

WÄHREND

SEINER ZWEITEN GESANDTSCHAFT

BEI

SULTAN SULEIMAN I.

ANGEFANGEN ZU KONSTANTINOPEL AM 31. OCTOBER 1540.

ABGEBROCHEN ZU NISSA AM 26. JULI 1541.

(ÜBERREICHT ZU LINZ IN DER ZEIT VOM 21. AUF DEN 25. OCTOBER 1541.)

Aus dem, mit Ausnahme der Stellen: Allate mihi fuere litere a Ionusbeeg *(Seite* 28 *des Abdruckes, Zeile* 10 *von unten),* eadem comedit mecum — amicus meus *(Ebendaselbst, Zeile* 6—5 *von unten), und:* interim autem — mali accidat *(Seite* 58, *letzte Zeile bis Seite* 59, *Zeile* 6*), welche Laski eigenhändig schrieb, von Secretärshand geschriebenen Originale im k. k. geheimen Haus- Hof- und Staats-Archive. Auf der Vorderseite des Umschlages stehen von der Hand Laski's folgende Namen:* Segnior Doctor Brand Aur Weloglowskj Wlodzyslawskj Lythomyrsky Tharczan Balczer, *und auf der Rückseite desselben von einer andern, aber gleichzeitigen Hand folgende Worte:* Relatio D. a Lascko eorum quæ apud Turcorum Tyrannum egit. *Über* solicitaret *(Seite* 32, *Zeile* 12*) ist in der Handschrift verbessernd* tentaret *gesetzt, ohne dass jenes durchstrichen wäre. Was zwischen* [] *steht, ist in Ziffern geschrieben.*

Anno Domini 1540. Vltimo Octobris die.

Veni Constantinopolim relictis meis curribus et familia in Andrinopoli, ubi mox ad me accurrit Ionusbeeg, et dixit, melius fuisset posteaquam tantisper tardasti, ut unacum exercitu et bello uenias. quod non uenisses. quoniam Imperator ita est exacerbatus, ut quum primum Fekethi Ianus et deinde Czelnik accurissent, dando nouum Cæsari, de uestro exercitu et de defectione Petri Perenni, et aliorum ad uos, statim concluderet, cum oratoribus Regis Ioannis: Regnumque illud puero contulit, honorificentissimeque eos tractauit: et dimisit. Sanzacis etiam iussit, ut ferant opem si opus sit. Respondi ego, Imperator noluit Tranquillo longiores inducias, quam duorum mensium concedere, quæ res maximæ admirationi fuit apud nos. Heæ itaque induciæ cum iam expirassent, et Turcę excursionibus omnia perderent, Serenissimum etiam Dominum meum Regem exercitum misisse uersus Budam, quam Rex Ioannes iuramento pollicitus erat, mox a morte redditurum Regi meo. Quod cum frater Georgius facere noluisset, concordiamque infregisset: Serenissimus Rex et Dominus meus coactus est ad arma assurgere, ut cogat illos qui concordiæ contraueniunt, concordiam obseruare. Rex tamen et Dominus meus nihil uel ex Sclauoniæ aut Croatiæ confinijs, Imperatorijs prouincijs infert molestiæ. Respondit Ionusbeeg. Tu scis, toties enim ex ore imperatoris audiuisti, quod ipse Budam suam et totum Regnum esse dicit: per Deum inquit omnia infecta iam sunt cum isto bello, et tu inquit omnem fauorem et existimationem amisisti apud nos. Nam ego hodie, heri, et pridie, uehementer pro te pugnaui, itaque si tibi bene uis, dicas Bassis, quod tu potestatem habeas scribendi et comittendi isto exercitui, ut reuertatur ad propria. Respondi me hoc facere nolle, quoniam non haberem talem potestatem, nisi si pax sit in toto conclusa et facta. Dicit Ionusbeeg. Si talem non haberem comittendi potestatem, esse me in grandissimo periculo. Respondi me esse nunctium, redijsseque me ad Imperatorem, ut fidei meæ satisfacerem: Cumque essemus in eo sermone misit Bassa pro Ionusbeeg, ut cito ad se ueniret, ac ita discessit a me, cui tamen ego dixi, attulisse me quæ promiseram.

*

Primo Nouembris Die Obtinui apud Bassam audientiam, ad quem cum uenissem Dixit. Quomodo tu uenisti, ecce exercitus est Strigonij uester, uultque expugnare Budam locum Imperatoris nostri, quid tu dicis. Respondi me dicturum, Sed primum salutaui illum Maiestatis Regiæ nomine, Deinde declaraui, quod Ioannes Rex existens mente, et corpore sanus, ante annos tres, fecit cum Serenissimo Rege Domino meo concordiam, ut a morte eiusdem Ioannis Regis Buda cum uniuerso Regno esset in manibus Regis mei, ad quam concordiam firmissime obseruandam fecit iuramentum Rex Ioannes, et omnes sui primi Barones, filio autem Ioannis Regis debuit reddi patrimonium, ita sicuti id anno superiori Imperatori declaraueram, cupiebamque ut consentiret huic concordiæ. Quare nunc Rex meus expediuit exercitum, pro accipienda Buda, quia ita est capitulatum, ut statim post mortem Ioannis Regis teneatur Rex meus exercitum uersus Budam expedire, propterea ne Turce Budam ingrederentur, et ne nouæ practicæ, aut discordiæ inter ordines illius Regni orirentur: ac propterea Rex meus misit exercitum ut concordiæ satisfieret, sed non ut offendat Imperatorem. Me autem huc misit, ut nollet Imperator moleste ferre, concedatque Regi meo iuxta concordiam, cum Ioanne Rege factam, Regnum Hungariæ possidere: quoniam illi Barones qui unacum Rege Ioanne erant, et iuramentum fecerunt, quod a morte sua ueniant ad fidelitatem et subiectionem Regis mei, iam maxima in parte uenerunt ad Regem meum. Dicit Bassa. fuisse oratores hic, qui attulissent literas Perenni Petri et aliorum, ut Imperator noster Regnum daret puero, datumque esse: Quid ergo iam me uelle, postquam cum isto exercitu ueniam. Respondi me intellexisse, et propterea hic præcurrisse ad Bassas, ut impetrarem, quod Imperator firmaret illos oratores, neque pateretur eos confinia exire, tantisper, donec ipse fuerim ab Imperatore auditus. Dicit Bassa magnum esse apud se dubium, an possis Imperatorem alloqui, nam dixisse Imperatorem. Si alius nunctius, et non tu uenisses, nunquam eum amplius regem suum uisurum. Et certe inquit multa pro te laboraui, quoniam habes hic inimicos, sed non sunt Turcæ, sunt alij homines. Respondi. Bene me quum adhuc apud Regem essem sciuisse, ingratum me futurum nunctium apud Cæsarem, et uos Bassas, propter istum exercitum Domini mei, fuisseque multos qui mihi hoc iter dissuaderent. Tamen ego malui fidei ac promisso meo satisfacere: maluique huc redire sicuti promiseram, quam quod negligere debuissem uerbum meum: Faciebat enim mihi maximam spem, bonitas et prudentia Imperatoris et tua. Dicit Bassa. Ergo tu præcurristi ut isti orato-

res hic apud nos subsistant interim donec loquaris cum Imperatore. Respondi eam esse unam causam, ob quam hic præcurrissem. Dicit Bassa non obtinebis hoc. Sed dic mihi inquit, quem fructum tu habiturus es ex eorum retentione. Respondi Imperatorem eorum uerbis credidisse, et Regnum puero de quo dubia est opinio an sit filius uel aliquid aliud, contulisse, dedisseque illis literas suas de hac re, et de tributo conclusisse, quas literas si ipsi ex terris Imperatoris exibunt, iam amplius Imperator habere non poterit. Quum autem ego haberem cum Imperatore talia tractare, quæ ad summum eius honorem et commodum pertineant, sperare me, Imperatorem Regnum Hungariæ non puero sed Domino meo concessurum, et literas ab oratoribus Ioannis, quas illis dedit accepturum. quoniam oratores attullerant literas Petri Perenni et aliorum, sicuti intellexi hic, quum tamen contra uoluntatem Perenni et aliorum oratores isti huc uenerant. Habet itaque iustam causam Imperator retinere eos et mutare sententiam, Regnumque Domino meo concedere. Dicit Bassa cras se loquuturum cum Imperatore, sed non sperare ut eos Imperator reuocet. Addidit etiam ut redirem ad se cras sub uesperam.

Secundo Die Nouembris

In Aurora iui ad Rustam Bassam. qui munus a Maiestate Regia acceptare noluit et uehementer commouebatur, ac inclamabat, quod ex una parte uenerim pro tractanda amicicia, ex altera parte irritetur Imperator. Ad quæ Respondi sibi ut Ludffi Bassæ. Ipse tamen dicebat Maiestatem Regiam non habere Deum nec animam, quod innocentem Dei creaturam puerulum filiumque Regis perditum pergat. Cui ipse recensui Regem meum concordiæ cum Rege Ioanne factæ stare uelle, et puero patrimonium reddere. Hic mecum habuit magnam contentionem, et aperte dixit, quod nollet nostras fouere partes, quoniam uideat nos iniqua optare, et sic me dimisit.

Eodem die fui apud Ludffi Bassam, qui mihi retulit Imperatorem noluisse retinere oratores Budenses. et pessime commoueri, quod infantulum innocentem perditum uelit Maiestas Regia. Nihilque spei se habere ut aliquid boni obtineam apud Imperatorem, propter istum exercitum, quoniam dixit, totum mundum existimaturum quod Imperator timore faceret quicquid faceret. Maxime cum iam semel puero ante Dies aliquot Regnum contulerit, et in tuitionem suam receperit.

Die Tercio

Misi IonusBegum ad Bassas, ut excusaret me quod non uenerim ad illos. Et declaratum uenturum me, quamprimum currus et familia consequuti fue-

rint. et oblaturum me illis quædam, per Maiestatem Regiam in signum suæ gratiæ missa, significaui etiam illis priuatiora et secretiora quædam.

Quarto Die

Continui me domi, eodem uenit ad me IonusBeeg, et retulit Bassas uehementer mirari, quod uenerim huc quum altera ex parte exercitus Regiæ Maiestatis Budam ueniat expugnatum.

Eadem accurrit homo a Sanzacho Belgradi, quem Budam miserat, referens accepta esse castra Thatam ac Wyssegrad per exercitum nostrum.

Die Quinto

Exiuerat Imperator ad Ecclesiam Diuæ Sophiæ, et tunc dictum illi erat de acceptis castris Thata et Wissegrad, ubi commisit Bassæ ut me uocaret ad se, ad quem quum uenissem, dicit Imperatorem scire uelle, ad quid hic uenissem. Respondi. ut pacem bonam et firmam facerem, ac meliorem quam possem amiciciam stabilirem. Dicit Bassa, uerba mea non respondere factis, quum una ex parte ego de pace agam, ab altera uero parte bellum terra et aqua ueniat. Respondi. ueritatem esse que de bello loquatur, quoniam induciæ expirassent. Regemque meum consulte, necessarioque exercitum scripsisse et misisse: propterea quod non habeat pacem cum isto Imperatore, et quod pactis et concordiæ cum Ioanne Rege factę quidam Hungari qui Budæ sunt stare nolunt. Dicit Bassa. Imperatorem ita esse offensum, ita exacerbatum, ut non habeat modum quo pacto negotium meum promouere posset. Respondi. Quare Imperator commoueretur si nos Christiani adinuicem pugnamus. Regem enim meum non uenire ad Essek aut locum alium, ubi Zanzachus, aut alij Turcæ agant. Sed uenire Budam ubi nullus Turca sit, et ubi sit Regina Ioannis uxor, mulier iuuenis, et ad pernitiosas Regi meo practicas cum certis principibus, et etiam fortassis patre suo Poloniæ Rege faciendas propensa. Dicit Bassa. Budam esse Imperatoris, et eos omnes qui Budæ sunt esse subditos et tributarios eius. magisque Imperatorem offendi, quod Budam ubi uxor cum innocenti puero maneat expugnare contendimus, quam si Esseeg obsideamus. Imperatorem itaque uehementer irasci, nimiumque admirari aduentum huc meum. uolebatque Bassa, promittam et scribam ad exercitum ut subsistat, neque Budam pergat. aut si uenit, ut reuertatur. Ego uero respondi non posse me hoc facere. operepreciuм enim esse, ut primum ab Imperatore audiar, et aliquas primum inducias transigam. Dicit Bassa Imperatorem me non auditurum, et si alius inquit uenisset nunctius fuisset sine capite: Sed tu inquit es extra periculum, neque timeas, et bene cogites quid apud alios Bassas sis lo-

quuturus, ad quos cras ibis, cras etiam erimus cum nostro Imperatore, ubi ego omni studio laborabo, ut te Imperator audiat. Egi illi gratias: et addidi summam me habere fiduciam in bonitate ac prudentia Imperatoris et authoritate Bassæ: quum Imperator non habeat iustam causam irascendi pro isto exercitu. quoniam si induciæ non sunt, humanum est facere prouisionem de bello ne prouinciæ pereant, et homines ut bruta sine aliqua tuitione abducantur. Proptereaque ostendi Cæsarem Carolum uenisse, ut si pax firmari non posset, ut Christianitati prospiciat, nihilominus paratum eum esse, et cupere amiciciam et pacem cum Turcarum Imperatore inire, si id gratum et acceptum sit futurum Imperatori huic. Hic quęsiuit a me Bassa ubi esset Cæsar. Respondi, illum hoc mense Nouembre uenturum Ratisbonam, uoluitque scire ubi esset Ratisbona, et quam longe sit supra Viennam. Interrogauit me cur non contulisset Cæsar Regi Franciæ Mediolanum sicuti promiserat. Respondi. nondum esse terminum ut detur Mediolanum Gallo, quoniam Cæsar locaturus sit filiam suam filio Regis Franciæ: filia autem non coaluit, neque etiam filius ut nuptias facere possent. Intra tamen annos aliquot, nuptias futuras, et Mediolanum futurum in manibus filij Regis Franciæ. Admirabatur Bassa, et interrogauit an scirem hæc certe. Respondi. me non interfuisse tractatui, hoc me tamen ab amicis meis uiris magnis habuisse, et propterea me certe nescire. Tunc Bassa uolebat uocare Rinconem, qui tunc erat, quum ego ingressus sum, in domo sua. sed ad Gallatam abiuerat. Præuenerat me autem Rincon ad Bassam, quoniam a Rege suo heri acceperat missas, per unum nunctium Gallum, ubi multum Bassa mirabatur, et rogabat me dicerem illi an esset uera amicicia inter Cæsarem et Gallum. Respondi. Bassam posse ex coniectura concipere, quæ et quanta sit inter eos amicicia, quum sciat Cæsarem cum paucissimis uenisse in mediam Franciam, ibique cum Rege Franciæ in summo honore, amoreque, duobus mensibus uersatum fuisse. Dicit Bassa. Nos intelligimus Cæsarem nolle stare promissis Gallo factis et nouos nunc tractatus facere cum Rege illo, longeque nunc alia loqui quam fuerat loquutus tunc, quum apud Regem in Francia fuisset. Sed uadant inquit hæc, tu cras ut dixi Bassas accedes, apud quos prudenter ages.

Sexto Die

Fui apud tres Bassas. cum quibus magnam habui contentionem, propter istum exercitum apud quos ijsdem usus sum rationibus quibus et apud Ludffi Bassam. Et unicuique dedi, duas ex aurea tela, duas ex ueluto et totidem ex Damascho uestes, et unam ligaturam pellium Sabellinarum. Eodem die Ludffi Bassa ad me misit. Significando, quod difficulter impetrauit, ut me Imperator

ad suam præsentiam admittat, iussitque ut cras essem paratus, et maxima modestia et reuerentia utar apud Imperatorem suum.

Eadem mihi dixit IonusBeeg nomine Bassæ, quod non grauarer si mecum præsentibus alijs Bassis acerbius loquatur, quoniam esse operepretium uitare suspitionem apud alios Bassas.

Septimo Die

Hora diei tercia ingressus sum Deuan. ubi sedentibus Bassis repetiui legationem meam, quam anno superiori habui, repetiui etiam responsa, quæ mihi Imperator dederat, et maiori qua potui arte contendebam, Regium animum, propensionemque, et beneuolentiam commendare, Iusticiamque et ius, quo a multo iam tempore Regnum Hungariæ ad familiam Austriæ, nuncque maxime a morte Regis Ioannis, pure et mere, Diuina, humanaque lege pertineat, declarare et inculcare. Maiestatemque Regiam supra modum cupere, ut firmissima amicicia et pax stabiliatur inter se et Imperatorem. Quæ quum longo enarrassem sermone. Mox Ludffi Bassa. Pulchre inquit loquutus es, sed turpe fecisti, quod quum exercitu uenisti, quomodo enim hæc conueniunt, ex una parte uenire pro amicicia et pace, ab alia uero cum armis, exercituque, et Bombardis castra Imperatoris obsidere, et expugnare, est ne hoc honestum, quod tu huc uenisti propter beneuolentiam et pacem: et sub id tempus Imperator noster irritatur et lacessitur, ac armis impetitur. Ingerit se etiam Seuliman Bassa et dicit. Terroribus et armis uis tu Imperatorem nostrum cogere, ut cum tuo Rege pacem faciat. Exclamat Rustham Bassa, et dicit ecce exercitum duxisti, et optas Budam ac Regnum, quid hoc aliud est, nisi ut Imperator emat amiciciam uestram, mercetur pacem a uobis, dato Regno, Ah quam honestam et pulchram legationem adfers. Dicit Mehemeth Bassa, audebis ne talia apud Imperatorem loqui? Respondi, uelle me intelligere, si eorum alicui iuberet Imperator, ire ad Regem, ut nunctiaret illi aliqua, obaudiret ne mandatum Imperatoris sui. Dicit Seuliman Bassa, ubi homo terra et aqua ire potest, ibi quilibet nostrum ibit quando potentissimus Imperator iusserit et dicet que commiserit. Respondi, eodem modo me fecisse, et obedienter domino meo iubente huc uenisse, et dicturum imperatori quæ mihi sunt commissa. Dicit Ludffi Bassa. Tu non es almanus, tu es liber seruire, et non seruire Regi almanorum. Quare tu non manes apud Poloniæ Regem, ecce hic fuit orator suus ante dies paucos, quem interrogauimus de te, ipse retulit nobis, quod tu sis Consiliarius Regis Poloniæ et habes magnum officium, quare ergo stas cum Almano Rege. Respondi. Quod Imperator Turcarum habet hic oratorem Regis Franciæ qui tamen non

Gallus sed Hispanus existat, eam itaque nobis esse libertatem Christianis, ut cui uelimus seruire possimus. Dicit Seuliman Bassa. Rex Poloniæ locauerat filiam suam Ioanni Regi, ex qua suscepit filium, cui Imperator noster Budam dedit et Regnum: Quomodo itaque tu audes seruire contra sanguinem Poloniæ Regis. Respondi. maximam esse amiciciam inter Poloniæ et Romanorum Regem. et proxima æstate nuptias futuras: Et filium Poloniæ Regis accepturum filiam Romanorum Regis, ac propterea gratum esse Regi Poloniæ quod ego seruiam Regi Romanorum. Dicit Ludffi Bassa, relinquenda esse ista, et aduocauit ad se Kappa Aga, et intimauit per illum Imperatori nescio que: Interim autem me de Duce Kleuensi et Ducatu Geldriæ interrogauit, et quid sit in Hagenau conclusum cum Lutheranis, cui ego respondi, esse paccata omnia, neque in aliqua parte Christianitatis esse nunc controuersiam. Dicit Seuliman Bassa, uos habetis multas partes, et multa capita, non potestis diu permanere concordes: Sed Dominus noster habet unicam duntaxat partem, unam uocem, cui obediunt tot Imperia, Regnaque, et exercitus, et est uox quæ in nulla re defectum habet. Si enim dicit gentes et exercitus, sunt parate copiæ infinitæ. Si dicit Galeas et classem sunt instructissimæ. Si dicit aurum et argentum, Constantinopoli non sunt tot equi, ut thesaurum suum ferre queant. Ego uero consentiebam, et magnifaciebam Imperia, potentiam, opesque Turcarum, hæc tamen stare in uoluntate Dei: Cuius nutu, ex multis, et uarijs discordijs, ac bellis sit nunc paccata Christianitas, tandiuque unanimem fore, quandiu illius Diuinæ uoluntati uisum fuerit. Dicit Rustan Bassa. Ad quid hæc Christianorum concordia pertinet? Respondi. Assidere hic in præsentia Barbarossam; ab illo interrogandum esse. Risit Barbarossa et dixit Italice, uis ne me facere Regis tui oratorem. Deinde loquutus est Turcice ad Bassas. Interim redijt ab Imperatore Kappa Aga, et attulit nescio quæ uerba, quæ cum retulisset statim allate sunt escæ, ubi inter epulas, multa mecum sunt blande Bassæ loquuti, admirantes labores et cursitationes meas: et declarantes me esse fœlicem quod cum tali legatione Imperatorem eorum uidere possem, ostendentes, si alius cum tali legatione uenisset, nunquam Imperatorem uidisset. Ego uicissim dicebam, summum me odium habere apud nostros omnes, qui castra sequuntur, quod hanc procuro pacem, quod bonitatem, et Nobilissimas Imperatorias animi et corporis dotes extollo. Dixique me me habuisse in curia Cesaris nostri, summam cum oratoribus Persianis contentionem, Qui stemmata sui Regis et fortitudinem præferebant, supra Imperatorem Turcarum. Dicit Ludffi Bassa, an a multo tempore ibi essent isti nunctij. Respondi. Vnum

supra annum esse, alium uero a quinque mensibus. Dicit Ludffi Bassa. Dices ne nobis causam, propter quam uenerunt. Respondi, me ueritatem omnem dicturum, neque aliquid celaturum. Et dixi unum qui supra annum uenit, uenisse primum ad Regem Portugaliæ, et deinde ad Cæsarem. per quem nunctiabat Persa. Quomodo Imperator Turcarum, sub absentia sua, quando erat in Horossan, uenisset contra illum, et accepisset sibi Thebres, adiutoribus Regibus Syruan, et Gylan. Et significabat quomodo Imperatorem expulit, Thebresque recuperauit, Bombardasque ademit, multos Turcos occidit sed plures captiuauit. et agebat pro confederatione cum Portugaliæ Rege et Cæsare, et optabat sibi dari pixides, et municiones: et data sunt omnia quæ postulabat. Alius uero iste ultimus, uenit declaratum quomodo Persa accepit Syruan, et Gylan Regna, sitque in summa amicicia Geczy Bassæ, et Chuthen Han, qui est maximus Tartarorum Han. Dicebatque Persam habere instructissimum exercitum, et inuasurum ditionem Turcarum, habereque intelligentiam cum præcipuis Turcis, qui ad eum deficiant, et cupere ut noster Cæsar cum reliquis Christianis principibus arma capiat, et a sua parte Imperatorem inuadat. Offerebatque se cum Cæsare facturum confederationem, ac perpetuum fœdus contra Turcas, ea conditione ut Cæsar nostra Europa potiatur et Persa Asia. Riserunt Bassæ, et Ludffi Bassa dicit. Quamcito posuistis uobis, cum KeselBassa confinia, habuit inquit partem suam ante dies paucos, profligatus enim est a nostris, neque potest expectare nostros. Quid est KeselBassa, unus Begleerbeeg Imperatoris plus potest quam ille: Existimo autem Carolum non ita esse mente captum, ut istis nunctijs credat. Respondi. eos maximo honore accepisse, et tractare. Dicit RusthanBassa. Si cum illis fœdus fecit Carolus, quare cupit amiciciam Imperatoris nostri. Respondi. Nondum esse fœdus factum, neque futurum si Imperator Cæsaris amiciciam, et Regis mei charam sibi habebit. Quo in sermone dum uersamur, Imperator uocauit Bassas et me, ubi Bassæ admonuerunt me, ut modestissime loquerer.

Veni itaque ad Imperatorem circa meridiem et exosculata eius manu, salutaui illum nomine Regio. Ostendendo Regem nihil optare magis: quam ut Imperator optime, et fœlicissime cum tota sua domo, et curia ualeat, charas etiam Regi meo illas inducias fuisse. et præcipue quod illum in locum filij receperit gratissimum esse indicaui, et in signum gratitudinis ac leticiæ suæ misisse aliqua munera suæ Celsitudini, desiderareque Regem ut illa beneuole acciperet, neque rem paruam intueatur sed animum et propensionem Regis. Qui constanter deliberauit, illum loco honorandissimi patris obseruare, omnia-

que exequi, quæ ad augendam indies eius beneuolentiam bonamque uicinitatem pertinerent. Deinde declaraui Regem meum, per omnes suos oratores semper ostendisse Maiestati suæ, quo iure et iusticia Regnum Hungariæ ad se pertineat, desiderasseque ut liceret Regi, illo Regno gaudere, in amicicia eius Celsitudinis et bona uicinitate atque pace, maximeque optare, ut iam tandem illius Celsitudo, acclinaret animum suum ad faciendam puram et integram cum Regia Maiestate amiciciam, pacemque ita ut Regia Celsitudo toto Regno, uti cum Ioanne Rege bene olim mente, et corpore sano concordauerat, potiatur. Quemadmodum illius Celsitudini anno proximo declaraueram, et optabam consentiret illius Maiestas ad illam concordiam. Hic dicit Imperator. recordaris ne responsum, quod tibi de concordia ista dedi? Respondi me meminisci. Dicit Imperator dicas. Respondi. illius Maiestatem dixisse. Regem Ioannem non potuisse aliquem contractum pro Regno non suo, sed Imperatoriæ suæ Celsitudinis cum quoppiam facere. Dicit Imperator dixisti hæc tuo Regi. Respondi me dixisse. Si ergo dixisti, me dixisse, Regnum esse meum, ad quid ille exercitum in Regnum meum immisit, ad quid tu etiam huc uenisti, ubi nunc honestas tua, pulchre me Rex tuus decipere contendit, Inducias tamdiu optabat ut transiret æstas, et interim se armabat ut impetat Budam. Est inquit hyems sed sequetur æstas, et hic multa Turcice est loquutus, Bassæ uero omnes demiserunt occulos ad terram, neque audebant inspicere Imperatorem irascentem. Ego uero dixi, nolle uelle exercitum Regem meum expediuisse, quoniam in concordia, quam cum Ioanne Rege fecit, idem Ioannes Rex iuramento Regem meum astrinxit, ut mox post mortem suam sub Budam Rex meus cogatur exercitum locare, non facere itaque Regem meum id in iniuriam aut contemptum Imperatoris, quod exercitum mittat, nam illius Celsitudo constanter deliberauit, et fratrem etiam suum Serenissimum Carolum Cæsarem pertraxit ut cum Imperatoria sua Celsitudine amiciciam fœdusque ineat. Dicit Imperator ubi est Carolus de Hispania. Respondi eum Ratisbonam uenturum. Dicit Imperator ad quid eo ueniet. Respondi habiturum ibi Diettam, et multorum principum conuentum. Dicit Imperator. Ecce est hyems, sed ueniet æstas, et deinde irascebatur, et multa est loquutus etiam intermiscendo conuitia. Vbi mox Bassę iusserunt, ut nec unum uerbum loquerer amplius, sed ut exirem, exiui itaque semper Imperatore clamante, et me in hospitium contuli, manserunt autem Bassę cum Imperatore horis fere tribus, et tunc decretum fuit, ut Imperator Andrinopolim se moueat, et bellum proscribat et proclamet.

*

Octauo Die

Venit unus Czaus, et numerauit omnes meos seruitores, et equos, uictualiaque sunt mihi diminuta, et admonitus sum, ne sub pœna capitis audeant mei domo egredi, et cum externis uersari, uolebant etiam hospitem cum eius familia eicere, ut nemo esset in domo mecum, nisi mei et custodes.

Eodem uenit IonusBeeg et commisit ne hospes eiciatur domo, custodes uero dicebant hospitem hospitamque et familiam suam egredi domo, neque custodire posse ne efferant, neue afferant, et tamen res est in crastinum reiecta. IonusBeeg autem uolebat ut sim bono animo neque turbarer. Imperatorem esse uehementer iratum, me tamen esse extra periculum, Nam quando falcones meos Imperator iussisset ad se adferri, uehementer illi placuerunt, dixitque te nobilem esse et peccatum quod Almano seruias. Respondi. me esse in potestate Imperatoris. Dixitque omnia esse destructa cum isto exercitu Regio. Quoniam Imperator nullo modo posset, cum honore et Gloria sua quidpiam amplius cum Rege tractare, nam quicquid faceret. dicerent omnes nationes in mundo, quod ex timore fecit: Et Imperator non eget alia re nisi honore, et gloria, quia iam omnibus rebus alijs quæ in humana uita ad fœlicitatem pertinent sit saciatus, dempto honore, quo ipse supra alia omnia saturari non potest. Respondi me mirari, quod ita subito uelit Imperator consuetudinem, moresque Christianorum reformare, quum apud nos sit usu receptum, ut exercitu, ab utraque parte stante instructo et educto ad pugnam, ultro citroque nunctij currant, et concordiam procurent, reuertunturque ad suos honorati et salui, me etiam uenisse ad Imperatorem, ut pax sit et bellum cesset. quod peccatum sit Regis mei, si expiratis inducijs quas cum Imperatore habuit copias collegit, et uersus Budam misit? iam ne Regem meum, propterea quod Imperator irascatur oportere pati, ut prouinciæ suæ per Turcas igne, ac ferro, rapinisque impetantur? Esse Serenissimum Regem meum magnum Dominum, habereque multa Regna, populosque diuites, habere etiam fratrem, et amicos, neque eum amplius ferre posse, ut sicuti hactenus subditi prouinciæque suæ, tanquam ipso dormiente distrahantur a Turcis. Nam si sub inducijs quas anno proximo acceptauit Imperator infinitus numerus nostrorum sit abductus per Turcas, quid expiratis inducijs dominus meus amplius expectare debuit? Consulte itaque et necessario fecit, quod hunc exercitum scripsit, id quod etiam solus ipse Ionusbeeg faceret si eo loco esset, atque sit Rex et Dominus meus. Dicit Ionusbeeg. Si inquit exercitus Regius staret in confinijs contra Turcas non moueretur Imperator tantum, quan-

tum mouetur, quod puero innocenti intulistis bellum, uultisque illi Regnum adimere, quod illi iam Imperator contulit, illumque in tutellam suam accepit. Sed dicit satis est inquit tibi, quod superasti maximam fortunam, et sufficit quod es iam extra periculum, quoniam fuisti in fundo maris. Respondi me esse in potestate Imperatoris. Dicit Ionusbeeg. Essem bono animo, neque aliqua iam molestia afficiar, nisi quod non ita cito hinc dimittar, nihil tamen se magis timere, quam ne sub ista colera Imperatoris afferatur nouum de capta Buda, quia timeo ne esset grande iterum tibi periculum. [hic mihi dixit seuliman bassam suadere ut mihi nasus labia et nares absciderentur sed turcum noluisse quoniam essem bonus et fidelis seruitor illius cui seruirem, iurabatque ionusbeek si quispiam alius uenisset, ita deformatus fuisset remissus, eratque nobis longus ad inuicem sermo.]

Die Nono

Accurrit ex Buda nunctius, quidam Marco nomine. Dicens Maiestatem Regiam uenisse Posonium, et misisse exercitum sub Budam, se uero esse a Monacho, et Valentino Thewrek, ac Petrowyth missum ad Imperatorem, cum hoc nouo, et quomodo isti tres sunt Budæ habentes 6ooo. electorum militum, habentes uictualia etiam ad decem annos, et munitiones sufficientes, neque curare de aduentu hostium, Quoniam sint eo ordine instructi in Buda, ut hostis nihil eis nocere possit: Hoc saltem rogare, ut naualis exercitus Turcarum in Pesth ueniat. Quod nouum quum esset Imperatori dictum, statim decreuit, Andrinopolim proficisci, et iussit ut Barbarossa ad Marcium exeat, Iussit etiam ut uiginti quinque Galeæ, hinc per pontum ad Danubium, et deinde Danubio uersus Semendriam eant.

Eodem Bassæ mutarunt unum meum custodem, et dederunt alium, qui mihi nomine eorum iussit ut colligerem res meas, ducturum enim me in alium locum, Prohibuitque ut Kerdey, et Turcis qui me ex Belgrado huc deduxerunt, ne quispiam audeat mecum loqui, Ego autem dixi tarde esse, neque me posse hodie hinc egredi, cras tamen iturum, si aliter esse non poterit, Moxque misi ad Ludffi Bassam Kerdei cum falconibus et rogaui ne me tanta ignominia afficiat, neue me ex hoc loco educi permittat: rogauique ut cum ipso loqui possem, quoniam haberem magna et grata, cum illo tractare. Iussit itaque Bassa manerem in eodem hospitio, usque quo cum illo loquerer. Et iussit ad se Tercio die uenire.

Decimo Die

Nemo ad me permissus est, mansi itaque domi solus.

Vndecimo

Continui me domi, Bassa tamen misit, et iussit, ut cras mane ad illum uenirem, dedi nunctio munus, et uni custodum dedi aliud munus, propterea quod permisit ut Kerdey cum falconibus iret ad Bassam. [eodem misi bassanum ad maiestatem uestram.]

Duodecimo Die

Summo mane ueni ad Bassam qui me Humaniter excepit, et solatus est, cui ego dixi. Quod uideam Imperatorem esse commotum ita, ut noluisset finem audire legationis meæ, uenisseque eum in coleram, et inclamasse aliquoties, me autem non habere, cor regis mei in manibus, ut illius Celsitudo faceret quæ uellem. Satis me dissuasisse eius Maiestati ne maturaret cum isto bello, sed nihil profecisse propter illud suum iuramentum. Arbitrabatur enim Rex meus et eius consiliarij Imperatorem habiturum excusatum Regem meum. quod fidei iuramentoque suo satisfaciat. Dicit Bassa. Imperatorem credere nolle, quod Rex Ioannes constrinxisset Maiestatem Regiam, ut a morte sua ui castra capiat, Budamque expugnet. Quoniam si uoluisset sibi succedere Regiam Maiestatem, ordinasset quod castra et Buda sponte darentur illi, itaque non opus esse, ut amplius de hoc uerba facerem, et magis ac magis Imperatorem et Bassas irritarem. Satis enim me ignis excitauisse, magnoque labore ipsum animum ardentem Imperatoris sopiuisse. Satisque mihi esse, quod periculum euaserim, quoniam fuisse in fundo maris, nunc tamen me stare supra aquam. Debereque me cogitare, ut enatare ac fluctus effugere possem, admonuitque me ut breuiter cum ipso loquerer, quoniam cæteri Bassæ haberent eum suspectum. Cui ego dixi, usu esse apud Christianos receptum, ut quum oratores mittant, et tractatus aliquos faciant, unum et alterum modum quærant, ut si una uia non possent, altera pro discordia conueniant. Cum itaque Imperator ferre non potest ut de Buda et Regno [offerendo etiam tributum loquamur] cum Serenissimo Domino meo propterea quod iam illam puero contulit: Et Serenissimo Domino meo, neque integrum neque decorum sit, iure suo quod ad illud Regnum habet de plano cedere, et ob id me habere facultatem tractandi pro inducijs, Triginta aut uiginti annorum. Dicit Bassa frustra loquerer. Imperatorem nihil facturum, quandiu sentit istum exercitum, quoniam non uult ut uideatur metu fecisse. Sed inquit ego dicam tibi unam rem. Altera die postquam fuisti apud Imperatorem iussit sibi afferri falcones tuos quos cum pingues et integris plumis esse, atque pulchre ornatos uidisset, dixit te esse nobilem Spahy. Et damnum esse, quod Almano

seruias, uult itaque ut sibi seruias, ecce habes iam modum enatandi. Adhuc es supra undam, uideas itaque quid dices. Respondi fuisse me, et esse, et futurum semper seruitorem Imperatoris illiusque bonitatem et potentiam apud omnes Christianos celebrasse, et deinceps etiam celebraturum. Dicit Bassa. Cogitarem bene et cras responderem, antequam ingrediar ad Aulam. Respondi uelle me intelligere, qua in re inutili opera Imperator mea egeat. Dicit Bassa. non posse mihi hoc dicere, nisi prius intelligat me uelle seruire, quia si nollem ad quid mihi diceret? Respondi. me habere uxorem liberosque, amicos etiam et aliqua bona, cogitareque posse Bassam, quod amittere talia pignora grauius est, quam suscipere mortem: Si tamen Imperator contra Persam seruitio meo uti uellet, paratum me esse uno et altero anno seruire, sub nomine et titulo oratoris Serenissimi Domini mei, Romanorum Regis, ita tamen ut mihi liceat post illud tempus redire domum. Dicit Bassa. me uelle exactius eorum res cognoscere, et cognitis iterum ad Almanos redire. Virum strenuum propter gloriam, et tanti Imperatoris gratiam, non debere uxoris rationem habere uel filiorum, quoniam sint etiam apud illos fœmelle, ex quibus unam capere possem, si illa carere nollem. Imperatorem uero daturum mihi castra, uel uillas plures quam haberem ante. Se esse captum et filium Christiani, nihilque habuisse, iam uero ex Imperatoris gratia habere aliquot centum uillas, et esse in primo loco. Respondi. me nullo modo polliceri uelle, quæ nollem exequi, me esse Christianum, scire fidem meam. quam pro nulla gloria, pro nullis præmijs, neque etiam terroribus et tormentis essem neglecturus, proptereaque me seruire non posse Imperatori. Dicit Bassa. Futurum me iterum in fundo maris, nisi aliter deliberauerim. Respondi. iam esse deliberatum, neque me aliter loqui posse. Rogabamque Bassam, ut cum perpetua pax confici non possit, acceptarentur induciæ, Triginta uel uiginti, aut decem ad minus annorum: et me uolaturum in postis et exercitum reducturum. Dicit Bassa. Tu iam bene scis, quod sim amicus uester, et sum suspectus apud cæteros Bassas, et libenter ea quæ optas procurarem, Sed non inuenio modum loquendi cum Imperatore. Tu enim dicis reducam exercitum, exercitus uero castra accepit Imperatoris, quæ puero Imperator contulit, tributumque acceptauit, et spopondit eum in Regno defendere: Quomodo ergo est possibile fieri inducias, si castra accepistis. Interrogauit me possem ne polliceri quod accepta restituantur puero, quoniam hoc modo paccari fortassis posset Imperator. Dixi me non habere potestatem conferendi dicta castra. Dicit Bassa. Ergo frustra pergerem indutias assequi. Respondi illi facilius Regem meum posse

induci, ut castra per tempus induciarum daret ad manus neutras, uidelicet Serenissimi Regis Poloniæ. Dicit Bassa, iam me inuenisse modum, quomodo cum Imperatore loqui posset. Iussitque mihi ut redirem in hospitium, et scriberem ad ultimum, quid negotij habeam. Et dixit. Sis paratus, cras mane Deuan ingredi, et nobis simul sedentibus scripturam afferre. Et de illo negotio de quo tibi sum loquutus, consulo, si induciæ non procedent, ne contemnas temet Imperatori dare, quia eris in periculo si negaueris. Subrisi, et subiunxi dicens me deliberasse.

Tredecimo Die

Summo mane literas scripsi ad Imperialem Celsitudinem pro inducijs, Triginta, aut Viginti, uel ad minus annorum decem, et optabam ut me permitteret in postis Budam proficisci ad exercitum reducendum a Buda. Quas literas cum Bassis sedentibus in Deuan detulissem, illasque legissent, Dixerunt, nihil me obtenturum, nisi Rex uel cedat his quæ de Regno Hungariæ possidet, uel Imperatori tributum pendat. Quibus ego respondi. nullam me facultatem habere de tributo [nisi si turcus consenciat toto regno hungarie gaudere] meque nunc non aliud quærere quam inducias, ut sub illis mature perpetuam pacem tractare utrinque possimus: Sub quibus posset filius Ioannis Regis, de quo adhuc dubium est, mori. Dicit Seuliman Bassa, tamen habuisti inducias ista æstate tota, huc etiam uenisti: quare itaque non facis nunc quæ facere debes. Respondi. me facere quæ in commissis haberem, et ultra commissionem nihil me facere posse. Dicit Seulyman Bassa. Quod quum anno fuissem hic superiore, omnia bene egissem, firmassemque fundamenta et initia pacis perpetuæ, et effecissem, quod Imperator denuo reciperet Maiestatem Regiam loco filij. filius tamen extulit ceruicem ac contra patrem arma cepit, ad hunc ergo punctum respondi ut prius respondebam. Dicit Ludffi Bassa. Scripturam tuam dabimus Imperatori nostro, tu interim te domi contineas.

Eadem uenit ad me IonusBeeg plenus timoris, et dicit. literas quas Maiestati Regiæ scripsissem hinc, esse datas Imperatori. Se itaque esse missum, per Imperatorem, ut illa quæ scripsissem, ueræ et fideliter recenserem, neque me paterer alio modo examinari, quoniam si hoc modo non dicerem, futurum alium modum: cui ego dixi, Scripsisse me Regi meo, et literas per unum Turcum, et non per Christianum misisse, Neque me quidpiam timere propterea, ac libenter quæ scripsi dicturum. Dicit Ionusbeeg. Viderem ut dicta mea conueniant cum literis. Timere enim se, non solum mihi, sed et sibi ipsi. Dixi itaque quæ scripsi, quæ iterum ille me dictante scripsit, et Im-

peratori detulit. me uero dixit esse in maximo periculo. Respondi. Me esse in potestate Imperatoris, futurumque quod Deus uolet. Sed me hic nihil deliquisse, quod scripsi, quia semper anteea hinc scribebam ad principem meum. Dicit Ionusbeeg. Aliam tunc fuisse temporis conditionem, tunc me fecisse inducias, posuisseque initia pacis, nunc uero contempto patrismo bellum et exercitum attulisse: et hic cum quadam compassione damnabat factum hoc, et dicebat non debuisse me uenire, sed alium quempiam fuisse mittendum cum literis saltem: Quoniam inquit Imperator totam tibi dat culpam et tibi irascitur. Nihilque se timere, nisi ne capta Buda, præcipitanter ex ira aliquid tibi faciat. Pollicitusque est amice res meas curaturum se, et ita cum scriptura discessit.

Quatuordecimo Die

Mansi in hospitio, custodibus neminem ad me admittentibus.

QuintoDecimo die

Mansi in hospitio custodibus sollicite custodientibus: Eo die orator Gallicus licentiatus est.

Sedecimo Die

Mansi in hospicio.

XVII.

Mansi in hospitio, quo die noluit mihi dare audientiam Bassa, quoniam esset sibi inhibitum, ne me ad se amplius admittat. Excusabatque se apud me amicis uerbis et iubebat esse optimo animo. Eodem uenit ad me Magistercubiculi Seuliman Bassæ priuato nomine, ut consolaretur me tanquam amicus.

XVIII.

Mansi in hospitio.

XVIIII.

Mansi in hospitio. Eodem uenit ad me Ionusbeeg, et comedit mecum.

XX.

Venit Christophorus Seinchey ad Imperatorem, ut illi quatuor arces dederet, quem Imperator ad se admisit, et stipendium annuatim Sexcentos florenos inscripsit.

XXI.

Mansi in hospitio.

XXII.

Mansi in hospicio, literas tamen ad Bassas scripsi, et rogaui ut me ad se admittant.

XXIII.

Missus est ad me per Bassas HassanBeeg interpræs linguæ Italicæ ut irem ad LudffiBassam.

Veni ad LudffiBassam. Is mihi retulit eam esse uoluntatem Imperatoris, ut hic Constantinopoli maneam, neque Imperatorem Andrinopolim euntem sequar, dixitque esse commissum, ut mihi uictualia suppeditentur, tamen ut equos diuuenderem, quoniam illis non egerem. Nam nihil pro equis essem auenæ aut feni ab Imperatore habiturus. Dixit mihi. Imperatorem ita esse animo malo propter exercitum sub Budam missum, et aduentum Caroli Cæsaris in Germaniam, ut si hic alius orator uenisset, dedecoratus ac lacerata facie fuisset remissus. Dixit Imperatorem iam proficisci, ut armis experiatur, quid Carolus et Romanorum Rex possent. Culpabat aduentum meum, quod cum tali legatione uenissem: Potuisse me domi cogitare, quod Imperator terroribus, et armis pertrahi non possit ad amplectendam istam pictam amiciciam, quia picta et non uera esset, quum exercitum mittant sub Budam locum Imperatoris, quum Carolus ex Hispania spargendo famam uenit, ut cum Imperatore pugnet. Dixit mihi exemplum unum de aduentu Cæsaris in Germaniam. Quod uidelicet pater istius Imperatoris, quum proficisceretur contra Persam, et Zolthanus Syriæ et Aegipti uenisset ad Alepum, suspectam habens potenciam Turcarum, misit ad Zoldanum, dicendo. Zoldane pater adoptiue, ego nullum habeo negotium tecum, tu es mihi pater, et ego filius tuus, sed honor meus ferre non potest, ut patiar esse te nunc in castris, quum ego prope sum, rogo te reuertere Damascum, neque te reddas mihi cum isto exercitu tuo suspectum. Zolthanus autem nolebat. Quod cum uidisset Selym mox relicto Persa, iuit contra Zolthanum, et eum debellauit, et Imperium suum possedit. Sic etiam nunc præcise Carolus fecit, uenit in Germaniam ut Imperatorem prouocet; id quod faciliter obtinuit. Quia iam Imperator exibit meus, et quæret eum, usque ad Alexandri pontem, (ita enim Ratisbonam nominant.) Ego autem prioribus rationibus sum usus, de misso exercitu. Quantum tamen ad Imperatorem attinet Carolum Respondi. Me mirari, quod Imperator eius uelit præscribere Carolo Cæsari, in terris et Regnis suis, negotia sua, et prouincialium suorum tractare, ut non debeat Cæsar, per Regna sua, quo opus est proficisci, maxime cum sit communis fama, quod Imperator Turcarum proximo uere, ueniet in Germaniam. Cum itaque sit Caput Christianitatis, ex dignitate et officio suo est, tueri se et sua. Maxime si Imperator amiciciam pro qua ego ueni, et pacem suscipere nollet. Respondit Bassa, ecce

iam minæ. Quid hoc aliud est, nisi ut Imperator propter aduentum Caroli timeat, et uobiscum pacem timore ineat. Si pacem desideraret ueram et non pictam, misisset diu oratorem, et in Hispanijs se continuisset. Respondi non esse possibile, ut Cæsar et reliqui principes dormiant, quum intelligant futuram expeditionem Turcicam erga se. Humanum non solum est, sed et minimarum belluarum, tueri et deffendere se. Semper autem ex discordijs bellum, et ex bellis pax consequi solet. Quum itaque bello hactenus satis se mutuo confecissemus, pacem esse necessariam. Rogareque me Bassam, ut incumbat omni sua opera, et hanc sibi columnam statuat, quæ perpetuam sit illi gloriam allatura, uidelicet ut hanc pacem conficiat, autoritate et bonitate sua, me etiam facturum, ut omnino syncera ac firma, a parte Christianorum sit pax futura. Respondit Bassa. Deum unum esse testem, qua sollicitudine, et labore usus sim, ad conficiendam hanc pacem. Sed iam amplius nullum se habere modum loquendi, quia iam sit bellum conclusum, proscriptum, et proclamatum. Iamque Imperatorem hinc egredi, et propterea me ad se aduocasse, ut indicaret mihi quod Imperator iubeat me hic manere, usque ad aliam informationem. Ego autem rogabam Bassam, efficeret ut sequerer Imperatorem, famamque esse dixi sparsam, quomodo in uincula essem deiectus, qua fama duos seruitores meos, quos Andrinopoli reliqueram cum equis, perterritos quæsiuisse sibi fuga salutem. Quodsi hic remanerem hæc fama dissiparetur per orbem, et nullus huc oratorum deinceps, uel a Domino meo, aut alijs principibus uenient. Rogare me uehementer, ut una Andrinopolim proficisci possem. Respondit Bassa. Scriberem Imperatori, et rogarem eum. Literasque proximo Sabbato ad Bassas transmitterem. Dixit etiam accusatum me esse, quod ego Capitaneatum Danubij suscepissem, naues multas, pontesque duos construxissem, quod etiam Sauo huc uenissem nauibus, ut etiam haberem exploratam nauigationem Saui. Ego autem quoniam cognoui Christophorum Semczey talia enodasse. Dixi me fuisse classis præfectum. Sed illum officium abrogasse, datumque mihi esse nunc Banatum Sclauoniæ. Quantum autem ad nauigationem Saui pertinet. Dixi me metu a Marthólossis naues conscendisse, nam explorare Sauum non est nobis opus, quoniam infinitos homines habemus illius fluminis gnaros, quia parum sit temporis, postquam ex illis locis retrocedere nostri sint coacti. Respondit Bassa esse edoctos Bassas, quod Rex meus meo consilio omnia agat, et maxime in rebus bellicis. Dixi, utinam hoc uerum esset. Sed Regiam Maiestatem habere multos consiliarios quorum consilio uteretur, et non meo. Me esse Polonum, et fuisse illius Cel-

situdinis acerrimum hostem. Almanos autem tales esse ut non possint ferre externum hominem inter se in consilio. Me tamen accepta aliquando temporis commoditate, dissuasisse Maiestati suæ, ne hunc exercitum mitteret, neue hunc potentissimum Imperatorem prouocaret. Declarabamque potentiam, promptitudinem, magnanimumque cor istius Imperatoris, dicebam futurum, quod Maiestas sua omnia esset infectura cum isto exercitu. Turbataque iacta per Bassam anno superiore fundamenta amiciciæ et pacis stabiliendæ. dicebam etiam periculum meum, quæ omnia Maiestas sua admittebat, tamen propter fidem et iuramentum negligere expeditionem hanc non potuit. Respondit Bassa. ne amplius loquerer de isto iuramento, quia Imperator non crederet. Dixi me oportere loqui, quia Maiestas Regia hanc fuisse causam missi exercitus allegat, et ostendat, non in contemptum Imperatoris, aut in iniuriam exercitum misisse, sed ut fidei suæ satisfaciat. Respondit Bassa, relinquenda esse ista. Iussitque scribere ad Imperatorem, et supplex rogarem, iubeat una secum Andrinopolim proficisci. Et sic me dimisit.

Vigesimo Quarto Die

Accepit a me licentiam, et Vale Haydar Voyeuoda et Czaus, qui me ex Belgrado huc deduxerant. Dedi illis 5o ducatos.

Eadem accepto a IonusBeeg Turcico notario, et Domino Kerdey scripsi ad Imperatorem in hæc præcise uerba.

Potentissime Imperator, et Clementissime Princeps.

Illustrissimus LudffiBassa nomine uestræ Maiestatis mihi iniunxit, ut hic manerem, neque illam Andrinopolim sequar, quod quidem mandatum reuerenter accepi. Sed quum non meo, uerum Serenissimi Domini mei Regis titulo, ad uestram Maiestatem sim missus, quumque interest plurimum, ut sim in curia uestræ Maiestatis, maxime autem nunc, postquam rumor Andrinopoli, et per alia multa loca fuerit sparsus, me esse in carcerem, (quod absit) per uestram Maiestatem coniectum: Videtur mihi non solum ad Vestræ Maiestatis dignitatem, uerum etiam ad decus Serenissimi Domini mei esse necessarium, ut ego uestram Maiestatem sequar, ne fama absente me a Vestra Maiestate magis ac magis de captiuitate mea inualescat, cæterosque principes Christianos deterreat, quominus suos ad Vestram Maiestatem oratores mittant: præcor itaque uelit uestra Maiestas concedere, ut illam illo sequi possem, quoniam Andrinopoli sunt mihi equi et seruitores, propter itineris lassitudinem relicti. Intellexi autem duas esse causas potissimum, ob quas Vestra Maie-

stas immutauit animum, beneuolentiamque suam erga Serenissimum Dominum meum Regem, cui anno proximo eximiam de sua amicicia spem fecerat. Primum quod fratrem suum Carolum Cæsarem, et Hispaniarum Regem, aduocaret in Germaniam, et quod ille, dum per mediam Galliam proficiscebatur, iactitaret se ob id proficisci, ut cum Vestra Maiestate decertaret: eaque omnia fuisse facta, sub illis inducijs, quas anno superiore Vestra Maiestas cum Serenissimo Domino meo Rege pepigerat. Deinde quod Serenissimus idem Rex Dominusque meus, exercitum sub Budam expediuit. Fateor ego Cæsaream et Catholicam Celsitudinem in Germaniam peruenisse, sed de illius iactancia nihil scio, neque etiam credo, est enim princeps modestissimus, nimisque consiliorum suorum parcissimus dispensator, et natura sua paucissimorum uerborum, neque ita leuis ut iactancia illum occupare possit; hæc itaque quæ ad Vestram Maiestatem sunt de eiusmodi iactacione delata, dolum et artificium continent. Nam Cæsarea Celsitudo maturo et bono consilio, si id gratum, et acceptabile sit Vestræ Maiestati futurum, deliberauit una cum Serenissimo fratre suo, Domino Rege meo Clementissimo optimam amiciciam, pacemque, cum Maiestate Vestra suscipere, adiunctis in fœdus Summo Pontifice, et Serenissimo Portugaliæ Rege. Verum etiam est illud, quod de exercitu Regis Dominique mei uersus Budam misso adfertur, id quod ego quum fuissem apud Vestram Maiestatem coram contendebam legitimis rationibus Vestræ Maiestati indicare exercitum illum expeditum non esse in contemptum uel iniuriam Vestræ Maiestatis, sed partim ut Serenissimus Rex, Dominusque meus, fidei, iuramentoque suo satisfaceret, quo illum Rex olim Ioannes triennio priusquam moriretur astrinxit: Vt uidelicet Serenissimus idem Rex meus, teneatur mox a morte sua exercitum sub Budam locare, Timebat enim Ioannes Rex ne a sua morte Vestræ Maiestatis Zanzachi Budam intercipiant, et ob id quasi zelo fidei Christianæ et conscientia motus Regem Dominumque meum iuramento deuinxit, addam etiam et illud, quod Serenissima Regis Ioannis uxor, mox a morte sua, quasdam periculosas practicas tam apud parentem suum Serenissimum Poloniæ Regem, quam apud nonnullos alios principes faciebat. Quæ nisi exercitus fuisset expeditus, attulissent Serenissimo Domino meo Regi non parum incommodi. Inuictissime Imperator. Imperatores, Regesque homines sunt ut cæteri mortalium, sed hoc præstant alijs, quo magis fidem suam asseruant. Recordor autem Ioannem Regem breui fuisse beneficiorum uestræ Maiestatis oblitum et ingratum, præstitisseque causas magnæ in se animaduersionis. Vestra tamen Maiestas maluit hominis pecca-

tum ferre, quam ut illum puniuisset, propterea ut honor uerbi Vestræ Maiestatis apud omnes nationes, pudicus permaneret. Contra Serenissimum Dominum meum Regem etiam eapropter non debet Vestra Maiestas commoueri, si suo iuramento satisfaciat, cui satius esset, uitam, Regnaque et prouincias ammittere, quam ut debeat a fide, iuramentoque suo defficere. Atque ita Dominus Deus qui cor Vestræ Maiestatis, in suis habet manibus, immittat in animum illius pacem cum Christianis principibus uniuersalem, quam iam Vestra Maiestas cum Christianissimo Franciæ et Poloniæ Regibus atque ipsis Venetis suscepit, facere. Diffusa est gloria Vestræ Maiestatis per totum orbem, nota est illius animi corporisque Imperialis uirtus et fortitudo, cognite sunt uictoriæ et Triumphi, Sciuntur tot Regna et Imperia Vestræ Maiestati subiecta, palam est summa illa suorum obedientia, Nomen habent immense suæ opes et Thesauri, quæ omnia sunt uera et talia, ut si unam hanc pacem Vestra Maiestas suscipiet, nihil addi possit, quod ad huius mundi, uitæque fœlicitatem et gloriam suam sempiternam, amplius desiderari queat, si pacem uestra Maiestas complectetur. Glorificabunt Deum Turcæ et Christiani, orantes, Senes et iuuenes, Viri pariter et mulieres, pro longeua fœlicissimaque Vestræ Maiestatis ualetudine. Postremum est, permittat mihi oro ut unum ex meis, ad Serenissimum Dominum meum Regem mittere possem, ob id ut illius Celsitudo exercitum abducat, et mihi ampliorem informationem mittat, de hac præsertim Regni parte, quam ante mortem Ioannis Regis possidebat etc.

Orator Hieronimus a Lasko.

Vigesimo Quinto Die

Misi ad LudffiBassam literas suprascriptas, ut uideret, si quid addendum aut diminuendum foret, retinuit itaque eas biduo apud se.

Vigesimo Sexto

Mansi in hospicio.

XXVII.

Remisit mihi Bassa literas, et laudauit eo modo fuisse scriptas, iussitque ut mox illas ad consessum Bassarum mitterem, ut Imperatori offerrentur, misi itaque ut iussit.

XXVIII.

Aduocauerat me Bassa sed interciderunt illi grauia quædam negotia ita ut non pateretur tempus meam apud illum præsentiam, rogauitque ut summo mane redirem.

Penultimo Nouembris

Veni ad Bassam, qui mihi nomine Imperatoris commisit ut manerem Constantinopoli, neque equos diuenderem, sicuti mihi erat commissum, quoniam Imperator personam meam haberet sibi commendatam. Idque quod nihil sim passus non esse factum propterea, quod fuerim orator, sed quia Imperator sit personæ meæ propitius, et ob id commississe, ut mihi uictualia suppeditentur, hortabaturque esse bono animo, me non esse captiuum inquiens. Sed ita Imperatorem uelle ut hic maneam, ad aliam suam commissionem, pollicebaturque omnem suam operam, ut absolui possem. Ego autem rogabam haberet supra omnia pacem commendatam, neque existimet Regem meum dolo agere, quod istum exercitum expediuit, me hic libenter mansurum, tamdiu quamdiu iubeat Imperator, cupere me tamen ut unum ex meis ad Maiestatem Regiam mitterem. Respondit Bassa noluisse hoc Imperatorem concedere. Rogaui committat domino Kerdey, hic mecum Constantinopoli manere. Et ut seruitores mei exeuntem Imperatorem uidere possent, hæcque impetraui. rogaui ut Dominicis Diebus ad Ecclesiam proficisci possem. Respondit se loquuturum Imperatori in itinere, et mihi significaturum.

Eodem die exiuit uxor Imperatoris, et cum filia coniuge RusthanBassæ.

Vltimo Nouembris

Accurrit a Regina Budensi Kis Ianus, et unum captiuum germanum adduxit, literasque Imperatori binas attulit.

Decembris Die Primo

Exiuit Imperator Andrinopolim, præcedentibus eum duobus filijs, Mehemeth et Selim et circiter 3ooo Ianizarorum.

Decembris Die Secunda

Venit ad me meus Czaus, significauitque se habere commissionem ut diebus dominicis me ad ecclesiam deducat.

Die Tercio

Continui me in hospitio, hic a quinque diebus, nulla mihi sunt uictualia data propter impedimenta, quæ Thesaurarij in Imperatoris discessu habuerunt.

Quarto Die

Domi me continui.

V. Die

Iui ad Ecclesiam Diui Francisci sitam in uico Chaphensium. Chaphenses enim ex Capha per Imperatorem Mahometum, traducti Constantinopolim, in illo uico locati fuere, habentque ibi duas Ecclesias Religionis Romanæ.

VI.
VII.
[misi konopnixki ad maiesta- VIII.
tem uestram] IX. Domi fui.
X.
XI.
XII. His omnibus diebus domi fui, et a febri correptus usque ad Decimum nonum diem eius mensis solus fui, quo impetraui a custodibus paterentur Abbatem de Bibiena mecum esse in prandio, qui cum sua Galea in Andreæ Doriæ pugna per Barbarossam captus fuit. Dedi illi 50. Ducatos et equum.

Vigesimo Die [scripsi per abatem maiestati uestre]

XXI.
XXII.
XXIII. Domi.
XXIIII.
XXV. Ipso Die Natiuitatis Domini, fui in Ecclesia in uico Caphensium. fui in Ecclesia Sancti Nicolai in uico Caphensium. fui in Ecclesia Patriarchatus, sed absente patriarcha.

XXVI.
XXVII.
XXVIII.
XXIX. Domi me continui.
XXX.
XXXI.

Ianuarius.

Prima Ianuarij Die uenit ad me Ferhath, et retulit mihi, quatuor loca esse Barbarossæ in Africa per Andream Doriam recepta, magnoque dolore præmi Barbarossam, et ultionem parare, quod si non accidisset, Barbarossam dicebat fuisse profectum ad turbandam Italiam. Sed iam Italiam relicturum, et iturum in Africam. Dixit etiam nostros obsidionem soluisse, et se ad propria recepisse metu Turcarum, qui iam prope Budam fuerunt. Dixit Turcarum fuisse 25000 equitum, et naues Nassadas .80.

Dies Secundus Ianuarij.

Secundo Die uenit ad me quidam ex Lescinia oppidulo Hannoniæ, natus patre Petro Kanthilion, hoc oppidum a Bruxellis Septem leucis distat, qui

se dicebat esse Spiritum, et Deum Deorum. Is ante mensem unum Constantinopolim uenit, ut soli Imperatori Turcharum res magnas declararet, quas quum Bassis dicere noluisset, effecit, ut Imperator eum ad se admitteret, is Imperatori dixit, si sequi consilium eius uelit, fore totius orbis Dominum. Laudauitque quod credat in unum Deum: sed circumcisione opus non esse, aut ut abstineatur a uino. Machometum prophetam fuisse per mulieres deceptum et instituisse talia, quæ sunt contra ueram fidem. Spiritum enim sanctum esse unum, qui creauit Cœlum et terram, qui ferebatur ante creatum mundum supra aquas. Se esse eum Spiritum, et nunc uenisse in carne, ut palam se gentibus faciat, et ueram reuelet fidem. Quæ cum Imperator intellexisset, iussit eum educi, et in Cathenam conijci, quem Rincon liberauit, et in suam domum recepit, de cuius doctrina passim prædicabatur, quem et ipse audire optabam. Et ita nacta a Czausso licentia, eum ad me accersiri iussi, qui tamen uenire recusauit, neque uenisset, nisi fuisset per unum Ianizarum deceptus, et in nauem quasi ut eat in uineam inductus, et ita nauigio prope hospitium meum ad mœnia ciuitatis circumuectus. Qui cum uenisset in conspectum meum, quæsiui, quod sibi nomen esset. Respondit. Dominus et Signior. Quæsiui, Vnde esset. Respondit, ex omnibus et in omnibus. Quæsiui ubi, et quo patre natus. Respondit. Antequam pater esset ego sum, quia pater suus esset sibi filius, et mater esset filia sua. Dixi illi relinque hanc stulticiam et dic cuias sis. et quare te huc contuleris. Respondit. Stulticia mea est sapientia apud me. Sapientia uero uestra est stulticia apud me, et qui non accepit non habet. Interrogaui illum, ubinam dedisset operam literis. Respondit ante seculum et in seculo, et sum indoctus doctus. Hicque uaria loquutus est Latine, Italice et Gallice. ac quotiescunque allegauit Euangelium, dixit ego ea loquutus sum per Christum, si Paulum, ore Pauli loquutus est spiritus meus. Et omnes prophetas, omnes Philosophos, poetasque ac medicos et cæteros scriptores, spiritu suo cecinisse ac scripsisse dicebat. Se esse malum et bonum, esse furem et latronem. Venisseque et ambulare ut furem, et continuo laborare de die nouissimo, ut hœdos ad sinistram, et oues ad dextram constituat. Et eos qui uerba eius capere nolint, facere peccatum, quod neque in hoc neque in futuro seculo dimittatur. Dicebat Baptismum esse necessarium, per aquam et septem uerba. Baptizatur in nomine Spiritus æterni, Regis æterni. Sed patrem et filium non oportere ibi nominari, quoniam illi fuissent illud consilium malignantium, per quod spiritum contemnere et infimo loco ponere, conati sunt. Sed se uicisse iam utrumque, et Christum esse in medio in-

ferni sepultum, et hic multa garriebat contra Christum. Quem ego notaui esse a Demone obsessum. Is dum pranderet mecum, multa iocosa admiscebat, ciebatque ad omnem quæstionem scripturas historicorum, poetarum, medicorum, dum tamen sua sponte et non interrogatus loquutus est, semper in Apocalypsi uersabatur, cœnauitque mecum, et in mea domo dormiuit. Qui cum fuisset a meis interrogatus. Si esses Spiritus et Deus, non permisisses tibi cathenam imponi et in carcerem duci. Respondit. corpus esse corpus et non spiritum, et pacientiam esse matrem Virtutum, et Triumphum uictoriæ. Tercio Die mane, uocaui ad me illum spiritum, et remotis arbitris, dixi illi, quod sit seductus a Demone, et anima sua sit obsessa. Rogaret itaque patrem in nomine Iesu Christi, ut liberet eum et sanet. Respondit, cum oro mihi oro, quoniam non esset amplius, pater neque filius, quia essent per ipsum in profundum inferni deiecti. Se esse cui orent Turcæ, Christiani, Iudeique. Se esse liberatorem, et omnis creati custodem, et pastorem, se esse non Demonem unum, sed centum millia Demonum, quia esset omnia in omnibus. Christum dixit esse quemlibet hominem habentem animum iucundum, Christos itaque et Deos esse multos, sicuti dictum est, nolite tangere Christos meos. Et alio in loco, uos estis Dij, et filij excelsi omnes. Quem cum uidissem, ita obstinatum et blasphemum erga Deum, remisi illum in Gallatam.

Die Tercio

Scripsi ad Ionusbeeg Andrinopolim, ut sollicitaret negotia mea.

IIII. Domi me continui.
V.
VI.

Iui ad Ecclesiam patriarchæ Constantinopolitani, ubi interfui ceremonijs, quibus Græci utuntur, quum aquam consecrant, quam illi primo post Eucharistiam loco colunt, audiui ibi missam, et uidi columnam, ad quam Christus erat flagellatus, quam columnam Helena mater Constantini Hierosolimis adduxerat. Eodem die expediui cum muneribus ad Bassas Dominum Kerdei, ut negotia promoueant et sollicitent etc.

Die VII.

Accurrerunt quatuor postæ ex Babilone ueteri, nouum adferentes, Portugalenses applicuisse Bazaram, locum ubi Eufrates sinum Persicum inuoluitur, ibique consedisse, et fortificare locum illum. Bazara autem est insignior portus alijs in Persia, quem quum Turcæ propter Persas, et Arabes qui Muschassa uocantur retinere non possent, immunitum reliquerunt. Nisi tamen

præuenissent Lusitani, iam illum fortificare intendebant, præparatis .150. nauibus, quæ ex Babilone secundo Eufrate omnia suppeditarent, quæ ad fortificationem essent necessaria. Eodem etiam Imperator scripsit Barbarossæ, esset bono animo neque propterea turbaretur, quod in Africa loca amisisset, ac interea maiori qua posset diligentia armaret Triremes .200. in uindicandam iniuriam, quoniam nollet sibi deesse, sed potius præstaturum se omnia, quæ ad eam rem forent necessaria. Scripsit etiam rediturum se mox a pascha de Turcico huc, ut eum cum classe expediat.

Octauo Die

IX.
X. Domi.

XI. Recurrerunt illę quatuor postæ ab Imperatore, et attulerunt literas ad Ianizarorum Agam, ut Ianizaris profectionem, in Babilonem declaret, quorum quatuor milia eo esset missurus. Imperator enim motus tum occupatione portus Bassaræ, tum ademptione locorum Barbarossæ huc redire decreuit. ut filios tres prouincijs præficeret, hincque expediret. Videlicet Mustapham Babiloni et Mesopotomiæ. Mehemetem Caramiæ, et Selymum Trapesunto. Pestis etiam sub id tempus Andrinopoli erupit.

Duodecimo Die

[scripsi ad maiestatem uestram literas easque uenecias ad factorem focarorum misi]

XIII.
XIIII. Domi

XV. Circa mediam noctem corruscationes, et tonitrua, fortissima una hora fuerunt.

XVI.
XVII.
XVIII.

Hora noctis tercia arsit Constantinopoli uicus iudeorum.

XIX.
XX.
XXI.
XXII.

[literas ad maiestatem uestram uenecias misi ad focaros.]

XXIII. XXIIII.

XXV. Ante mediam noctem arsit uetus pallatium Imperatoris, ubi educantur filij et concubinæ Imperatoris, quod uocatur Seragium mulierum, prope Ecclesiam Imperatoris Baiasit.

XXVI.

XXVII. XXVIII. XXIX.

XXX.

XXXI. Allate sunt mihi literæ a Ionus-Beeg quibus significauit Imperatorem persistere in indignatione, neque uelle quippiam de expeditione mea loqui.

FEBRVARIVS.

Prima Die.

II.
III. Domi semper.
IIII.

V. [misi literas ad maiestatem uestram.]

VI. VII. VIII. IX. X. XI.

[misi literas ad maiestatem uestram per proprium nuncium conradum ex lincz datis sibi quinquaginta ducatis scripsi etiam ad imperatorem et uxorem]

XII.

XIII. XIIII.

XV. XVI. XVII. XVIII. XIX.

XX. XXI. XXII. XXIII. XXIIII. XXV.

XXVI. XXVII. XXVIII.

MARTIVS.

Prima. II. III. IIII. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII.

[misi maiestati uestre literas per paulum de gradi raguseum uenecias ad cristoforum melich] Allate mihi fuere litere a Ionusbeeg.

XIIII.

XV.

XVI.

[scripsi maiestati uestre per antonium de priuli ad manus melich] eadem comedit mecum pisanbeeg Sanzacus oriundus Ragusij antiquus amicus meus.

XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIIII. XXV.

XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX.

[misi ad maiestatem uestram literas duplicatas per priulium et gradi]

XXXI.

Aprilis Dies primus. II. III.

Quarto Aprilis Die

Redijt Imperator Constantinopolim, præcedentibus eum filijs, et circiter tribus millibus Ianizarorum.

Die V.

Venit ad me Thopuklj Czaus, et mecum pransus est, eadem etiam uenit Kassam Czaus.

VI. Domi.

VII.

Celebrata est minor Turcharum pascha, quam ipsi Baiaran uocant. Iuerat eadem Imperator ad Ecclesiam Diue Zophiæ cum cęrimonijs et solennitate ut fit. Ea die fuerunt apud me Tybycines, Portarij, Agazones Imperatoris et Bassarum pro munere anni noui.

VIII.

Venit ad me Ionusbeeg mane, ac me solatus est, condolens meæ condicioni, ostendebatque se assidue sollicitasse Bassas de expedicione mea, iamque Imperatorem fuisse aliquomodo mitiorem, Sed quum litere Petri Perenni ad Zanzachum Belgradi misse, fuissent allate et lecte, iterum eum in maximam coleram incidisse, ita ut nullus Bassarum ausus fuerit facere de rebus meis uerbum: Heri etiam accurrisse unum a Bernomissa Baltazare, qui dicit magnas Germanorum uires aduentare uersus Budam et alium exercitum uenire in Transyluaniam, optareque hinc dari sibi auxilium: et propterea hæc noua uehementer rebus obfutura meis, et factura quod Imperator exeat in persona contra nos. Dicebat tamen ut scriberem ad Bassas, darent mihi audienciam, aut si omnibus esset difficile, ut saltim LudfiBassa me audiat, quoniam idem Bassa uocaret me, nisi suspicionem timeret. Ego uero dedi ei literas quas ad Imperatorem scripsi, ut eas domi suæ legeret, et reuideret, ac consuleret quomodo tractatum renouare possemus. Dixit etiam mihi, quomodo Dominus Petrus Perenni scripsisset literas et eas per proprium nunctium misisset Zanzacho Belgradi quas literas in speciem cum eodem nunctio ille Zanzachus misit Imperatori, literæ autem continebant hæc ut Zanzachus parte ab una pocius procuraret pacem, idem se etiam ab altera parte facturum, longe enim utilius esse componere controuersiam bonis medijs, quam bello, quod ancipitem et dubium exitum habet, debeat sopiri. Mirari etiam quod Imperator publicam personam, et oratorem Serenissimi Regis sui detinuit, naso oculisque insuper priuarit. Ad quas literas respondit Imperator Zanzacho

in hunc modum. Petrus Perenni qui ad te scripsit bis sub Sabla nostra Imperiali fuit, et bis Sablam de ceruice suo accepimus, et alia in eum beneficia contulimus, sed ille est non solum beneficiorum, fideique et honoris sui oblitus, sed oblitus est etiam sui corporis, et sanguinis proprij, filij uidelicet sui quem apud nos in obsidem habet. Quare scias nos nullam pacem cum Rege Almanorum facturos, neque ei ullum lapidem de Regno nostro Hungariæ concessuros, tantum abest ut illi Regnum Hungariæ concedamus. Vayuodyczam uero non captiuauimus licet id iuste facere potuimus, sed tenemus eum ut alios oratores, non propter suum regem, sed ob clementiam nostram. Quare quoties ad te ab Petro Perenni, aut ab alio simili de re scriptum fuerit, non est opus, ut huc ad nos uel literas uel nuncios transmittas, sed ut tali afficias supplicio, ut alij deterreantur, a procuranda tali, et tam inhonesta pace.

IX.

Sumpsere mecum prandium tres Czaus, inter quos erat unus Cassum, qui antea etiam erat mihi adhibitus pro procuratore siue hospite, is mihi significauit Imperatorem Turcarum, me non prius hinc emissurum, nisi fuerit perfectum bellum, inter ipsum et Regem meum, in Hungaria, propterea tenerem que haberem, neque solita liberalitate uterer, quoniam oleum frustra effunderem in procuratores meæ dimissionis.

X. XI.

Remisit mihi Ionusbeeg literas, quas illi reuidendas dederam. Quæ per me ad Imperatorem erant in hanc sententiam scripte. Potentissime Imperator non sine timore præsentes uestræ Maiestati offero, timeo enim ne denuo benignitatem eius erga me offendam, propterea quod sollicito et insisto, ut Maiestas uestra propensum Serenissimi Domini Regis mei animum acceptaret, qui omnino synceram ac integram beneuolentiam et coniunctionem ac amiciciam cum Vestra Maiestate inire ac contrahere desyderat: eumque ut semel accepit, pro amico et loco filij habeat, id quod tamen hactenus propter Hungariæ Regnum, debito ordine transigi et concludi non potuit, eamobrem quod illud primum Ioanni Regi, deinde uero filio eius Maiestas Vestra contulit. Quum itaque Maiestas uestra consentire recusat, nec uult, illi concordiæ, quam Ioannes Rex cum Serenissimo Domino meo Rege firmauit, stare, et indigne fert Serenissimum Regem meum, exercitum in Hungariam misisse, contra quem Vestra Maiestas Illustrem Dominum MehmetBassam expediuit. Quare ne illud Regnum omnino cędibus et rapinis pereat, et quum ego hic ultra ea

quæ exposui nihil aliud tractare possim, rogo scribat Vestra Maiestas eidem Domino Basse ne de concordia tractare abnueret, si cum illo Serenissimus Rex meus de stabilienda cum Maiestate Vestra amicicia et pace agere uellet, et ut me Maiestas Vestra ad eundem Dominum Bassam mitteret, ut constituto die et loco, cum nonnullis alijs consiliarijs et nouis mandatis ad Dominum dictum Bassam redirem, et hanc concordiam procurarem. Nam Dominus Bassa existens ibi omnia ut sese habent ueraciter cognoscet, et utranque partem intelliget, quæ uel Serenissimum Dominum Regem meum, aut Ioannis Regis filium sequitur, inter quos tandem litem componet. Quod cum fuerit factum huc utriusque partis oratores uenient, rogantes ut uestra Maiestas Cæsarea tali consentiret concordie illamque confirmaret. Scio enim Serenissimum Regem meum ut eo faciliorem aditum habeat ad consequendam Maiestatis uestræ amiciciam, talem cum filio Ioannis Regis concordiam facturum, quæ uestræ Maiestati grata honorificaque et utilis sit futura. Vestra autem Maiestas hoc facto laudem et gloriam sempiternam in hoc mundo, et in alio seculo salutem et beatitudinem sibi parabit perpetuam: Nam pro utraque uita illius, et salute innumeri homines, senes æque atque pueri orabunt Deum Omnipotentem glorificantes Maiestatis Vestræ bonitatem, quæ pace eo modo composita liberabit eos a mutuis cædibus, rapinis, incensionibus et alijs quamplurimis malis quæ bella conssequi solent.

XII.

Venit ad me Dominus Kerdey, quo adiutore literas ad Cæsarem lingua Turcica scripsi; eadem uenit Ioannes Themeswary a Bornomyssa Baltizare, et attulit literas Maylath, quas ad Maiestatem Regiam scripserat. Quibus continebatur. Vt Maiestas Regia personaliter in Transyluaniam ueniat, uel si minus hoc possit facere, ut saltim exercitum mittat, Wayuodas enim Walachorum adhesuros Maiestati Regie, et rebellaturos Imperatori Turcarum, præterea scribebat uniuersam Transyluaniam esse in fidelitate Regia, et se habere paratas copias, tamen nihil contra Ioannistas incipere uelle, ne daret Turcis causam ante tempus etc.

XIII. XIIII.

XV.

Fui apud LudffiBassam, apud quem institi ut efficeret, ut Imperator daret mandatum MehmetBassæ tractandi cum commissarijs Serenissimi Domini mei Regis super pace, rogauique ut legeret literas quas Imperatori supra ea re scripsissem, quibus lectis, respondit: frustra me scripsisse, quoniam Meh-

metBassa non ad pugnam sit missus, sed ut pontes exstrueret, et commeatum colligeret, quæ omnia cum fuerint præparata Cæsarem progressurum, et ibi Sabla tractaturum et omnem litem dirempturum, itaque se non inuenire modum offerendi istas literas Imperatori, quoniam Imperator animum suum fundasset in bello. Hic ego aliquantulum silui et tandem dixi, Imperatorem esse potentissimum, opibus et militibus omnes Monarchas ac principes sub sole longo interuallo post se reliquisse, habereque eum ingentes terra, marique copias et apparatus, nihilque illi deesse quæ ad utrunque bellum aut fœlicitatem seculi huius pertineant. Dominum Deum tamen esse potentiorem multis nominibus, in cuius manu omnium Imperatorum ac Regum corda et exercitus positi sint, ac propterea consultissimum fore ne tantam suam fœlicitatem solicitaret, gloriam, opes et imperium in exitu belli collocet, qui quam incertus ac dubius sit satis constare, quoniam positus sit in arbitrio solius dei, et non in potestate cuiuspiam alterius. Dominum Bassam esse doctum et magnæ experientiæ, ac legisse subitos summorum principum casus, et insperatas mutationes, non esse itaque necessarium ut in eam rem exempla afferrem, et propterea insistendum esse Bassæ, ut Imperatorem ad pacem inclinet, ingratum enim esse Deo quemlibet contemptorem pacis, timendum itaque Deum esse, neque respuendam pacem, quando cum dignitate suscipi potest. Hic Bassa multa loquutus est de indignitate huius pacis, quam ego procurarem, et hoc ob exercitum missum in Hungariam, adempta puero multa castra quæ omnia in indignitatem et ignominiam Imperatoris uergant, Ob idque dicebat me non posse Imperatorem accusare, quod nolit talem pacem cum Rege meo suscipere, quam Rex meus desyderaret, quum in hac peticione nihil aliud subsit, nisi uelle cogere Imperatorem minis et exercitu, ad suscipiendam pacem iuxta regis mei præscriptum, proptereaque se non posse quidpiam amplius loqui, Dixit etiam Bassa, eas literas quas Andrinopolim miseras, audire Imperator noluit, et ad nomen tuum faciem auertit, itaque haberem patientiam et expectarem in hospicio profectionem Imperatoris, quia tunc essem una cum illo iturus, neque pergerem mihi indignationem accumulare, quoniam nouissime ueniendo Andrinopoli diceret Imperator, Woyeuodyczam non recte recensuisse Regi suo responsum meum, quod sibi anno superiore de concordia cum Ioanne Rege facta dederam, uel si recensuit quare huc uenit, quum uideret suum Regem noluisse sua esse sorte contentum in Hungaria, imputare itaque mihi et dicere Imperatorem non debuisse me huc cum tali legatione, in iniuriam et indignitatem suam missa uenisse,

et exercitum post me traxisse. Respondi Basse me nihil scire quid exercitus Domini mei fecerit, aut ubi locorum uersetur, quoniam nullas literas a Rege meo habuissem: ea tamen me fideliter Imperatori recensuisse, quæ rex meus mihi de isto suo exercitu iusserat, et rogauisse ne imperator propterea commoueretur, quia non in iniuriam suam illum exercitum Rex miserit, aut ut eum irritet, sed ut satisfaciat concordiæ cum Ioanne Rege initæ, et iuramento suo, et propterea si castra aliqua sint puero adempta, existimo illa non ui sed sponte esse per castellanos dedita, quoniam Ioannes Rex omnes proceres, et Castellanos inprimis Budenses, tum alios, iuramento deuinxerat, ut a morte sua Budam et omnia alia Castra Serenissimo Domino meo Regi darent, ut illi obediant, seruiant, et subsint, et ob id eos qui fidei suæ, et iuramenti rationem habent, sponte se Regi dedisse. Dicit Bassa. Domum hanc in qua nunc habitarem, possem ne ego dare alteri. Respondi domum hanc non esse meam. Dicit Bassa, ita etiam omnia quæcunque sunt de corpore Regni Hungariæ esse solius Imperatoris, illosque proceres et Castellanos esse sclauos Imperatoris, neque potuisse eos dare aut se dedere Regi meo. Respondi. me nolle ea de re uenire in disputationem cum ipso, quia satis magna sit controuersia inter utrunque principem nostrum, quam toto desyderio potius sopire contendo, quam ut illam disputando, irritare et exagerrare debeam. Dicit Bassa. Se etiam esse in pacem propensum, sed impossibile fore his rationibus, et modis quibus uellem, pacem promouere, et propterea nolle literas meas Imperatori offerre, quoniam sibi timeat, et de se et de me. Respondi. Mirari me ad quid hic detinerer, habererque pro oratore, si uerba aut scripta mea Imperator audire non possit, quum ubique gentium usu sit receptum, bona pariter et mala ab oratoribus intelligere, et propterea rogare me, uelit istas literas Imperatori offerre. Dicit Bassa frustra me insistere, consulturum tamen se cum alijs Bassis, si illas omnes una offerre debeant, et cras se mihi responsurum.

XVI.

Lecte sunt litteræ quas Imperatori scripsi coram Bassis, et tandem per eos ad Imperatorem delatæ, illas tamen Imperator audire noluit, sed non lectas apud se retinuit.

Eadem miseram Czaussum meum ad Bassas, darent mihi licenciam eundi ad Ecclesiam, cras propter solennitatem Paschadis, qui dum ea de re Imperatorem interrogassent, respondit, tunc me debere celebrare pascha, quando domi fuero.

Eadem habite sunt quæstiones et torture in centum et uiginti uiris, ac septem mulieribus, propter ablatos furto mille uigintiquinque ducatos ex ærario Imperatoris.

Eadem ductus est ad Imperatorem unus Zanzachus, Persarum Regis, qui cum Hassi Han transfugerat ad Ibraim Bassam a Persa, et deinde iterum cum illo hinc transfugerat ad Persam, portata etiam sunt .xv. capita ex potioribus, ceciderunt in eo certamine octingenti Persæ, et retulit Persam redijsse ad Thebris, neque erupturum in dominia Turcarum nisi Imperator progrediatur contra Christianos.

Eadem Consul Galatensis Venetus, quem ipsi Bailum uocant, uenerat ad Aulam, ut oscularetur manum Imperatoris, utque ita redire Venetias posset, cui data est per Bassas abeundi licentia, sed ad Imperatorem non est admissus, neque etiam ut moris erat prius uestibus est donatus. Intellexi autem toto eo die, furijs agitatum fuisse Cæsarem, tum ob huiuscemodi furtum, non autem tam propter iacturam, quam ob audentiam furis, et incuriam custodum, tum quod tres naues mercatorum cum magnis opibus fuerint a pyratis interceptę.

XVII.

Sumsserunt mecum prandium tres Czaussi, et duo Aulici Imperatoris.

XVIII.

XIX.

Nunctiauit mihi IonusBeeg nomine Bassæ Imperatorem hodie respondisse ad meas literas, quas ad illum miseram, quod non habeat opus ulteriori tractatu, de stabilienda inter se et Maiestatem Regiam pace, quoniam Sabla sit finem factura, me interim iubebat Bassa esse mitiori animo, breui enim Imperatorem progressurum et me una ducturum, excusauitque IonusBeeg se, quod solus, cum ista relatione uenire non potuit, sed illam mihi per Zayt-Beeg denunctiauit.

XX.

XXI. XXII. XXIII.

XXIIII.

Decretum et constitutum est, in consilio Imperatoris, mitti 2500 Ianiczaros, et equites Spahy 700, et Vlaffadzy 600, Ductore SeulimanBassa, contra Persam, et ut Iudeus renegatus cum quatuordecim Galeis eat ad maris excubias, collectis Pyratis Turcicis etc. et suæ classi adiunctis sperantur in toto futura uela 50.

XXV.

[misi ad maiestatem uestram nunctium raguseum bartolomeum]

Eadem uenit Czaus custos meus, flens et dicens se mea causa capud amissurum, propterea quod ego, frequentissimas literas ad Maiestatem Regiam transmisissem: rogabatque me amore Dei, consulerem rebus suis, quem ego bono animo esse iussi, propterea quod nullas literas misissem, eamque rem æque mihi esse atque ipsi periculosam, quoniam ne scriberem quidpiam, foret mihi per Bassas uetitum, chariorem itaque mihi fuisse uitam meam, quam ut deberem cum capitis periculo scripsisse, Nam si etiam scribere uoluissem, tamen non possem tale scribere quicquam quod hunc Imperatorem offenderet, Quodsi aliqui credunt, Christianos principes expectaturos a me informationem, uel quod sub id tempus dum ego hic hæreo, omittant se ad excipiendum bellum apparare, profecto qui ita existimant parum consilij et industriæ habent.

Eadem iusserunt Bassæ omnes famulos meos nominatim conscribi, et numerari, item et equos, et additus alter Czaus in custodiam mei.

Eadem adducti sunt duo ex Bosna captiui ex militibus Zrenij, lecte sunt etiam in Consilio Zansaci Bossnensis litteræ, quibus scribebat omnia secreta, et quicquid fiat apud Imperatorem Turcarum Viennæ esse cognita, ædite etiam sunt in hos captiuos quæstiones, ut dicerent quo modo aut quibus rationibus Rex talia intelligat, sed ipsi responderunt per exploratores.

XXVI.

Nunctiatum est mihi a Bassis, ut me in diuersorium quod Caruasseriam uocant transferrem, locum fetidum et tenebrosum, nec aliquas habentem fenestras ut cœlum uideri possit: misi itaque pro Domino Ionusbeeg, qui cum uenisset dixi. Cum apud Bassam nouissime eram, et res concordiæ ac pacis promouebam, meamque expeditionem urgebam, Bassam mihi respondisse, quod frustra de Concordia et pace pergerem tractare, Sablam liti finem imposituram, et regna partituram, iam enim Imperatorem progressurum, et me una ducturum, ibique ad confinia expediturum; hoc idem etiam responsum mihi ad literas quas Imperatori transmisi datum est: Quod cum ita sit, et Imperator et Bassæ hactenus gratiose et humanissime me tractassent, quamobrem iam in hoc fine, quum hinc cito sim egressurus decreuerunt in me seueriores esse, adhibuerunt enim mihi nouum custodem, et iusserunt me transmigrare in locum fetidissimum et incommodum. Respondit IonusBeeg pugnasse se hac tota die pro me cum SeulymanBassa, qui dicebat, morituram se pocius quam secus crediturum, certissimamque se coniecturam habe-

*

re quod hinc frequentissimas literas ad principem meum misissem. Respondi, mirari me quod tantus uir, et tanti Imperatoris consiliarius sic facilis ad coniecturas, et opiniones sit, fortassis eum somnia, pro rebus gestis et hystorijs habere. Dicit IonusBeeg inde eum suspicionem habere quod Zansachus Bossnæ scripserit huc quæ litteræ hodie lecte sunt in consilio Domini Basse. Nescio qui fiat quod omnia quæcunque apud Imperatorem sunt secreta, Viennæ sciuntur. Quare SeulimanBassa totam in te culpam uertit, et dicit si scripserat prius per Hassan scripsit etiam et per alios si potuit. Dixit mihi etiam Bossnensem Zanzachum scripsisse ad secretarium suum, ut consuleret, ne ego hinc dimittar, quia essem primus Regis mei Dux Belli, et essem perniciosus hostis Turcis si dimitterer. Respondi, me quatuor mensibus sine Imperatore fuisse, quando Andrinopoli erat, neque sciuisse rerum suarum quidpiam, nunc etiam nihil me scire, licet sit Imperator præsens, quia neque consilia frequento, neque ad me quispiam admittitur, taceo ut Consiliarij Imperatoris ueniant, et mihi secreta referant, quæ etiam si scirem, et si illa maxime interesset scire Regem meum, tamen profecto cum periculo capitis mei illa Domino meo scribere nollem, probe enim me meminisse, uetitum mihi esse ne scribam, itaque riderem ego hanc SeulymanBassæ coniecturam, nisi me hoc indignum et incommodum hospicium molestia afficeret, rogare itaque me, ageret ut uel mihi daretur conueniens hospicium, uel quod hic in isto relinquerer: Quod uero Zanzachus dicat me esse supremum Regis mei Capitaneum, et pernitiosum Turcarum hostem, id eum dicere odio incitatum, quod contra me habeat, propterea quod eum ueniendo huc uisitare nolui, et quod cum ipso ob uiolatas inducias in simultatem ueni; Quare quis sim dicere non sit necessarium, quoniam sciret ipse, qui sim, et me a multo tempore cognitum habeat, sciatque me esse omnibus Turcis amicissimum. Siluit diu IonusBeeg [et tandem est de insufficiencia bassarum questus. dixit etiam quod seuliman bassa non tantum propter zofi cum exercitu expeditur quantum propter filium imperatoris ne patri rebellet ob id quia intelligat secundum natu et ex nouerca natum debere in imperium sibi preponi]. Dum eiuscemodi fuisset nobis, de rebus his sermo, dixi illi me cogitare, die noctuque, ut pocius pax quam bellum fieret, habereque me unum modum, quod pax etiam Imperatore Turcarum proficiscente, contra nos, confici et summo honore suo stabiliri possit, modo Imperator induci possit, ut uerbis meis credat, Modum autem esse istum, ut Serenissimus Rex meus, ad Imperatorem hunc ueniat personaliter, et solus cum ipso totam litem componat, Quare

rogare me ut cum Bassa ea de re loquatur, cui si uidebitur intelligere quo pacto id fieri debeat, ostensurum me tales modos, ut sit intellecturus conuentum istum possibilem esse. Sed uidebatur ea res IonusBego Greca et impossibilis, uolebatque a me intelligere, quomodo id fieri debeat, cui ego dicere modos nolui, sed dixi me Bassæ dicturum, idque propterea feci ut potuissem personaliter rogare Bassam ne traducerer in aliud hospicium, pollicitus est itaque loquuturum se cum Bassa ea de re etc.

XXVII.

Impetraui ne ducerer in Karuassariam tantisper, donec scriberem Imperatori, scripsi itaque rogans ne me in eum locum traduci patiatur, qui non solum indignus esset dignitati oratoriæ, sed etiam contagiosus, parum inde commodi uel honoris Imperatorem habiturum, si ego cum meis morbis corriperemur, cum alioqui iam quinque ex meis fuerint hic in aëre bono ualetudinarij facti etc.

XXVIII.

Mansi in eodem hospicio, expectans Responsum ab Imperatore.

XXIX.

Accurrit posta a Zanzacho Belgradi, afferens nouum, illum Zanzachum retrocessisse et non potuisse expugnare Pesth. Et ducens secum captiuum Michaelem Karky, nobilem quendam ex insula Camarno.

Vltimo Die Aprilis.

Misi ad IonusBeeg ut intelligerem, an esset loquutus cum Bassa de conuentu Regis mei cum Imperatore, renunctiauit se dixisse, sed Bassam risisse, et respondisse breui futurum ut conueniant, et tunc palam futurum quis eorum sit retrocessurus.

Primo Maij Die.

Misi unum Czaus ad Bassam rogans ut daret mihi audientiam, cum itaque illi loqueretur Czaus, erat in consilio cum alijs Bassis, et mihi respondit, nolle se mecum amplius loqui, quoniam non essem fidus et uerus, nec recordarer quæ semel dicerem, sed si uellem aliquid agere apud ipsum, ut id per scripturas facerem. Eodem die respondi Bassæ: quod me inique iniuria afficeret, et perfidiæ ac mendacij iniuste accusaret, iure enim id facere non posset, quia fideliter, ac uere omnia agerem, et dicerem; et probe dictorum meminissem, omnium: habuisse autem me rem magnam de qua cuperem apud se loqui, sed cum ipse recuset me audire, et tam grandi iniuria afficiat, nolle me scribere, quia non fuerim missus pro scriba, sed pro oratore.

II. die Maij

Venit ad me Czaus dicens, omnes Bassas rogasse Bassam, ut me audiat quare si uellem, possem ad Bassam ire, respondi me libenter iturum, et expostulaturum cum ipso de iniuria, operepræcium tamen fore ut SeheithBeeg sit interpres meus, quoniam ego non perfecte Italicum callerem, uocatus itaque est SeheithBeeg, et deinde iui ad Bassam, apud quem una fere hora sedi, antequam essem admissus ad eum. Quum autem uenissem ad ipsum, dixit, irasceris mihi hic? Respondi me habere causam maximam expostulandi cum ipso, quoniam me affecisset, tali et tanta iniuria, quanta nemo unquam me hactenus affecerit, cupere itaque intelligere, qua in re cognouisset perfidiam, uel mendacium meum, quoniam fidem, honoremque et bonum nomen meum apud omnes nationes esset tale, ut quanquam opibus sim alijs multis inferior, fama tamen bona et honestate nemini sum inter Christianos pro conditione mea secundus, ita enim me semper augendæ bonæ famæ, et gloriæ meæ consuluisse, ut pro illa amplianda bona amiserim, et sanguinem fuderim. Dicit Bassa ea que tibi nunctiaui, non ex me nunctiaui, crede mihi, si uis, quoniam te Imperator accusat, quod non ita fecisti, ut facere debuisti neque ita Regi tuo anno superiore renunctiasti mentem Cæsaris sicuti hic accepisti, et relaturum te promisisti, quia alia erat legatio tua prior, et alia ac diuersa est præsens, et propterea oblitus es eorum quæ priori dixisti legatione. Respondi rem non modo indignam sed etiam horrendam fore, si ego Imperatoris uerba reprehendere aut corripere uellem, rogare tamen me Bassam, ut mihi clarius dicat. Dicit Bassa. Anno superiori uenisti pro inducijs, et ut Imperator concordiam cum Ioanne Rege factam confirmet, inducias obtinuisti unas et alteras, tamen non uenisti ut promiseras in sex mensibus, neque etiam in octo. Aliud est. Imperator tibi dixerat, quod de illa concordia nihil scire uellet, et ut tuus Rex daret Tributum pro ista parte Regni Hungariæ quam possidet, si uult habere pacem et amiciciam Imperatoris, tu autem nunc nullum tributum attulisti, imo quod grauius est exigis dari Regi tuo totum Regnum, illudque interim dum tu hic es, Rex tuus armis occupat. Respondi Regem meum fuisse ad fratrem profectum in Flandriam, prouinciam remotissimam, me autem eo tempore fuisse letali ęgritudine correptum, et propterea me tardasse, nihilominus uenisse tamen et promisso satisfecisse, quod uero Rex meus nunc mutauit legationem, et aliam mihi iniunxit, cupitque ut per Cæsaris beneuolentiam toto potiatur regno, in causa esse quod Ioannes Rex mortuus sit, cum quo ut sæpius dixi concordatum erat, ut a morte sua Rex

meus succederet, et statim exercitum sub Budam collocaret, itaque nihil me esse oblitum, et retulisse me Regi quod Imperator de Concordia nihil scire uellet, Dixisse me etiam de tributo ex ea parte quam Rex meus possidebat, sed me non habere talem potestatem, ut cogere Regem meum ad talia possem, [tributum tamen me obtulisse si imperator paciatur maiestatem uestram toto regno gaudere et inquam maius tributum quam illud quod filius regis ioannis daturum se promisit id quod tamen imperator respuit et abiecit]. Dicit Bassa hæc omnia iam præterijsse, propterea relinquenda esse, nunc autem si quid haberem cum ipso loqui loquerer, quoniam haberet multa negocia. Hic ego dixi rem me habere magnam, propter quam ueni ad illum, quam ex me ipso et non ut orator referrem, hanc si Bassa uolet diligenter parte ex sua promouere, et mihi credere : posset ad effectum maximo honore, et commodo Imperatoris sui ad effectum deducere, sibique nomen et gloriam perpetuam parare, sed si mihi fides non dabitur frustra omnia futura, Est autem res hæc, ut Rex meus personaliter ueniat ad Imperatorem hunc, præsensque litem omnem componat. Dicit Bassa me impossibilia loqui, quoniam Rex meus accepisset aliqua Castra Cæsaris, et Pesth teneret, esseque summam nunc hostilitatem. Respondi audiret modum, et quo pacto id fieri deberet, postea iudicaturum, et inquio, postquam Imperator contra Regem proficisci decreuit, pergat suum institutum iter, et uadat, interim autem faciamus inducias trium mensium, et scribat Imperator ad MehemetBassam ut quiescat ab armis, me uero ad exercitum nostrum mittat, quem faciam ego etiam quiescere, et stare, nam Imperator difficulter intra tres menses Drauum attingere potest, et sic nihil perdet temporis, ad bellum continuandum, si sine bello fieri non poterit, Scribatur etiam hic forma salui conductus, in meliori qua possibile est forma, ut ego Regi meo illam deferre possem, constituaturque locus in Mohacz ut ibi Rex meus ad Imperatorem ueniat, Imperator autem ultra saluum conductum classem suam quam in Danubio habet apud Drauum relinquat, quoniam Rex meus exercitum suum equestrem relinquet ex altera Danubij parte, in loco æque remoto, et solus in nauibus ad Imperatorem ueniet, duntaxat cum peditibus et apparatu nauali, Deinde figat Imperator tentoria sua ad Rippam Danubij, ne esset longus ab aqua tractus, omnemque suum exercitum ad unam partem statuat, ne hij qui cum Rege ad siccum descendent claudantur copijs Turcicis, utque Bombardæ et ingenia uersus campestria et non in Danubium uertantur, Si itaque Bassa poterit Imperatorem eo declinare, me habere certissimam spem, Regem meum uentu-

rum, quoniam scirem ex animo eum cupere, ut cum isto Imperatore arctissimam amiciciam iniret. Quæ res quam honorifica, et quam gloriosa sit huic Imperatori futura, non esse operepræcium multis exaggerrare, Bassam probe intelligere posse, quid hic subsit, ubi primus Christianorum Rex, frater Imperatoris Christianorum, ad istum Imperatorem uenerit, quantum deinde commodum fieret, ubi pax uniuerso orbi pararetur. Dicit Bassa rem esse magnam et difficilem propter multa, tamen et propter hoc unum, quod ego non ut orator, sed ut persona priuata talia propono, quia inuitari ad talem rem Cæsar non priuato meo sed Regio nomine deberet. Respondi, nihil me hac de re in comissis habere, sed si Imperator uult huic accedere rei, mittat me, adducam ego mecum alium oratorem, et inuitabitur Imperator ad talem congressum. Ergo inquit Bassa nos duo debemus istam rem ita magnam deducere ad effectum? Respondi si ipse uolet recte facere apud Imperatorem suum, me facturum apud Regem meum, cum auxilio amicorum meorum. Dicit Bassa. intelligis ne esse aliam causam præter hanc quam dixisti, qua adduci posset Rex tuus, ut ueniat ad Imperatorem; respondi multas, et inter alias has tres, Primum quod Rex habet quosdam subditos, qui grauiter in eum peccarunt, et quos punire non potest propterea, quod est isto bello impeditus, habita itaque pace puniret eos, Deinde quia Pereni Petrus et alij omnes, qui in confinijs sunt, cadent ad pedes Regis, et orabunt ut ueniret ad Imperatorem, et bello finem imponeret, Tercio quia etiam Regina Budensis instabit per Poloniæ Regem, ut ueniat Rex meus ad Imperatorem, ut ipsa aliquam certam condicionem cum puero habere posset, quia fœmina et puer, male bellum ferre possunt. Dicit Bassa esse raciones istas satis magnas, et conuentum istum esse rem insignem, sed dubitare se, Imperatorem nihil facturum, neque daturum fidem, quod Rex ueniret ad illum. Respondi: me paulo antea dixisse, nisi Imperator mihi credat et me dimitat, rem hanc non uenturam ad effectum. Quod si illius Celsitudo existimaret me hunc conuentum propterea proposuisse, ut hinc eo prætextu euolare possem, accipiat sua Maiestas a me iuramentum, aut obligationem in scriptis pro reditu meo, et mihi diem reditus statuat, quoniam sine ullo dubio essem rediturus, et bonam relationem allaturus Imperatori suo. Dicit Bassa, se omnia Imperatori declaraturum, et etiam promoturum et persuasurum, et que deinde eius fuerit uoluntas mihi indicaturum.

Rogaui deinde Bassam ne ad Karuessariam locum fętidum irem, sed ut aut in præsenti hospicio manerem, uel ut locus aliquis alius inueniatur, ubi

sit aër bonus, ut ibi cum tot seruitoribus et equis secure stare possim. Dicit Bassa loquuturum se Cæsari, et cras responsurum mihi.

III. Maij Die

Venit ad me [saheitbeeg missus a ionusbeg] ex Deuan, ut diceret mihi Michaelem Karkj qui nuper adductus est habiturum tormenta et quæstiones, ut diceret, si intellexerit meas literas aliquando ad Maiestatem Regiam peruenisse, Hortatus itaque est me ut si scripsissem essem paratus ad diluendum factum, melioribus quibus possem rationibus; respondi me nihil scripsisse, neque me torturas tales pensi habere, quoniam ex cruciatu posset multa mentiri, gratias tamen egi de admonitione.

Eadem dixit mihi nomine Bassæ Czaus meus Imperatorem concessisse, ut in eodem hospicio manerem, sed sibi esse sub pœna capitis uetitum, ne quispiam ad me ueniat, uel meorum domo exeat.

Eadem data est ex Phisco peccunia magistro stabuli, pro emendis 1000. camelis et 1500. mulis pro ferendis Imperatorijs impedimentis, Comissio etiam facta est pistandi Biscoti etc.

Eadem ductus est unus captiuus, a Zanzacho Bossnæ missus captus, ex equitibus Comitis Zrenij.

IIII.

V.

VI.

Venit ad me IonusBeeg, et dixit: Quomodo dum LudffiBassa nomine meo proposuerat Imperatori de conuentu Regis cum ipso Seuliman Bassa rem derisisset, et dixisset me credere quod Imperator esset puer, ut credat tam impossibili conuentui, hic enim me nihil aliud querere, nisi ut euolare possem, Ludffi autem Bassa dicebat, fuisse etiam sibi creditu difficile in initio cum sibi rem proposuissem, sed adduxisse me sibi tot rationes et modos, propter quas, et quibus id confici debeat, ut credat rem esse possibilem, adduxisse etiam me in exemplum Cæsaris nostri in uiscera Regni Franciæ aduentum, qui se Regi Gallorum cum paucissimis concredidisset, et retulisse illas rationes et causas quas secunda Die præsentis Bassæ declaraueram, et ne Bassa quidpiam obliuisceretur dixit IonusBeeg se fuisse in præsentia Imperatoris accersitum, ut repeteret propositionem meam, ubi quum eadem ordine repetijsset, Seuliman Bassa iterum dixit, nihil aliud me querere, quam ut hinc euolem, cui respondit Imperator, Quid hic mali habet, ut sibi ita timeat, et querat hinc euolare, nonne tractatur ita quemadmodum iusseram: respon-

dit LudffiBassa ea omnia mihi dari, que ab initio dabantur: dicit Imperator apud Christianos esse aliam consuetudinem, quam apud Turcas, et uerum me de Carolo dixisse, remque hanc esse magnam et non puerilem, et credere quod ex puro corde et non ex fallacia illam proposuissem, quoniam cognitam haberet integritatem meam, laudabat præterea dilutionem meam, qua ostendi innocenciam meam, tum quod non redijssem huc intra sex menses, tum quod Rex legationem mutaret, et totum Regnum quereret, et pro parte Regni nihil me tractare iuberet, me esse seruitorem, neque posse negligere aut obaudire, mandata sui Regis, uelle itaque se de eo conuentu bene deliberare, neque eam rem ita paruifacere.

VII. VIII.

Accurrit AliZaus qui ad Zanzachum Belgradi erat missus dicens illum ex Hungaria Syrimium propter famem decesisse ac redijsse et ut equos commode herbare posset, narrans etiam nomine eiusdem Zanzaci, quod Regina Budensis, nunctiasset sibi, me hinc frequentissime literas ad Maiestatem Regiam mittere, hæc tamen res nondum fuit ad Imperatorem delata propterea, quod loco mouisset, et de gradu deiecisset LudffiBassam, et ex consilio hodie semouisset.

Eadem missus est Yesseldzy Mehemet Belgradum, pro struendis in Drauo, Sauo, et Danubio pontibus, dati sunt illi pro fabrica 20000 florenorum.

Eadem misi ad Bassas pro audientia, sed impetrare non potui.

IX.

Suffectus est in locum Ludffy Bassæ Seuliman Bassa Eunuchus, et ascitus est in consilium VstreffBeeg Romaniæ et Greciæ BegleerBeeg, et omnes fere officiales sunt immutati.

Eadem noctu exiuit SynanHeris: quem nos Iudeum renegatum uocamus cum xi. triremibus et tribus Galeonis ac duabus fustis, adiuncta sunt sibi Pyrratharum uela circiter xxx, iuitque ut exploraretur, quid nostra classis moliretur, et quam sit magna. quoniam hic frequenter afferebatur nouum, de magno classis nostræ apparatu.

X.

Venit a Petro Wayuoda nunctius, accusans Transiluanos, quod illi castra et coniugem liberosque ademissent, rogansque dari sibi mutuo munitiones, ut adempta recuperare posset, Consulens etiam Imperatori, ut expeditionem in Transiluaniam faciat, et ibi se cum Tartaris, Moldauis, atque Va-

lachis coniungat, nam tantum esse in ea prouincia comeatum, ut tot copias ferre, et alere possit: in Hungaria uero esse penuriam rerum, propter quam Imperator si illo iret, nihil sit magni effecturus.

Accusauit etiam Serenissimum Poloniæ Regem quod multos insignes suos transfugas, et Imperatori rebelles in Regnum accepisset, neque eos prodere uolet, et propterea rogabat, ut Imperator mittat et scribat de reddendis transfugis ad eundem Serenissimum Regem.

Eodem noctu uenit ad me Czaus, cum iam essem in lecto, et significauit se uenire a SeulimanBassa, apud quem instabat pro audientia mihi obtinenda, cui Bassam respondisse, Nulla se habere mecum negocia, et propterea non opus esse ut ueniam: Cui dixit Czaus, quod LudffiBassa dixisset mihi, Imperatorem me secum una ducturum, et ex confinijs dimissurum, ad quod iter egere me equis, tentorijs, et rebus alijs, quas ut emam, noluisset mihi ipse Czaus sine licencia Bassæ concedere. Cui Bassa respondit. LudffiBassam talia mihi dixisse, ut aliquid a me emungat, non quod fuerit Imperatoris commissio, ut ego hinc una cum illo proficiscar: Interfuisse enim se consilijs, sed nunquam id audiuisse, quod Imperator me secum ducere uellet. LudffiBassam multa egisse et dixisse menti ac uoluntati Imperatoris aliena, et propterea illum deiectum esse, Se non posse fingere uel simulare, si tamen Imperator iubebit ut una secum eam, facturum ut intelligam.

Idem Czaus dixit, se fuisse interrogatum a SeulimanBassæ Magistro Curiæ, quid facerem, tristarer ne, aut passionem Vino diluerem, Respondisseque se illi. Bono me esse animo, et bibere Vinum, non ad ebrietatem, sed pro siti et necessitate. Cui dixit Magister domus, me non fecisse magni dominum suum, sed in solo Ludffi spem et fidem collocasse, quum tamen Ludffi, licet loco fuisset primus, gratia et authoritate minus ualuisset apud Imperatorem Domino suo: Scire se præterea qua largitione apud Ludffi usus fuerim, et nunc me omnia una cum Ludffi amisisse. Respondi. Dominum meum esse talem et tantum Regem ac principem, ut indignum fieret dignitati suæ si fauorem LudffiBassæ emere debuisset: et propterea largitione me nulla alia fuisse in illum usum nisi eadem qua et in cæteros Bassas.

Rogaui itaque Czaus ut talia referat Ludffy, ab illoque consilium capiat, quid mihi amplius faciendum sit, uidere enim me propter Ludffy istius Seulimani animum esse a me alienatum, et quantum conciperem uidere me quod iste Magister Curiæ innuat in uerbis suis, agendum esse muneribus apud suum herum, in eadem etiam sentencia Czaus mecum erat, dicebat tamen, si

huic darem frustra me daturum, quoniam breui discedet, et in loco suo futurus sit Rusthan, qui iterum a me aliquid expetet: et propterea capturum consilium a Ludffi, quid facto opus sit. Respondi libenter me congratulaturum, et muneraturum Seuliman Bassam de adepta ea dignitate, si egestas non impediret. quoniam sciret bene Czaus me nonnihil argenti uendidisse, ut habeam quo uictum mihi suppeditem: me huc uenisse, non ut tantisper retinerer, sperasseque me ad propria intra quatuor menses, aut summum quinque redire. Nunc autem Nonus agitur Mensis, ex quo Magnitudinem Regiam reliqui: Rogaui etiam illum ut crastina die instaret pro audiencia, et diceret rem esse indignam si orator non debeat admitti, habere me negocium, non tantum de discessu meo, quantum de alijs maioribus rebus.

XI.

Respondit mihi SuleimanBassa per meum Czaus, quod nolit quidpiam mecum tractare, esse se præterea occupatum in rebus ad expeditionem suam pertinentibus, et propterea habiturum me pacienciam, nihilominus dicturum se Imperatori, quod tanto studio cuperem coram eo loqui, ubi si Imperator iusserit uocabit me ad se, et audiet que dixero.

Eadem idem Czaus dixit mihi Ludffi consulere, ne amplius petam apud Suleimanum Bassam audientiam, esse illum maledicum, uixque fieri posse, si cum ipso præsens fuero, ne Regem meum aliquibus conuicijs impetat, que obaudire mihi non liceret, sed cogerer honorem principis mei tueri; ubi talis controuersia posset me in graue periculum adducere, suadebatque ut haberem pacientiam donec discederet. Postea omnia cum RusthanBassa fore faciliora, se uero licet excidisset gratia Imperatoris, tamen habere amicos, quibus medijs, rebus meis prodesse possit.

XII.

Venit Hassan proditor, qui literas meas Imperatori prodiderat, et attulit literas a Valentino Thewrek: is dixit ope et auxilio eiusdem Valentini se Viennæ fuisse, et explorasse nullas copias esse, demptis paucis in Pesth: submittebatque ceruicem suam ensi, si inter Budam et Viennam haberentur ultra sex millia militum: Naues quidem dixit se uidisse Viennæ, et in quodam alio loco quodam, quem nominare non posset, complures. Dixit præterea famam fuisse Viennæ, quod essent Danubio multe copiæ ex Germania uenture. Dixit etiam, vnum exploratorem Regium hinc redijsse ad Regem, et Cæsarem, et nunctiasse Barbarossam magnam Classem armasse, et propterea Cæsarem iuisse in Italiam, ut tutaretur sua ab illo. Dixit præterea Regem di-

xisse, Me semper fuisse Turcis amicum, et erga eos propensum, et propterea hic effecisse, ut me Imperator detineat, ut habeam causam desciscendi ab illo, et adhærendi Imperatori et Turcis. Dixit quomodo frater Georgius dixisset sibi, male ac inconsulte esse actum, quod mihi uita non sit per Imperatorem adempta, meo enim consilio Regem bellum mouisse Reginæ, esseque me acerrimum Turcharum hostem. Dixit insuper Reginam frequenter ad suos Polonos dixisse, Ego non possum irasci Lasko, tametsi sit filio meo hostis, optimeque Imperator faceret, si me ad seruicia sua mitteret, dato meo filio eidem Reginæ pro obside, quoniam si me haberet, non ita hostes curaret, essetque apud Hungaros in maiori existimatione, quam nunc sit. Hæc Hassan dixit se intellexisse a Polonis, cum quibus xiiij Diebus Budæ uersatus esset. Dixit Viennæ esse aliquos Consiliarios et Regem fuisse Linicij. Dixit insuper milites nostros stipendijs carere. Attulit etiam secum duos panes, ut ostenderet Budæ et Sirimij esse magnam annonæ caritatem uel penuriam, quæ omnia in scripturam sunt redacta, et Imperatori oblata. Cum autem talia enarrasset, Seuliman Bassa dixit. Wayuodycza accusatur a Zanzacho Bosnensi, a Moldauo, a fratre Georgio, a Valentino Thewrek, a Semczey, et omnes idem dicunt, quod ipse sit acerrimus Turcarum hostis. Rex tamen suus dicit, esse amicum Turcis: mirabaturque et dicebat quid hoc esset? Cui ad hæc IonusBeeg respondit illos omnes me accusare, odio et inimicicià adductos, se scire Turcis me fuisse semper coniunctissimum. Quem interrogauit Bassa, crederet ne quod uellem seruire Reginæ. Respondit et dixit omnino me seruiturum, quia sit filia Regis Poloniæ. Dicit Bassa dabit ne filium suum in obsidem. Respondit IonusBeeg, non esse inter Christianos consuetudinem dandorum obsidum. Dicit Bassa Regem Franciæ dedisse Cæsari filios etc. et hic de rebus meis multa locuti sunt etc.

Eodem uenit posta a Christiano Rege, quæ ex curia in xxxvj diebus huc accurrit, quid autem attulit intelligere non potui, nisi quod Rincon intra vnum mensem hic sit futurus.

XIII.

Nunctiauit mihi Vincentius Secretarius Christiani Regis, essem bono animo. Rinconem intra mensem futurum, et tunc me insignem illius amiciciam experturum.

XIV.

Decretum fuit ut Sanzachi Selystriæ, Nicopolis, et Vidini, cum Moldauo et Transalpino, ut in Transyluaniam uadant, Imperator tamen usque Semen-

driam progrederetur, et ibi decerneret, an sub Budam uel in Transsyluaniam sit processurus.

Eodem uenerunt a Moldauo duo nunctij, dicentes Transsyluaniam se Regi Ferdinando subdidisse, et Maylathum iactitare, quod Imperatorem ut ueniat alacriter expectaret, et propterea urgere et hortari, ut eo se Imperator conferat; misit etiam literas ad se nouissime a Serenissimo Rege Romanorum missas: adhæc rogabat pro munitionibus. Decretumque fuit eo die, ut postera die tres magnæ naues quæ uocantur Topgenni, et sunt instar Galearum grossarum facte, per Euxinum in Danubium, cum sex triremibus mittantur onerate munitionibus et bombardis.

Eodem uenit ad me Thopukly Czaus, et dixit se fuisse cum Seulyman Bassa multa de me loquutum, suadebatque ut Imperatori me addicerem, et Reginæ seruirem, cui respondi me hoc facere non posse, quoniam fidem Regi meo datam uiolare nollem, consuluit itaque ne sic ex abrupto alijs responderem, neue recusarem me Imperatori addicere, sed ut expectarem, ut Bassa hinc abiret, qui intra dies decem esset discessurus.

XV.

Cassum Czaus qui mihi erat pro custode adhibitus, iussus est Vidinium ire, et Bombardas quæ ibi habentur maxime, ad Semendriam deducere.

Eodem uenit ad me Thopukly Czaus, et duxit alium Czaus nomine Haydyn, ut esset meus custos, propterea quod Cassum cogeretur abijre.

Eodem Cassum Czaus dixit mihi se loquutum fuisse cum RusthanBassa de rebus meis diligenter, pertracto prius ad partes meas Mahmuth Czaus, qui apud illum Bassam multum potest, ego enim promiseram huic Cassum Ducentos ducatos, ut laboraret fideliter de dimissione mea, ille itaque antequam discederet uoluit munus hoc lucrari, et propterea diligenter egit. Bassa itaque nunctiauit mihi, si uellem filium meum Reginæ in obsidem dare, illique seruire, facturum se ut dimittar. Respondi illi rem esse magnam, de qua subito decernere non possem, quoniam hic agatur simul de honore et bonis: Fidem me dedisse Regi, sub illo me etiam bona parasse, filium uero si dare uellem, cogerer etiam et matrem una dare, quoniam sit quinque annorum puer. Dicit Czaus, quod Hassan dixisset eum esse annorum vndecim, et persuadebat mihi multis rationibus ut hoc facerem, cui ego dixi, nolle me promittere quidpiam quod fœdum, et turpe esset, et quod seruare non possem, me tamen deliberaturum. Deliberes dicit Czaus antequam abiero, quia deinceps ita fidum procuratorem non essem habiturus, atque ipse esset. Respondi me cras responsurum.

XVI.

Venit ad me IonusBeeg, eademque mihi de Hassan, uerbis retulit. addidit hoc etiam, me ab omnibus accusari, et rem meam indies difficiliorem fieri. Reginam enim et fratrem Georgium, Valentinum etiam Thewrek, pessima de me nunctiare, idem Sanzachum Bosnensem, idem Semczey, idem Petrum Vayuodam fecisse, qui ut alia omittat, in hoc omnes concordant, quod dicant me infensissimum hostem Turcis esse, nihilque me aliud semper summis egisse contentionibus, quam ut bellum contra Turcas moueretur: promisisse etiam me modos et consilia daturum, quibus Turcæ frangi et debilitari possent: Ob quam causam SeulimanBassa hodie decreuit ne mihi quidpiam amplius ab Imperatore daretur, postquam talia de me afferantur noua. Retulit etiam rationes, quibus tuebatur me apud Bassas, que profecto tales fuere, ut ipse firmiores et meliores ad tuendum me habere non potuissem. Dixit præterea ibidem denuo fuisse uocatum Hassan, et interrogatum, an ego possem Strigonium Turcis dare, ad quæ respondisse Hassan, de hoc se dubitare, sed ad expugnandam Budam, uel Strigonium, nullum esse hominum, qui plus, me, Imperatori prodesse posset: retulitque IonusBeeg RusthanBassam suasisse, darentur mihi hæc, quæ hactenus ab Imperatore dabantur, et contendere ut me in seruicia sui Imperatoris protraheret: uocatumque fuisse iterum Hassan, et interrogatum, an haberem proles, et respondisse Hassan, me habere filium vndecim annorum. Rusthan uero Bassam dixisse, recta ætas pro obside, hæc autem esse referenda Imperatori, ut si uelit, iubeat mecum tractare, et propterea hortabatur me IonusBeeg ut bene deliberarem. Respondi me iam deliberasse, quoniam filium nunquam essem daturus, non possem enim fidem quam Domino Deo debeo, neque honorem, et proprium sanguinem prodere, et ob id nihil de hoc tractandum. Retuli autem sibi omnia, quæ Cassum Czaus cum Rusthan Bassa egerat, et quod filium meum Reginæ Budensi, et non Imperatori Turcharum in obsidem dari uellet, retuli etiam, responsumque eidem pro re dedi, rogauique IonusBeeg ut persuaderet Bassis, me hoc facere non posse, priusquam licentiam a Serenissimo Rege meo non acciperem, quoniam id fides, honorque meus requireret, ut licentiam a Serenissimo Domino meo acciperem, quod me subito facturum promittebam, quamprimum Zomssed attingerem: ostendebam præterea me sub eodem Serenissimo Rege habere alia castra, quæ uel uendere, uel munire ac fortificare cogerer, ne mihi adimantur. Ad hæc conficienda opus me habere adminus duos menses: post hæc libenter me daturum filium, Serenissime Reginæ,

illique seruiturum, non fideliter modo sed etiam utiliter, ac tanto libentius ac alacrius, quia Serenissima Regina Budensis, sit Illustrissimi Regis mei Poloniæ nata, et quia nunc factus fuerim Regi Ferdinando hostis, qui neminem, qui Almanus non fuerit, charum habet: fingebamque prorsus me esse male de illo contentum: et iactabam cum Valentino Thewrek frequenter me portas Viennæ uisurum. Respondit IonusBeeg recte me facturum, se uero ita ut opto Bassis suasurum. Interrogaui eum deinde, quid attulisset iste nunctius a Christianissimo Rege. respondit, bona uerba, tamen specialiter nihil, quia per Rinconem scribit se omnia nunctiaturum, qui hic xv. Iunij die debet comparere. Interrogaui eum an Bellum inter eundem Regem et Maiestatem Cæsaream esset futurum, respondit uix hoc anno, futuro tamen omnino acre bellum erupturum, terramque et aquam sanguine conspersurum etc. Dumque de his nobis esset sermo, escæ allate fuere, et ita cœnauimus etc.

XVII.

Venit ad me summo mane Thopukly Czaus, cum Domino Kerdey, adhuc me in lecto existente, ubi idem Czaus retulit mihi, heri tarde magnum se sermonem cum SeulimanBassa de rebus meis habuisse, eum etiam tarde heri ab Imperatore redijsse, habiturumque me gratissima noua hodie, nam uel uocabor ad Deuan uel mittetur IonusBeeg huc ad me, ut mihi diceret uoluntatem Imperatoris, qui uult ut illi seruias apud Reginam, et uult ut filium meum Serenissime Reginæ in obsidem darem, quod si fecero omnia que supra Budam sunt usque Viennam mihi Imperator dabit, uel si hoc nollem tunc castra Zrenyij etc. expediet me præterea inter paucos dies Belgradum, et ibi tantisper essem mansurus, donec filius meus Budam ueniret.

XVIII.

Conuocaui omnes qui mecum erant, illisque rem apperui, et consilium petij, quid in ea re faciendum foret, quia eorum æque atque meum subsit hic periculum, quorum sententia fuit ne filium darem, ne ue Turcis contra Christianos assisterem, salutem enim animæ, et bonum nomen ac honorem, potiorem esse uita præsenti, et omni fœlicitati ac commodo. Vbi consilium fuit meum et intencio, ut darem filium Reginæ, meque et illos hinc liberarem, ostendebam enim rationes, et certum modum, quibus filius, Buda recuperandus esset, me autem hic nihil offensurum nomen, famamque meam, si promissum huic Imperatori datum non seruauero, quoniam non teneretur is promisso, cui simpliciter fides data non fuisset, et a quo pignus uel obses exigitur, et accipitur. Hoc itaque modo, neque fidem, neque bonam famam,

uel Serenissimum Dominum Regem meum me offensurum, quoniam in filium meum illius Maiestas nullum ius habeat, posseque me de filio meo, ut melius uideretur, decernere et statuere, satis enim me facturum Maiestati suæ, postquam ea fide et alacritate, qua antea sim illi seruiturus, futurum enim in manibus Serenissimæ Reginæ quæ Christiana est, in manibus magistræ curiæ, quæ coniugis meæ sit soror. Regiam autem Maiestatem, si hic in captiuitate una cum illis hæsero, nullam utilitatem habituram, et nos interim turpissime delitescentes, amitteremus præclaras seruiendi occasiones. Hæc sententia placuit omnibus, in illaque permansimus.

XIX.

Venit ad me Thopukly, et pransus est mecum.

XX. XXI.

Venit ad me quidam Turcus Almanus Viennæ natus, seruitor et scriba RusthanBassæ, quem idem Bassa exploratum ad me misit, is quum uenisset dixit, uenisse unum nunctium a Maiestate Regia, et nunc eum apud Bassas fuisse, et multa mala dixisse, interrogaui quis esset, et quid mali dixisset, Respondit, dixit Regem esse cum Decem millibus militum Viennæ, et Cæsaream Maiestatem RatisBonæ, mirarique Bassas quare hic iste uenisset; interrogaui eum si nihil præter ea loquutus fuisset, respondit, nihil: quoniam non haberet mandatum dicendi, sed duntaxat præsentandi literas, quibus Imperator causam sui aduentus intellecturus foret, attulisse etiam illum literas ad me, sed illas Bassam accepisse, et hic me interrogauit, scripsissem ne aliquando Regi, uel si uellem scribere, pollicebatur enim literas se meas tuto Viennam transmissurum. Respondi nihil me scripsisse, neque etiam scripturum, quoniam Imperator mihi prohibuisset. Interrogauit etiam an pacis causa uenissem, et quare illam non transegissem. Respondi, propter hanc me uenisse, sed nihil confecisse, quoniam Imperator et Bassæ bellum mallent quam pacem. Interrogauit quæ causa esset, quare nolit Imperator pacem. Respondi Hungariæ Regnum. Postea se Imperatoris interprætem dixit, multumque Viennæ compati, quam Imperator omnino esset hoc anno euersurus, quoniam intra paucos dies esset hinc egressurus. Respondi futurum id quod Domino Deo placeret.

XXII.

Lecte sunt literæ Maiestatis Regiæ quas ad Turcum et ad me misit in consilio, ubi decretum fuit adimantur mihi hæc, quæ pro quottidiano uictu ab Imperatore dabantur.

Eodem uenit filius CzausBassæ ad me, iubens nomine Imperatoris, ut me mox in Caruaseriam transferrem, transtuli me itaque intra horas duas, cum rebus meis omnibus.

Eodem Haydyn Czaus dixit se fuisse loquutum cum RusthanBassa, ne mihi adimantur uictualia, illum autem respondisse, quod sine causa factus fuerim hostis Imperatoris, qui nulla in re unquam me offendisset, sed me singulari sua gratia prosequutus semper fuisset: Idipsum etiam fecisse Petrum Perenni. Iussitque ut me idem Czaus interrogaret, an Serenissimus Rex meus esset mihi, uel Petro Perenni Budam daturus, si eam acceperit, et quamobrem Regem Ioannem reliquissem. Respondi, Budam non daturam Regiam Maiestatem cuipiam, me uero reliquisse Ioannem Regem, propterea, quod me sine ulla causa captiuauerat, nos enim Christianos non esse pecora, ut se pelli ad macella permittamus, sumus enim liberi et cui uolumus seruimus, me autem non esse Hungarum, neque fuisse Regi Ioanni sanguine iunctum, nulla etiam ab eo beneficia habuisse, et ob id tandiu illi seruiuisse, quam diu mihi libuisset, ita etiam Regi Romanorum tamdiu me seruiturum, quam diu uoluero.

XXIII.

Venit ad me IonusBeeg, et uoluit ut secretissime in camera mecum loquatur, qui mihi attulit literas quas Maiestas Regia ad me scripsit, attulit etiam et paria literarum ad Imperatorem scriptarum, et dixit, se non sine rubore literas istas ostendere, propterea quod pudeat illum stulticiæ Bassarum, qui literas meas fregerunt: quod factum Imperator grauiter ferat, et nolle ut ego intelligam, istas literas mihi fuisse missas, quæ si non fuissent fractę, uolebat eas mihi dari, uiolatas tamen pudore motus prohibuit ostendi, et propterea rogabat me, ne quispiam sciat me eas uidisse, et intellexisse. Cui ego egi gratias, et interrogaui, possibile ne esset, quod Imperator intellectis literis Serenissimi Regis mei, me hùc in istum locum fœtidum traducere, et uictualia adimere iussisset. Respondit, se non fuisse cum Cæsare loquutum, maledictum tamen SeulimanBassam dixisse, eam esse uoluntatem suæ Maiestatis: se tamen credere non posse, quod hæc iussu suæ Celsitudinis fiant. Et hic uehementer accusabat ineptias Consiliariorum. Dixit mihi præterea quod RusthanBassa persuasit Imperatori, ne me secum capiat, quoniam essem fugiturus, nam etiam ex Valachia mirabiliter euolassem, et essem ita astutus, ut non possim custodiri in campo ne aufugerem, iamque iussisse ut mihi omni die 100 aspre darentur, quibus hic uictum mihi pararem, consilium itaque suum esse, ut Imperatori scriberem, et adiunxit, quod non pro-

pterea tantum hic detineor, quod orator sim, quantum ob id, quod me omnes accusant, quomodo acerrimus hostis Turcis fuerim, principesque Christianos ad arma contra illos capienda animarim.

XXIIII. Die

Venit ad me prouisor, qui mihi uictualia ab Imperatore dabat, Dicens decretum esse darentur mihi in singulos dies .100. aspræ, ex quibus uiginti forent ab hospitio indies soluendi, et mihi restarent octuaginta, pro uictu, itaque attulit sedecem florenos, ut illis uictum mihi pro decem diebus parарem: A quo ipse peccuniam accipere iussi, timebam enim ne contempta peccunia, iratum mihi Imperatorem tanto magis commouerem, egi itaque gratias, et accipere quod attulit iussi.

Eodem iussit Imperator Isdebskj captiuare, et in captiuitatem quam in sua Curia habet duci, is autem est Magister stabuli meus, quem ante octo annos hinc eduxeram, est autem circumcisus, et ab Hassan proditore accusatus, quod hic ornaret caput ut Turca, et inter Christianos esset Christianus, quæ res mihi maximum dolorem incussit, [propter missum konopniczki,] et tanto magis, quanto intelligebam dominum Kerdey quæsitum ubique fuisse, qui eodem die inueniri non potuit, ut apud Bassam comparuisset.

XXV.

Venit ad me ante auroram corruptis custodibus SehehiteBeeg, et retulit captum esse Magistrum Stabuli meum ut examinetur quoties hinc et per quam uiam scripsissem, flebatque de meo et suo periculo, dicebatque heri mox illo capto, se quæsitum fuisse, sed delituisse tota die, ita ut inueniri non potuisset, nunc tamen se ire ad Bassam, rogareque me ut si ad tormenta fuerit uentum, ne eum proderem, idem etiam ipsum facturum, instituimus itaque inter nos modum, quo præsenti periculo occurrendum esset.

Eodem redijt ad me SeheiteBeeg plenus doloris, et dixit res utriusque nostrum stare in extremo periculo, Bassamque talem ad eum sermonem fecisse, Tu inquit in senecta tua, factus es nunc primum proditor, en circumfers in capite tegumen Turcarum, et in corde es Christianus, tu agis multa secreta consilia cum Vayuodzycza, tu illius perfidiam noscis, tamen in hanc diem nihil nobis de illius fallacijs dixisti, neque opinor dices nisi fueris tormentatus, quare nolo tecum ad torturas festinare, sed parcere decreui aliquantisper ætati tuæ, et primum te de quibusdam interrogare, quæ tamen iam sunt nobis cognita, quoniam captus est suus Magister stabuli, talis Turca sicuti et tu, qui omnes fallacias nobis retulit, uide itaque ne temetipsum decipias.

*

Cui se respondisse dixit: non meruisse se ut ea ignominia afficiatur, quia si Turca esse nollet, et fidem Mahometanam non haberet charam, non consenuisset hic inter Turcas, sed redijsset in Poloniam ad patrimonium suum, ad fratres et amicos suos, quos ibi haberet multos inter primates, et propterea non opus esse terroribus tormentorum, nam de his, quæ interrogarentur, dicturum ea quæ sciat esse uera, et de his quæ non nosset taciturum. Interrogauit itaque eum Bassa ad quid huc uenissem? nam uerba mea rebus non consonarent, et Imperatorem ita esse iratum, ut difficile essem euasurus. Respondit illi SeheithBeege de publicis se nihil scire, sed de priuatis nosse omnia. Quæ sunt inquit Bassa ista priuata. Respondit me propterea uenisse, ut res meas apud hunc Imperatorem firmarem. Dicit Bassa, tu in senectute tua insanis, quomodo enim hoc est possibile, ut iste seruiat Imperatori, qui coniugem liberosque, et ampla bona et officia inter Christianos habet. Respondit illi sicuti est possibile illud, quod Valachi et Moldaui Imperatori seruiunt, ita etiam et hoc esse possibile, nam uxor liberique eo traduci possunt, ubi uir uoluerit. Me itaque uenisse ut obtinerem castra Zrenij apud Imperatoriam Maiestatem, ut illius benignitate per aliquem modum a Zrenijs habere possem dicta castra, non tamen ui, quia ui capi non possent per me, sed per commutationem aut aliquem contractum, iamque me magna ex parte cum Zrenijs concordasse, sed concludere noluisse sine scitu et uoluntate Imperatoris. Dicit Bassa frustra eum loqui, quia Imperator ita irascatur, ut de tali re ille loqui non audeat. Fuisse me prius subditum Imperatoris, ratione Ioannis Regis, et bonorum quæ in Hungaria habebam, sed una semel me prodidisse Imperatorem Regemque Ioannem, et cum castris ad hostem defecisse, quare id esse relinquendum. Sed scire se uelle ab eo quid dicam de mea detentione, et de indignatione Maiestatis Cæsareæ. Respondit iam a multis diebus se non fuisse admissum, ut mecum loqui potuisset, tamen antequam essem ex hospitio in Karuaseriam traductus, audiuisse se, uehementer me de Serenissimo Rege meo conqueri, quod me ex una parte huc, ex altera exercitum misisset, quod nihil mihi hactenus scripserit, neque peccuniam miserit. Dicit Bassa, audes ne tu iurare quod Woyewodycza talia syncero animo dicat. Respondit se audere non semel sed centies, quoniam Rex meus nihili me faceret, quia apud illum nullus nisi Germanus acceptus haberetur, me uero esse Polonum, et summo odio ab Germanis prosequutum semper, propterea quod Imperator bis Germaniam uastauisset, et eius rei caput me extitisse dicunt, et omnem culpam in me transferunt, meque in comessationibus palam

Turcam appellarent, et propterea me pertęsum seruitiorum illius Regis. Dicit Bassa se fuisse mihi amicum, et dolere sortem meam, Imperatorem enim ita mihi succensere, ut decreuerit proximo Deuan me interficere, propterea quod passim ex locis omnibus noua afferantur, omnia me hinc, quæ fiant, scripsisse, esseque me exploratorem et non oratorem, quoniam si orator essem debuissem primam legationem meam, quam anno superiore habui continuare, et referre Regis sui responsum ad ea, quæ mihi Imperator refferenda Regi imposuerat, sed neglectis talibus uenisse me cum nouo tractatu, et contendere Imperatorem et Bassas naso ducere, sicuti pueros. quare si mihi amicus esset iret ad me, et diceret mihi hæc nomine proprio, intelligatque et recordetur bene que responderem. Respondit se iturum modo ingredi permittatur, postquam iubeat Bassa, tamen multo libentius se quieturum, quoniam timeret sibi, de suspicione. Dicit illi Bassa ne existimes inquit rem hanc esse uanam, quia si rem non intellexero, et consilium non cępero, tercio die necarer, se hactenus protraxisse, sed iam amplius non posse, itaque si ire ad me uellet, commissurum se custodibus meis ut eum ad me admittant. Respondit se iturum. Dicit Bassa dic ei etiam, quomodo accusatus sit, quod ipse Petrum Perenni cum multis alijs ad Regem pertraxerit, et quod suo consilio Pesth sit captum, bellumque cęptum, Quod etiam a Petro Vayuoda, ab Hungaris, a nostris Sanzachis accusatur, quod sit acerrimus Turcarum hostis, Dic sibi quod suus Magister stabuli sit captus, quia fortassis nescit. Dic etiam illi quod nunctius sui Regis huc uenit cum nouis technis et fallacijs, et aduerte diligenter ad uerba sua, et referas omnia mihi fideliter. Hæc itaque ubi mihi relata essent ab amico, dixi, Legationem meam quam anno proximo egi fuisse hanc, quod Serenissimus Dominus meus Rex optabat perpetuam pacem cum Imperatore inire conditionibus his, primum permitteret libere, et pacifice uti Domino Meo ea parte Regni quam possidebat Rex, deinde ut concordiam cum Ioanne Rege factam confirmaret, Regem autem meum daturum se hæc a morte Ioannis Regis, quæ idem Rex Imperatori se daturum promitteret. Imperator uero respondit nolle se scire quidpiam de concordia cum Ioanne Rege facta, quoniam ille non haberet potestatem disponendi de Regno illo, quod Imperator iure belli acquisiuisset. Sed si Rex uellet amiciciam et pacem cum ipso firmare, tunc aut ea parte Regni quam habet Ioanni Regi cędat, uel si illi cedere nollet, tributum ex ea Imperatori soluat. Dixi itaque me hæc omnia fideliter Serenissimo Regi Domino meo renunctiasse, cuius Celsitudo cum grata relatione me huc remittebat, iamque eram in itinere, nisi mors

Ioannis Regis legationem mutauisset, quoniam Serenissimus Rex reuocato me ex itinere in hoc mutauit legationem, quod non pro parte, sed pro toto et integro Regno cum Imperatore componere desyderauisset, quare non deberer insons accusari per Imperatorem, quia ut iussit tractauerim. Sed si Rex meus non partem sed totum regnum habere optat, ita penes Imperatorem stare, utrum totum uel partem, aut nihil daret, et cum quacunque relatione me remiserit, eam me fideliter relaturum. De Petro Perenni autem et alijs quod accusor, tanquam illi meo consilio adhæsissent Regię Maiestati, hoc Bassa credere non debet, quod Petrus Perenni ob meum consilium filium negligat, quem hic in obsidem dedit, profecto non consilium meum, sed castra et bona quæ sibi multa Serenissimus Rex meus fortassis dedit eum pertraxisse, uel id etiam quod mulieri ac puero nollet esse subiectus. Quod autem accuser meo consilio bellum cęptum, et Pest captum esse, dico me consilium Regi meo flexis etiam in terram genibus dedisse, ne tantum Imperatorem ad arma prouocet, ne ue cęptam beneuolentiam parua re turbet, et me in periculum conijciat, relinquat istam expeditionem ad modicum tempus et tentet pace bona et beneuolentia regnum obtinere et assequi, quod nunquam contra uoluntatem Imperatoris esset habiturus, sed aliorum ualuit consilium, quia plus sapit apud Regem unus Almanus quam Poloni decem. Vbi uero Monachus et alij Hungari me accusant quod sim acerrimus Turcarum hostis, Dico illos esse inimicos meos, præcipue autem Monachum, quoniam nouit me scire, quod suo consilio me Rex Ioannes in carcerem posuerat, fecitque ultra hoc mihi alias graues iniurias, multumque sibi a me timet. Porro Moldauus propterea mihi obloquitur, et me accusat, ne mihi fides daretur si ego recenserem illius proditiones, quas contra Imperatorem faciebat. Quod autem Magister stabuli sit mihi captus me intellexisse, et uehementer lętari, cui cuperem magna tormenta dari, cognoscerent enim ex illo res quæ mihi gratiam et non iram Imperatoris conciliarent. De nunctio etiam Regis mei me intellexisse, sed nescire tamen ad quid uenit, quia nullas literas mihi attulit, fortassis Rex existimat me hic Turcam induisse, et propterea mihi nihil amplius fidere, hicque simulabam me contra Regiam Maiestatem esse pessimo animo, et iterum rogaui, ut passim diceret, me uelle Imperatoris seruitorem et tributarium esse, et cum his et similibus compositis inter nos rebus a me discessit.

XXVI.

Venit ad me summo mane SehehytBeeg et dixit se cum Bassa fuisse satis longo temporis spatio loquutum, Bassamque rebus alijs aliquantulum locum

dare, tamen quod ad legationen anni proximi pertinet nolle credere, quod tali diligentia uoluntatem et responsum Imperatoris Maiestati Regiæ declarassem, uel quod Maiestas sua me cum grata legatione remisisset, nisi Ioannes Rex fuisset mortuus, me esse inconstantem, uariatorem, et innouatorem, mentirique me, ubi dico, me ex itinere propter mortem Ioannis Regis fuisse reuocatum, et legationem meam immutatam, itaque opus fore si saluti meæ prospicere uelim, ut hoc quod dico uerum esse aliquo testimonio comprobem, alioquin actum erit de me. Addiditque SeheithBeeg Bassam sibi prohibuisse ne ad aliquid aliud mecum descendat, sed hoc negotium probe exploretur ac exquirat. Respondi posse me literis Maiestatis Regiæ manu eius subscriptis, et sigillo signatis ostendere ea ita se ut dico habere, uidelicet quod Maiestas sua erat contenta ante mortem Ioannis Regis cum Imperatore pro ea parte Regni quam habebat componere: gauisus itaque SeheithBeeg iuit illico ad Bassam. Ego autem parte ab una cogitabam nodum in scyrpo quærere, hoc est causam propter quam me perdere posset, ab altera cogitabam propterea fortassis tot in me terrores ob id exquiri et torqueri, ut ego relicto toto Regno pro parte duntaxat mox litem componerem.

Eodem uesperi Redijt SeheithBeeg dicens Bassam uelle ut sibi dictas literas transmitterem, id autem ego facere nolui, quoniam non simplices literæ sed informationes legationis meæ erant, Dixique literas has me non posse extra manus dare, quia continerent talia quædam, quæ ad alia negotia pertinent, si tamen Bassa eas uelit uidere, allaturum me eas illi summo mane, et tum ostensurum ipsas literas, ex quibus facile agnoscet uerum me dicere, hortabarque illum rogaret Bassam, ut mihi audientiam præstaret, idque pulchrioribus quibus posset uerbis obtinere contenderet.

XXVII.

Obtinui ut optabam audientiam, apud Bassam, qui misso ad me SeheithBeeg uoluit ut prædictas literas informationesque mecum afferrem.

Ad quem quum uenissem, quæstus sum de aduersa sorte mea, quę propensionem meam, integritatemque erga Imperatorem hunc, omnesque meos conatus, quibus pergebam semper Imperatori placere uertisset in incommodum et pernitiem meam, rogabamque Bassam audiret me patienter et benigne pro sua benignitate. Respondit Bassa, uides inquit quod homines non sint ut montes, ut non possint ex remotissimis regnis ac locis conuenire et coniungi, nam recordatus ego pristini panis et salis, quem una multos iam ante annos comedimus, hactenus ubi et quantum potui, semper res fortunasque

defendebam ac tutatus sum. Et quia iam satis abunde intellexisti ex Seheith-Beeg causas, ob quas Imperator tibi succenseat multumque irascatur, et de te supplicium sumere decreuit, quoniam dilutiones obiectorum tibi ab eodem SeheithBeeg intellexi, Relinquamus omnia, ad solam legationem descendamus, qua hic proximo anno usus es, iussitque sibi afferri paria literarum, per Imperatorem me latore anno superiore datarum, legitque eas solus, et quum uenisset ad illum punctum ubi Imperator scribit, quomodo Budam Regnumque occiso et fuso Rege Ludouico accepisset, illudque Ioanni Regi contulisset, et propterea uelle ut Serenissimus Dominus meus Rex uel eam quam haberet Regni partem Ioanni tradat, uel si id minus facere posset, ut ab eadem parte tributum pendat seu soluat, ea enim et non alia conditione pacem se cum Maiestate sua facturum, Hic dicit Bassa, legam tibi paulo inferius de tua persona, legitque, et quum uenisset ad illum punctum, ubi Imperator scripsit, quod reliqua essem quæ mihi dixisset Imperator relaturus Maiestati Regiæ etc. Hic Bassa dicit, primam et præcipuam causam esse hanc iræ Imperatoris, quod ego legationem cęptam inuertissem, neque ea retulissem Maiestati Regiæ, quæ mihi erant ab Imperatore iniuncta, itaque uiderem quid dicam. Respondi me literas fideliter Serenissimo Domino meo reddidisse, et ea que imperator iussisset recensuisse. Hic dicit Bassa Regem neque mutum neque surdum esse. Quare ergo hactenus non retulissem, quid dederit responsi ad talia. Respondi Maiestatem suam noluisse respondere ex abrupto et inconsulto, sed iuxta consuetudinem Christianorum conuocasse primo subditos suos, et ibi deinde de responso dando consuluisse, et tandem decreuisse: nique interuenisset mors Ioannis Regis dixi me habuisse responsum Imperatori gratum, sed mortuo Ioanne Rege mutauisse Regiam Maiestatem responsum, in hoc duntaxat [quia tributum non ex parte sed ex toto regno daturum se offert]. Dicit Bassa. Budam et totum Regnum Imperatorem Regi meo nunquam daturum [eciam si daret unum millionem pro tributo]. Quid ergo facere uellem, non haberem ne potestatem dandi tributum de ea parte quam habebat prius. Respondi, nullam me habere potestatem. Dicit Bassa es profecto in summo constitutus periculo, et interrogauit, haberem ne mecum literas informationis meæ de continuanda priori legatione, et componenda pace pro parte Regni. Respondi me habere. Dicit Bassa haberem ne alias literas quibus reuocauerit Maiestas Regia istam instructionem. Respondi me etiam habere. Dicit Bassa profer et ostende. Ostende itaque utranque informationem, et comparauimus datas, subscriptiones atque sigilla, et quum uidisset

dixit: iam poteris esse lætior, quia Imperator pessime erat ab omnibus de te ac tuis rebus edoctus et informatus: quibus tu os obdurasti, istis literis ostensis. Dicit deinde. Quare prætulisti seruitium Regis tui domini, seruitio Serenissimi Regis Poloniæ, uel Serenissime Reginæ Budensis. Respondi. Me a puero asueuisse esse extra patriam. Et apud Christianos esse gloriosissimum et acceptissimum, qui diutissime extra patriam in fauore clarissimorum externorum ac remotissimorum principum uersetur. Reginæ autem Budensi me seruire noluisse, quia qui puero ac mulieri seruit, uix certam ac firmam seu perpetuam gratiam habere potest. Interrogauit deinde. quod et quantum stipendium annuatim mihi Regia Maiestas daret. Respondi belli tempore quingentos omni mense mihi numerari aureos, pacis uero integro anno duo millia. Dicit scis ne tibi esse adempta castra duo per tuum Regem, et quod dicat, quod te hic sponte iusseris detineri. Respondi me nescire. Dicit Bassa. Scis etiam quod Imperator dicat se habere ius in te sicuti in suum subditum. Respondi me esse seruitorem Maiestatis suæ. Dicit Bassa. Ista castra quæ in Hungaria habes, nonne ad Budam spectent. Respondi ea esse de corpore Regni Hungariæ. Dicit Bassa. Tu iam es inter duo atroces Dracones constitutus Imperatorem uidelicet et Maiestatem Regiam, itaque uiderem ut istorum alterum potentiorem mihi placarem ne me deuoret: quia Imperator te uult habere pro suo. Respondi me esse seruitorem Imperatoris, et rogare Dominum Deum ut eum diutissime saluum, bene ualentem et fortunatum uelit. Dicit Bassa iam uides quod noster sis, quare itaque nobis non aperis potentiam Regis Almanorum, et an habeat magnos thesauros, uel gentes. Respondi me dicturum que sciuero. Dicit Bassa. Quare ergo non dicis. Respondi. De opibus Maiestatis Regiæ non posse me quidpiam certi dicere, quoniam aliqui principes soleant præseferre inopiam pecuniæ, et nonnunquam ostendere, se carere pecunia, ut eo prætextu a subditis suis æs colligant. Interdum autem ut hostem deterreant ostendunt se abundare ea. Quantum tamen intelligerem, ex his contributionibus, quas subditi Maiestati suæ a quatuor annis iam contulerunt, et quæ in quatuor locis collecte tenentur, affirmare possum Maiestatem suam magnam ac ingentem parasse pecuniam. Dicit Bassa. Quomodo parauit eam et unde, quoniam omnem Austriam eius depopulatam desolauimus. Respondi. Austriam ita esse nunc habitatam cultoribus plenam atque erat a centum annis. Nam Turcas domus quidem exusisse, et ea corrupisse quæ in agris erant, homines tamen et armenta ac peccora fuisse in loca ardua et montosa abducta, ne illis Turcæ nocere potuissent. Qui iterum redierunt

ad sua, et colunt agros ut prius, neque amplius curant, magno ut prius fecerant sumptu domus suas restaurare, timent enim ne iterum comburantur. Dicit Bassa quid Regi Austria dedisset. Respondi. Tot ducatos quot sunt Agricolę, deinde mercatores dedisse unum a cento. Dicit Bassa quantum ergo Rex habuit. Respondi ex Austria .460000. Dicit Bassa. Quid hoc est? Imperatorem ex Constantinopoli habere .600000. Vbi alia? Respondi me non comparare opes Maiestatis Regię cum opibus Imperatoris, sed me ea dicere quæ optabat scire. Dicit Bassa, pergerem et dicerem de alijs tribus locis. Respondi habuisse suam Maiestatem ex Regno Bohemiæ et prouincijs illi subiectis 700000. Ex Tyroli .540000. Ex prouincijs ad Rhenum .330000. Dicit Bassa, ergo habuit duos miliones et sexcentum millia? Quid hoc est? Imperator inquit habet ex Alcairo tantum. Respondi me scire. Maiestatem Regiam etiam habere alios suos ordinarios prouentus, Ex salifodinis, Teloneis, ex diuersis minerarum culturis, quæ omnia facerent magnam summam, eam tamen hoc loco me non computare, quoniam sua Maiestas expendat uicissim illam. Sed me loqui de opibus paratis, quas a quatuor annis subditi ultro Maiestati suæ dederunt. Hic Bassa computauit et Turcice loquutus est cum IonusBeeg et quantum intelligere potui, dicebat bonam esse summam. Hic deinde interrogabat de copijs quas et quot habere Maiestas sua posset, Sed quid ei responsi dederim, longum esset scribere: sufficit quod potentiam satis bene fuerim tutatus, et causas dixerim quare non fuerit pugnatum cum Turcis in Austria etc. Et hic deinde pulchrioribus quibus potui uerbis contendebam persuadere, ut ipse pergeret sibi parare nomen perpetuum et immortalem gloriam, in componenda ac firmanda pace inter suum et meum dominum. Quæ cum dicerem, ridebat et dixit. Quomodo hoc esset possibile fieri, quum Maiestas sua armis agat rem, et iam aliqua Imperatoris castra accepisset, uelle itaque se esse in loco meo, ut dicere possim quo pacto de his Imperatori loqui possem. Respondi me nihil scire de castris ademptis per Maiestatem Regiam, possibile tamen esse aliqua castra iuxta concordiæ contenta cum Ioanne Rege facta, fuisse Maiestati suæ dedita, sponte et ultro sine aliqua expugnatione [ubi si maiestas uestra circa tributum claues ademptorum castrorum huic imperatori mitteret diceretque intellexisse se quod imperator irasceretur ob motum puero bellum et adempta castra et propterea mittere se claues quoniam magis maiestas uestra faceret beneuolenciam imperatoris quam omnia hungarica castra quo honore et demissione maiestatis uestræ deberet imperator esse contentus et dicta castra maiestati uestræ donare] interim autem fie-

rent inducie decem uel uiginti annorum cum puero. Respondit Bassa frustra esse omnia quoniam ultra castra defecerint multi Barones a Regina et puero ad Maiestatem suam, quos Imperator uiuos et mortuos habere uellet. et hic multa est loquutus contra dominum petrum pereni. Deinde finito sermone iussit me redire in karueseriam. et promisit se integra fide laboraturum ne mihi quidpiam mali accidat.

XXVIII.
XXIX.
XXX. In diuersorio mansi.
XXXI.
IVNIVS.
Dies prima.
II.

Secundo eius Mensis profectus est Achmacht Bassa Romaniæ BegleerBeg in Hungariam.

III. IV. V. VI.
VII.

Rusthan Bassa per Meum Czaus iussit ut me itineri apparārem iturus cum Imperatore. Significans se esse fideiussorem pro me apud Imperatorem, Sed ego ignoro propter quid.

VIII. [accepi literas a maiestate uestra quas attulit konopniczki et bairan habui eciam a coniuge et filio filia et domino loboczki literas]

IX.

Venit ad me Iudea, quæ est apud Imperatricem in summa gratia, cum qua egi de eliberatione mei, et mille ducatos in auro me ei daturum recepi, quod etiam feci.

Eodem misi KapakAga mille aureos in auro qui est Magister Curiæ.

X.

Venit ad me IonusBeeg summo mane, significans mihi quedam nomine Imperatoris etc. ad que ego responsum dedi etc.

XI.

Fui apud Bassam cui gratias egi quod effecisset, ut una cum Imperatore hinc egrederer, Qui mihi dixit se non sine summo labore ac studio id obtinuisse, et fidemiussisse pro me: hortabaturque ne fidem suam fallerem aut deturparem, quoniam illam uita cariorem haberet. Respondi rogauique di-

ceret mihi causam, propter quam fideiussisset. Dixit. ob eam, quod essem Imperatori fideliter seruiturus, quia me posset facere maiorem Dominum quam sit Serenissimus Rex Romanorum. Respondi, me semper fuisse, et in posterum futurum Maiestatis suæ seruitorem, uenisseque me huc non tantum negotiorum Maiestatis Regiæ causa, quantum ut res meas apud istum Imperatorem firmarem, cuius singularis ac penè diuina bonitas sit mihi egregie cognita. Dicit Bassa. Habere me opus, si uellem mihi fidem apud Imperatorem parare, ut ederem aliquod exemplum seruitutis meæ, quoniam Imperator dubitaret, uitiatum me esse consuetudine Germanorum. Respondi. nunc me nihil publice posse facere, quoniam uxorem ac liberos in Ditione ac dominio Regiæ Maiestatis haberem, si autem uellem aliquid secrete facere, non potero absens. Sed efficeret Bassa, ut Imperator consentiret, quod ego a Zrenio castra habere possem, datis illi castris his, quæ sub Maiestate Regia haberem, habere me enim paratum contractum cum Zrenio, sed noluisse concludere sine scitu ac uoluntate Imperatoris. Nam habitis illis castris Zrenij, eo me cum Vxore et liberis transferrem, et tunc Imperatori seruirem bene et utiliter, quia Croatiam et Sclauoniam mox redderem tributariam. Dicit Bassa, credere me loqui cum puero, ut non intelligat nihil hic aliud subesse, nisi ut me hinc subducerem, et postea Imperatorem et Consiliarios eius irriderem. Respondi non esse me ita uanum, et stupidum, ut non uideam quantum, et quam turpe ac periculosum peccatum esset, eludere hunc potentissimum Imperatorem: uelle itaque me intelligere, quomodo res esset credibilis ac possibilis, me suæ Maiestati seruire posse, si mihi fides non daretur, et si Bassa suspicaretur, quod hinc effugere uellem. Non ne si quispiam rem aliquam amiserit, et eam inuenire uelit, opus habeat ibi quęrere ubi amiserit? Me autem in seruitijs Regis Ioannis amisisse patrimonium meum, non ita Ioannis Regis causa, quam quod placere uolebam Imperatori, in subueniendo ac subministrando Ioanni Regi exuli, quem Imperator in suam tutellam acceperat, Itaque quum patrimonium in Hungaria amiserim, æquum ac necessarium est ut ibi et non alibi illud recuperem: Quare quum Hungaria sit Imperatoris decreui per benignitatem ac clementiam suam recuperare amissa, scio enim eum solum posse mihi abunde reddere omnia. Quod si apud Regiam Maiestatem quærere uellem, statim mihi Germani obstarent, obesset hoc etiam, quod sua Maiestas diceret, Tu fuisti meus hostis, Turchas enim contra me duxisti. Quare itaque tibi aliquid pro amisso tuo patrimonio daturus essem? Seruias bene, quod si feceris tunc pro tuis seruitijs te conten-

tabo. At apud hunc Imperatorem non sunt Germani, aut alij emuli aut inuidi, nunquam præterea in minimo quod illius Celsitudinem offenderet deliqui, neque talia impedimenta me habere intelligo, qualia apud Maiestatem Regiam haberem, et propterea me uelle apud Clementiam suam amissa quærere, et illius Amplitudini seruire, Sed si Bassa noluerit mihi fidere, frustra ego laborarem, quoniam sine confidentia non haberem modum neque animum seruiendi. Dicit Bassa. Tu uides quod Imperator posuit pedem in Stapham et iam iam præmisit primum et medium exercitum, solusque intra dies octo uadit, ut Regiæ Maiestati ostendat, quam grauiter ferat illatum sibi bellum, spretumque patrismum, sperareque se indubie filium pœnas luiturum, pro tali contemptu. Præterea frustra me uerba facere nunc, de castris Zrenij, Sed quum rediret Imperator, et ego facerem aliquod bonum seruitium, tunc non solum castra Zrenij, sed longe maiora habiturus essem ab Imperatore: Quare quum sciam illum fore principem potentissimum, et nihil egere aliud, quam gloriam, deberem nunc in ista sua profectione consulere tale quiddam, quod ad augendam suam gloriam faceret. Nam pro mea rerum Turchicarum et Christianarum experientia ac noticia, facile si uoluerim inuenire ac elicere aliquem modum possem, quo uel Transyluania uel Vienna capi posset, uel si ad pugnam uentum fuerit, quomodo esset pugnandum. Respondi si aliquid publice facere conarer, quo Maiestas Regia offenderetur, illico uxorem et liberos amitterem, quæ pignora essent mihi longe uita mea chariora, amitterem etiam et bona, licet hæc parui, imo nihili facerem propter gratiam huius Imperatoris, qui mihi plura dare posset. Sed Vxorem uel liberos mihi dare non poterit, qui mea causa per Regiam Maiestatem omni genere crutiatuum torquerentur. Dicit Bassa. me Imperatori multum prodesse posse sine incommodo Vxoris et liberorum meorum, quoniam in ista profectione Imperator habiturus esset me publice pro oratore, secrete uero pro Consiliario suo, remque hanc fore secretam, ita ut præter eos, qui ibi eramus in cubiculo, nemo alius sit ea intellecturus. Respondi me esse ineptissimum hominem, neque dignum ut tanti Imperatoris rebus consulam, quem Dominus deus, præter summam illius prudentiam et dexteritatem, tantis et tot prudentissimis Consiliarijs bellique ducibus stipauit: quicquid tamen intelligerem pro commodo et honore illius Celsitudinis, libentius id facto, quam uerbis exequerer. Dicit Bassa. Imperatorem molestissime ferre et angi, quod tantisper expeditionem suam neglexerit, qui quoniam uidet iam mediam æstatem esse transactam, et iter Viennam longinquum, Nihil in mundo gratius haberet, quam ut Vien-

nam aliquo Strathagemate capere posset. Nam eius esse animi Imperatorem, ut relicta Buda recta Viennam iret, et his hostibus qui ad Budam sunt obijceret quinquaginta millia equitum, qui hostes fatigarent, neque tamen cum illis confligerent. Quum itaque iam iam tarde sit, neque Imperator Danubio magna Tormenta cito adducere posset, dicerem modum, quo Vienna capi posset. Respondi Viennam nunc esse ualde fortificatam, et his omnibus quæ ad defensionem pertinent egregie munitam, nam esset obducta uallo altissimo et fossa sit eruta usque ad aquam, nec est quod Bombardis frangi possit, quoniam CaseMathe seu propugnacula forent plurima fossam tuentia, ita humilia et depressa ut ex campo ægre uideri possint, Si itaque capi debeatur nescire me alium modum nisi ut fosse expleantur, et deinde de subtus cuniculis res agatur. Dicit Bassa, fuissem ne Rhodi. Respondi me fuisse. Quæ inquit ciuitas est fortior, illa ne uel Vienna? Respondi. Rodum muro esse, sed Viennam Terra et Fianchis fortiorem. Dicit Bassa. Scirem ne locum aliquem Viennæ debilem. Respondi. ubique esse fortificatam, et in discessu meo fuisse circiter mille operarios, qui maiori adhuc diligentia et arte fortificabant. Dicit Bassa. Imperatorem gloriam duntaxat quęrere et non Viennam, quoniam illam esset tibi daturus et prouisurus ut illam tibi retinere posses. Respondi Viennam talem nunc esse ut si ibi cum decem millibus militum forem, neque Maiestatem Regiam neque Cæsarem Carolum timerem, modo uictualia non deforent. Dicit Bassa. Haberem ne ibi amicos, ut illos ad deditionem sollicitare possem. Respondi me nullum ibi amicum habere, imo potius hostes, propterea quod dicant me autore suburbia illius, uillasque et alia loca per Imperatorem esse exusta. Hic deinde me interrogauit de Strigonio, de Alba Regali, de Pesth et alijs locis, Postremo autem de Cibinio Transyluanico. Dicebatque Imperatorem mihi daturum totam Transyluaniam si darem modum Cibinij capiendi. Respondi me Cybinij nunquam fuisse, quoniam quum in seruitijs Ioannis Regis essem, illud Maiestas Regia habebat. Vidisse me tamen ab extra illam ciuitatem, quæ in plano est sita, et multis aquis septa, et meo iuditio maior Vienna. Dicit Bassa Petrum Wayuodam scire modum amouendi et diuertendi aquas, quibus ademptis affirmat paruo negotio illam ciuitatem capi posse. Respondi Petrum Wayuodam non esse talem militem, ut ipse iudicare posset fortificationes, futurumque arbitror, si Imperator sequatur consilium eius, experientia uerum id fore quod loquerer: nam auertere flumen, quod est ita magnum atque Marinus apud Andrinopolim, mihi uidetur impossibile. Rex enim Ioannes licet tota Transyluania potiebatur, excepto unico Cibinio, quod

partibus Regiæ Maiestatis quadriennium fauebat, et eas tutatum est: non audebat tamen illud oppugnare, licet ibi in Cibinio nullus externus miles fuisset, demptis incolis, sed erexerat tria fortalicia ad unum miliare a ciuitate in quibus tenebat duo millia equitum, qui ex ciuitate neminem permittebant exire, uel negotiatum, uel ad agros, Vineas et prata, et hoc pacto duobus annis eos fatigauit, et ad deditionem compulit: Quare me nolle quidpiam temere propterea Imperatori suadere, quia illius Celsitudo illud Regnum se mihi daturum pollicetur, timeo enim ne secus eueniat, quam Petrus Wayuoda dicat et consulat. In Transyluaniam enim esse difficilimum et asperrimum accessum seu iter, et ita arduum, ut nisi una uia duntaxat Bombardæ duci possint, iam autem esse tarde, et ibi maturius quam in alio loco hyemem uenire. Adhæc in Transiluania omnes fere Villas habere fortalicia, et munitiones, ita ut tota illa prouincia intelliget, una die hostium aduentum, mox res quas poterint deferent ad munitiones, alias uero igni corrumpent, ne hosti commeatus suppetat. Dicit Bassa bene se perpendere, quod existimem iam me omnino esse liberum, propterea quod cum Imperatore proficiscerer, et non cogitare, quid sibi uelit sua fideiussio. cauerem itaque ne irritarem Imperatorem iterum, quoniam non ita facile placari, ut nunc placatus est posset. Respondi, me penitus ignorare quid sim facturus, si enim dico aut suadeo quę scio, et intelligo, et talia non sunt grata Bassæ, mox me in suspitionem uenturum, quod nollem fauere partibus Imperatoris, si autem omnibus probarem quæ Bassa optaret, et re ac effectu aliter deinceps succederet, tunc totam culpam in me redundaturam, et me fidem unacum uita amissurum. Cui enim utilius esset, quam mihi si Transyluania per Imperatorem interciperetur, postquam illam ex clementia suę Celsitudinis essem habiturus. Nolle tamen me commodi mei causa dare Imperatori de his spem, que euentu dubia et incerta sint. Videretur itaque mihi, consulat Bassa Imperatori, ut me per postas ad Regem dimittat, ut ego pro ea Regni parte, quam Regia Maiestas nunc habet oratores ducerem [cum tributo], præterea ut claues ademptorum castrorum afferrem, cum his uerbis. Potentissime Imperator, intellexit Rex noster, te Regi nostro irasci, ob id quod bellum puero mouerit, et arces quasdam illi acceperit, quare Maiestas Regia mittit Celsitudini uestræ claues eorum castrorum, ut Maiestas uestra daret illa cuicunque uellet, quoniam sua Maiestas chariorem habet Vestræ Celsitudinis beneuolentiam et amiciciam quam omnia castra, et tunc Imperator tali honore decoratus et affectus, faceret, quod suæ Celsitudini probaretur, et melius uideretur, et pacem firmam cum Maiestate Regia stabiliret,

in ea itaque re me Maiestati Imperatoriæ seruire posse, nam tantos et tot barones scirem ego ad me pertrahere, qui omnes una mecum, aut Maiestatem Regiam cogerent ad faciendum illud, ut supra, aut omnes ab illa ad Imperatorem deficerent, me uero ubi essem apud Maiestatem Regiam habiturum modum, ut Vxorem, Liberosque ex ditione sua educere, et abdicare seu priuare me omnibus bonis, quæ sub Maiestate illius habere possem. Dicit Bassa qui isti essent Barones? respondi Turzo, Nadasdi, Bebeeg, Balassi, et etiam Petrus Perenni. Dicit Bassa rem esse hanc magnam, neque irrationabilem, loquuturum itaque se cum Imperatore, et ita demum responsurum: Viderem tamen ne hic fallacijs uterer.

XII. XIII. XIV.
XV.

Venit posta a Petro Vayuoda, qui scripsit Imperatori Budam esse hostibus deditam, et Serenissimam Reginam contulisse se ad Regem Poloniæ, scripsit etiam eundem Regem magnas copias Serenissimo Romanorum Regi in auxilium contra Turcas misisse, rogabatque dari sibi Tartaros, ut Poloniam inuadat, et copias missas auertat et reuocet.

XVI. XVII. XVIII. XIX.
XX.

Exiuit Imperator Constantinopoli; noctu eiusdem diei pluit fortissime, Vnde aquis in vnum coactis torrens amplissimus effectus, tentoria quæ in ualle infima erant posita late impleuit, et multa ad mare proximum traxit. Triginta et quinque personas obruerit ac submerserit, ipso Imperatore uix eodem periculo liberato: Adhæc perisomata ac cæteros apparatus præterea nonnullam pecuniam Thesauri secum longo interuallo uolutam ac tractam abduxerit: Inuenta tamen omnia. etc.

In Itinere. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV.
XXVI. XXVII. XXVIII.
Die XXIX. Andrinopolim ueni. XXX. XXXI.
IVLIVS.
Prima Iulij Dies.
II. Die III. exiui ex Andrinopoli.
IIII.
V.
VI. VII. VIII. Veni Philippopolim.
IX. X. XI. XII. XIII. XIIII.

XV.

In Zophia incidi in morbum grauem, profluuium uidelicet sanguinis uehemens, et id per guttur ipsum.

XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI.

XXII. Veni Nissam æger multum ex morbo ibique ob uim et uehementiam morbi significans imperatori de infirmitate mansi.

XXIII. XXIIII. XXV.

XXVI.

BEILAGEN.

I.

Schreiben König Ferdinand's I. an Hieronymus Laski.

Walderfingen (Wallerfangen, Vaudrevange), 22. Mai 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Hieronymo à Lasco.

Ferdinandus etc.

Magnifice fidelis dilecte, Haud ignoras sic te à nobis perpaucis ante mensibus Gandaui dimissum fuisse, vt cum nobis videretur, ipsumque tempus postularet, te subito ad nos reciperes, idque ob causam tibi satis notam, in qua tua nobis opera vtendum esset, Quocirca tibi impresentiarum firmiter ac serio committimus et volumus, vt simul atque negotia tibi à Serenissima Domina Conthorale nostra Charissima nomine nostro commissa in Bossina perfeceris, magnis itineribus ad nos Hagenoam, vel vbi vbi in propinquo eius loci fuerimus contendas, teque quo minus id facias nullo pacto nulloue impedimento quantumuis magno remorari sinas, Nostram in eo expressam omnimodamque executurus voluntatem, Datum in oppido Walderfingen 22 Maij 1540.

II.

Schreiben Desselben an Denselben.

Hagenau, 11. Juni 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Hieronymo à Lasco.

Ferdinandus etc.

Magnifice fidelis dilecte, Accepimus binas literas tuas 13 et 20 Maij proxime preteriti ad nos datas, simul cum ijs quas à Sanciacho Bosnensi ad nos scriptas nobis transmisisti, quibus paucis ante diebus respondimus, Ceterum de negotio, quod apud Regem Gallorum in tui fauorem per nos agi tantopere petijsti, non modo cum illius Oratore qui nunc apud nos agit Lazaro Bayfio eam rem diligenter tractauimus, qui quidem id impetratu facile fore nobis spem dedit, verum etiam proprium cursorem propterea ad dictum Regem vnà cum nostris et prefati Oratoris literis emandauimus, non dubitantes, quin intra paucos dies eiusmodi literas quas petis habituri simus, quas subito tibi reddendas curabimus,

De Iacobo Lubniczay capiendo, per literas nostras Magnifico Caspari Seredy commisimus vt si est subditus noster, sique constet ipsum esse structorem falsificationis literarum illarum, aut si certissima inditia habeantur illum in necem tuam conspirasse, eum capi et custodiri faciat,

Ceterum patentes literas sub data Mensis Septembris iam transacti anni per Electum Iauriensem expeditas cum his accipies,

De Castro Sossed pro certo habemus negotium esse explicatum, nullamque extare difficultatem,

Reliquum est vt quia antea te ad nos per literas nostras accersiuimus tuque met in literis tuis ostendas te omni acceleratione procurare vt quam potes citius ad nos recurras, te rursus admonitione mandatisque nostris impellamus et vrgeamus vehementius vt non obstantibus quibuscunque rebus siue impedimentis, quę te quoquo modo remorari possent, quam velocissimo cursu ad nos aduoles, inque eo te nihil prorsus retardare sinas, Nostram in eo expressissimam maximeque seriosam executurus voluntatem, Datum Haganoæ xj Iunij 1540.

III.

Instruction König Ferdinand's I. für Hieronymus Laski bei Dessen zweiter Sendung an Sultan Suleiman I.

Hagenau, 8. Juli 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: **Instructio Turcicarum rerum.** *Die hier im Drucke unter den Text gesetzten Anmerkungen sind im Concepte an den Rand geschrieben und sämmtlich von der Hand Laski's. Das letzte Blatt hat sehr durch Nässe gelitten, so dass einige Stücke ausgefallen sind, deren Stellen, wo sie nicht mit Sicherheit ergänzt werden konnten, im Drucke durch Puncte angedeutet wurden.*

Ferdinandus etc.

Instructio earum rerum, quas res Spectabilis et Magnificus Hieronymus à Lasko Palatinus Syradiensis Regnorum nostrorum Dalmatię Croatię Sclauonię Banus ac Consiliarius et Orator noster fidelis nobis dilectus apud Serenissimum et Potentissimum Principem Dominum Soleymannum Imperatorem Turcarum ac Asiæ et Græciæ nec non apud certos illius Bassas Consiliariosque nostro nomine agere tractareque debet.

A. Inprimis cum proficiscendi ad Turcam ea via eligenda sit, quæ ad ferenda munera aptior et commodior esse videatur, ideo Orator noster iter ingressurus ea loca petat oportet per quæ res pro muneribus destinatę et commodius et tutius Constantinopolim aut eum in locum, vbi tum temporis Turcarum Cæsar moram traxerit, traduci queant, ad quem se dictus Orator noster quam potest fieri ocyssime conferat,

Quamprimum autem eo appulerit, Audientiam sibi apud Turcarum Imperatorem dari curet, eaque impetrata, et ad Magnitudinem illius perductus ei post literas nostras

---

A. *Anmerkung Laski's:* Melior esse uia non potest, neque magis secura, quam per Sauum et Sanzachum Bossnensem et Belgradensem, tamen cum Sanzacho Bossnensi promissum tenere non possum, nequaquam mihi iam eo est eundum, quoniam timeo contentionem et toxicum et ne res omnes inficiat apud Bassas, quoniam alioqui satis est illi ista pax aduersa. Monstret itaque Maiestas Regia mihi viam et ego paratus sum illa via ire qua sua Maiestas iubebit.

credentitias quo decet honore exhibitas, salutem verbis vt poterit aptioribus et conuenientibus nomine nostro dicat, deque felici et prosperrimo rerum suarum successu, valetudinisque firmitate nos pro nostra in se propensa voluntate, studio et obseruantia plurimum gaudere ostendat,

Deinde vero causas et impedimenta enumeret, quare à nobis Orator ipse citius expediri non potuerit, id enim nulla negligentia nostra intermissum fuisse, vtpote qui optassemus eum ante plures menses remittere, sed accidisse partim propter negotia quę ipse Orator cum Magnitudinis suę Sanciacho Bosnensi circa obseruandas inducias per Magnitudinem suam promulgatas agenda habuerat, in quibus explicandis constituendisque multum temporis consumpsisset, partim quia rerum suarum domesticarum perturbatę rationes eum domum in Hungariam ire coegissent, ne grauius in his detrimentum ex diuturniori absentia sua caperet, Et sicuti ista supradicta ad veram excusationem tarditatis illius pertinent, ita dictus Orator ea pro ingenij sui sagacitate et prudentia amplificare sciet et poterit, et si opus esse videbitur, alias rationes superaddere studebit, quibus Magnitudinis suę animus demulceri queat, ad æquius ferendum id quod ipsum Oratorem serius fortasse quam Magnitudo sua expectauerat, ad se emandauerimus, Nam licet per literas nostras, quas Tranquillus Andronicus Secretarius noster ad se attulit, polliciti fuissemus dictum Oratorem nostrum quantocyus expedire, suam tamen Magnitudinem ex supra allegatis causis facile posse cognoscere nos non in culpa esse, sed si nimis tarde hunc Oratorem nostrum remisisse videamur, debere id Magnitudinem suam impedimentis supradictis adscribere, Et preterea etiam in causa fuisse nostram profectionem ad Cæsaream Maiestatem quam nulla alia re magis conuentam voluerimus, quam vt coram secum agere possemus iuxta singulare desiderium nostrum, quod semper habuimus, vt aliqua bona amicitia et concordia inter Cesaream Maiestatem et ipsum Turcam stabiliretur, ad cuius rei effectum consequendum Magnitudo sua nos operam et studium nostrum et antea semper obtulisse haud immemor esse possit,

Et quia facile credendum est, quod hoc in loco Turca Oratoris nostri sermone interrupto statim percontaturus sit, dicens fortasse quid ergo effecit Rex tuus cum fratre suo Cęsare et quomodo concluserunt negotia sua inter se, tunc Orator noster respondere poterit, Nos non parum apud Cęsaream Maiestatem effecisse, se tamen in mandatis à nobis accepisse, vt prius causam nostram Magnitudini sue exponat et si placeat postea intelligere de nostra bona opera, quam apud Cesaream Maiestatem super vniuersali pace aut saltem inducijs omnium Christianorum Principum cum Magnitudine sua ineundis prestiterimus, se Oratorem demonstraturum esse quicquid effecerimus, nunc rogare tantum vt ipsum in his, quę nos concernant, quęque ad desyderium voluntatemque nostram, quam propensissimam sane habeamus non solum susceptas inducias prorogandi verum etiam perpetuam firmissimamque pacem et amicitiam secum porro concludendi, pertineant, benignis auribus audire dignetur,

Et hic quidem sępedictus Orator noster reddita attenta et beneuola sibi Magnitudine sua istiusmodi prohemio, paucis incipiat repetere prioris Legationis summam atque seriem, et quod Magnitudo sua ex ipsius Oratoris nostri sermone satis superque in-

telligere potuerit primum causas illas vnde contra voluntatem et preter omnem expecta-
B. tionem nostram ac non sine ingenti dolore nostro pax illa inter nos aliquot superioribus annis confecta stabilitaque vitiata et dirempta esset, cuius culpam non quidem Magnitudini sue, sed assiduis depredationibus depopulationibusque, quas Sanzachorum suorum milites aduersum subditos nostros exercuerint, imputare possemus,

Deinde etiam quod non obstantibus tot tantisque iniurijs offensionibus atque damnis, quæ confectę superioris pacis tempore sine intermissione aliqua nos et subditi nostri à Magnitudinis sue Militibus hominibusque passi simus, maxime tum cum nobis Arx nostra non sine magna strage Copiarum nostrarum adempta, et tam multa postea loca, castra, fortalitia in Regno nostro Sclauonię capta et expugnata fuerint, exercitusque noster prope Essegk profligatus partimque concisus, adhuc inclinatissimi essemus cum Magnitudine sua pristinam amicitiam renouare, atque adeo firmiorem stabilioremque quam vnquam antea pacem fędusque percutere, tali modo eoque pacto et securitate, vt ne vnquam deinceps frangi violarique possit, adeo quod contenti essemus pro firmiori robore certitudineque eiuscemodi pacis tàm pro nobis, Liberis, Successoribus et Hæredibus nostris, quàm pro omnibus etiam Regnis, Dominijs et Prouintijs nostris conficiendę, quascunque arctissimas obligationes cautiones securitatesque dare, et nos iuxta arbitrium et voluntatem Magnitudinis suę plane obstringere,

Postea percepisse etiam à prefato Oratore nostro quam legitimo multiplicique iure muniti essemus super Regno nostro Hungarię, et quę causa nos impulerit ad suscipiendum ab initio Bellum contra intrusum Regem Ioannem, tanquam inobedientem et rebellem subditum nostrum qui nobis per violentas actiones et practicas suas prefati Regni coronam preoccupare studuerit, Quod facinus si Magnitudo sua recte et pro rei atrocitate perpendere et cum iustissimo hęreditarioque iure, quod nobis Liberisque nostris ad Regnum predictum pluribus sane titulis competere liquido constat, comparare velit, nobis nullum dubium fore quin Magnitudo sua aperte cognitura et iudicatura sit, tum licuisse et conuenisse nobis, vti pro defensione iuris nostri aduersum contumacem et rebellantem subditum arma caperemus, tum illius Ioannis factum in eo quod sese nullius iuris æquitate, sed omni potius astu, pessimisque artibus in dicti Regni nostri possessionem intruserit, merito improbari et puniri debuisse in aliorum nimirum exemplum, ne quis subditus sese contra Dominum suum tàm iniquiter et malitiose erigere audeat, quamuis tunc etiam non aspernati fuerimus omnes querere rationes et modos per quos cum Magnitudine sua amice conueniremus et concordaremus dictumque regnum non in contemptum suum, sed cum omni potius beniuolentia coniunctione et vicinitate illius retineremus,

Postremo audiuisse etiam Magnitudinem suam ab eodem Oratore nostro, quibus rationibus moti fuerimus, pacem tandem et concordiam cum ipso Ioanne suscipere, pro

---

B. *Anmerkung Laski's:* Hic Imperator Turcharum negat fuisse ueram cum Maiestate Regia pacem factam, sed quedam duntaxat pacis initia, quam Gritti finire debuit sed non finiuit. *Darunter steht von der Hand Carl's die Gegenbemerkung:* Liquet contrarium ex ipsius Turcae literis.

qua nobis Magnitudinis sue consensu confirmationeque opus esse facile cogitassemus, Idcirco à Magnitudine sua dicti Oratoris nostri medio expetiuisse, vti pacem illam cum Ioanne firmatam gratam ratamque habere et in eam consentire dignaretur,

Cum itaque Magnitudini suę non visum sit tunc cum sępedictum Oratorem nostrum ad se pro pace misimus, concordie negotium nobiscum transigere, prout petieramus, resque eo deducta fuerit quod Magnitudo sua nobis et vniuersis Confederatis sex Mensium inducias concesserit, facta tamen nobis ea promissione quod interim donec eundem Oratorem nostrum ad se remitteremus, cuius reditum expectatura esset, nihil neque publice neque priuatim contra nos Prouintiasque nostras per suos attentari permitteret, potuisse Magnitudinem suam per Secretarium nostrum Tranquillum, quem iamdudum expediuimus, clare percipere quam alacri et prompto animo illas ipsas inducias susceperimus propterea quod nobis polliceri viderentur consecuturos nos inde stabilem perpetuamque pacem et amicitiam apud Magnitudinem suam,

Et nunc, cum citius propter impedimenta supra nimirum ostensa fieri non potuerit, ipsum Lascum ad Magnitudinem suam expediuisse, facta sibi plena potestate facultateque non modo agendi de presentibus inducijs vlterius prorogandis, verum etiam tractandi et concludendi de noua indissolubilique pace et amicitia inter Magnitudinem suam et nos, maiori qua est possibile, firmitate stabilienda,

Proinde hoc loco dictum Oratorem nostrum ad priorem Instructionem nostram remittendum putauimus, vt inde scilicet prescriptam formam et Articulos siue Capita sumat, iuxta quę gradatim ad obtinendam honestam et salutarem pacem, pro nobis, liberis, hęredibus, ac vniuersis denique Regnis, Dominijs et Prouintijs nostris, quas nunc habemus et imposterum habituri simus, procedat,

In qua quidem Instructione tametsi eam petitionem complexi sumus, nempe vti Turcarum imperator nobiscum nouum et inuiolatum amicitię fędus tum pro parte nostra in Regno Hungarie ac ceteris Dominijs et Prouintijs nostris, tum etiam pro ea portione, quę nobis Hæredibusque nostris post Ioannis obitum de toto Regno iuxta initos tractatus cessura est suscipiendo eam pacem quam cum ipso Ioanne fecissemus ratificare et confirmare vellet, presertim cum inclinati essemus non modo inconcusse obseruare dictam pacem, verum etiam prestare omnia et singula, in quibus nos in ea pace obligassemus, ita tamen quod in casu, quo Ioannes nobiscum pacem non obseruaret, sed eam tàm erga nos quàm Magnitudinem suam frangeret, seque illi conformem gerere, pactisque simul et promissis et prestandis stare nollet minimeque attenderet, nobis extunc sue Magnitudinis permissu, salua et illesa pace illum castigare, et vel ad tenendam pacem vi cogere vel extra regnum profugare exterminareque liceret, Tamen cum ex relatione prefati Oratoris nostri intellexerimus, Bassas ipsos Turcarum Cesaris nomine primum quidem petijsse Cessionem Regni Hungarie, deinde ad Tributi postulationem venisse, sed Oratorem nostrum tantum ingenio industriaque persuasionibusque suis effecisse, quod Turca tandem relicta priori petitione vel de Cessione vel de Tributo, ad hoc descenderit, vti nos singulis annis munera aliqua ipsi Turco mittere deberemus, et cum Orator noster consentire nollet, dicendo nimirum istiusmodi munera Tributi spe-

tiem habere quum ex contractu et ad statutum tempus mitti deberent, postea Ludffy et Rusthan Basse consuluerint et suaserint, ex quo Orator noster non vellet neque posset consentire ad talia munera, vti inducias peteret, obtentisque illis iterum ad Turcam rediret, et munera afferret, videlicet Falcones, Canes, Horologia, Pannos sericeos atque aureos, promittentes si ita faciat, Turcam relicturum hęc de Hungaria, quæ nos possideamus, facturumque pacem sine tributo aut exactione munerum, postea etiam facile consequuturum, vt Turca consentiat successioni in regnum, et vt iubeat Ioanni firmiter pacta seruare, Huc itaque Orator noster contentionis suę scopum figat, omnesque adeo neruos ingenijque sui vires intendat, vt munerum nostrorum oblatione pacem apud Turcam non solum pro nostra parte quam nunc in Hungaria tenemus sed et pro parte per Ioannem possessa et occupata vt prefertur extorqueat,

Si vero Turca his non contentus adhuc in flagitatione certorum munerum sibi singulis annis à nobis mittendorum persisteret, tunc nos id facturos esse ostendat in signum gratitudinis erga ipsum, sed vt eorum munerum genera non specificentur, neque de illis vel certus numerus vel tempus mittendi prescribatur, sed in vniuersum nostro relinquatur arbitrio, quippe qui velimus nos erga Magnitudinem suam ita semper gerere, vt sentire possit nobis eius amicitiam esse gratissimam exoptatissimamque, attamen vt per hoc supradicta assequamur, id est vt Turcha nobis pacifice ea que in Hungaria ho-
C. die possidemus relinquat, successionique regni expresse consentiat, iubeatque demum Ioannem pacta firmiter seruare, quod si non fecerit, vt liceat nobis salua pace illum ad hoc vi cogere vel ex regno expellere,

Si autem Magnitudo sua per Oratorem nostrum quantumuis accurate solicitantem laborantemque induci persuaderique non posset vti absque specificatione munerum ac sine prefinitione aliqua certi temporis, quo ea mittere teneamur, nobis pacem premissis modis conditionibusque concedat, tunc poterit Orator noster consentire nomine nostro, vt nominentur munera mittendique tempus prescribatur (nam pro pacificatione regni nostri Hungarie non videtur nobis valde abhorrendum esse etiam si nos ad eiusmodi prestanda obligemus), Sed inprimis curet Orator noster, vt munera que quottannis mit-
D. tere debeamus non alia sint quam Falchones, Accipitres, Canes venatici, telæ sericeæ et aureæ et id genus similia, nullo autem modo ad hominum personas seu obsides dandos consentiatur, sicuti Turcam ipsum haud postulaturum esse speramus,

Et si tentatis omnibus idem Orator noster ne hec quidem apud Turcam assequi posset sub modis conditionibusque iamdictis saltem quantum potest impetrare laboret per munerum promissionem qualia supra nominata sunt, vt maiori ex parte iamdictas conditiones circa pacem obtineamus, Quod si Turca successionem pro parte Regni Hungarię quam Ioannes nunc occupat, eo vel mortuo vel vt prefertur ex Regno profligato in casu scilicet non obseruatę pacis, concedere nollet, neque vellet permittere

---

C. *Anmerkung Laski's:* Ergo si Turca successionem in partem Ioannis Regis Regni concedere nollet, neque uellet Ioannem armis impeti, non debebit orator munera polliceri.

D. *Anmerkung Laski's:* Ergo si uoluerint telas sericeas et aureas non debet orator polliceri. *Diese beiden Anmerkungen veranlassten Zusätze im Texte.*

Ioannem armis impeti, nihilominus idem Orator noster munera pro parte nostra in Regno Hungarię polliceri potest, sed pauciora tamen, et quibus non nimium grauemur, Si vero et hic difficultas ab ipso Turca fiat respuendo omnem munerum oblationem tunc illi potestatem facimus rursus vt iuxta priorem instructionem nostram de offerenda certa pecuniarum summa procedat, nempe circiter centum Millia florenorum non quidem pensionis nomine sed pro vna tantum vice et pluribus terminis persoluenda promittens, Quod si etiam hic difficilem et inexorabilem se ostenderet Turcha tunc Orator noster ad pecuniarum pensionem de decem, quindecim, viginti, vigintiquinque Millibus Ducatorum gradatim ascendendo vsque ad summam triginta Millium, de bonis que nunc in Hungaria habemus annuatim sub conditionibus antenominatis persoluendam, deuenire poterit, et cum hoc potissimum pacto, quod defuncto Ioanne, vel eo ob non seruatas pacis conditiones, vt premittitur, de Regno depulso, de illius bonis ad manus nostras cedendis tantundem soluere velimus,

Ad eum igitur finem antenominatus Orator noster totis viribus, quantoque maximo potest studio, industria, dexteritate, prudentiaque sua hoc ipsum negotium perducere laboret, etiam atque etiam ostendens et inculcans ipsi Turco atque suis Bassis, quantam vtilitatem, quantamque gloriam Magnitudo sua ex amicitia nostra pura et syncera perceptura sit, quippe qui nihil magis in optatis habeamus, quam vt illi veluti Patri perpetua amicitia, indissolubilique pace coniungamur, tali nimirum firmitate securitateque conglutinanda illa, vt posthac nulla eius violatio timeri possit, Et quo maiorem de nobis habeat fidutiam dictaque pax per vtramque partem firmius obseruetur et in nulla re posthac frangatur, nos vltro cupere hanc ipsam pacem quibuscunque arctissimis obligationibus, assecurationibus, cautionibus inuicem dandis corroborari, prout Magnitudini sue melius et consultius esse videbitur,

Aduertendum tamen est, quod circa annuam pensionem à nobis prestandam inprimis et expresse caueatur, ne liceat Turco tali pace inter nos facta vllam partem Ditionis Ioannis aggredi vel infestare, sed quod pax inter nos et Ioannem firmata suę quoque Magnitudinis consensu stabiliatur et rata habeatur,

Item quod si Ioannes pacem nobiscum non seruaret, extunc teneatur ipse Turca æque atque nos illum Ioannem ad tenendam pacem viribus suis cogere compellereque, et quod nobis salua pace cum Magnitudine sua ineunda prefatum Ioannem de Regno, ita vt illius pars nobis quoque cedat, deturbare liceat, in casu nempe, quo dictam pacem seruare penitus nollet,

Porrò si Turca à morte Ioannis nollet Budam et alia nobis concedere, neque ferre vt illum ob non seruatam pacem armis impetamus, nihilominus prefatus Orator noster ad aliquam pecuniarum summam, sed eo minorem assentire potest,

Cæterum postquam sæpedictus Orator noster retulit nobis sese supranominatos duos Bassas Ludffy et Rusthan ad partes nostras pertraxisse, eorumque alter nempe Ludffy ad nos literas dederit in quibus omnem operam studiumque suum ad promouendum adiuuandumque conficiendę pacis negotium pollicitus est, curabit prememoratus Orator noster illis post exhibitas literas nostras credentitias exquisitissimis verbis de-

clarare, nos in ipsorum gratia authoritateque qua apud Cęsarem Turcarum polleant magnam spem fidutiamque posuisse et quod eos propter illorum erga nos propensam voluntatem singularemque affectum incredibili fauore clementiaque complecti atque prosequi ceperimus, Ideo hortari et rogare nos vtrumque, vti iuxta oblationem suam prefatum negotium pacis ita bene commendatum adiutum promotumque habere velint, vti voti nostri compotes reddi possimus, nos enim ipsorum opinionem consiliumque secutos eundem Oratorem nostrum ad prosequendum concludendumque pacis negotium iam emandasse, Sub hęc vnicuique eorum destinata à nobis munera idem Orator noster
E. presentari faciat, necnon Ludffy Bassæ dicat et confirmet, quicquid nomine nostro ei promiserit circa annuam pensionem sex Millium Ducatorum id nos ratum et gratum habere, et quod statim post confectam pacem vno vel alio modo premisso, illi quocunque voluerit prefatam summam pecuniarum deponi et transmitti curabimus et quod talem pensionem deinceps singulis annis eidem persolui faciemus, et si securitatem desuper à nobis habere cupiat petatque, eandem etiam dare contenti simus, Simili modo prefatus Orator noster cum Rusthan Bassa agat oportet, cui se nihil specifice promisisse, sed tamen duo millia Ducatorum dedisse et in reditu maiorem liberalitatem nostram pollicitum esse dixit, Quare ad hoc se Orator noster, sicuti melius et vtilius esse videbit, accomodabit, vt dictus Bassa super promissa liberalitate nostra honeste contentetur,

Reliquorum autem duorum Bassarum ad quos etiam credentiales literas dedimus fauorem offitiumque Orator noster pariter et bonis verbis et largis promissis si opus fuerit nobis conciliare, omniaque cum illis agere studeat, quę rebus nostris circa consequendam pacem ex animi nostri sententia vsui adiumentoque esse posse animaduertet, et sic ambobus ordinata à nobis munera presentabit cum testificatione nostre erga eos beneuolentię quippe qui ad declarandam illis gratiam liberalitatemque nostram simus valde inclinati,

Preterea cum Ionus Beg multum etiam negotium illud opera commendationeque sua apud Turcarum Cesarem adiuuare possit, operę pretium duximus et ad illum credentitias dare literas, cum quo idem Orator noster ea tractare studeat, quę videbuntur rebus nostris ad bonum effectum speratumque finem omnium maxime apta conducibiliaque fore, sicuti illum Oratorem nostrum pro prudentia sua rebusque tractandis sedulitate plura etiam quam hic prescribi possit, apud singulos supradictos peraccurate sciteque acturum esse non dubitamus, Ceterum de pensione duorum Millium Ducatorum quos illi Orator noster nomine nostro promisit dari poterit ab oratore nostro consimile responsum huic quod Ludffy Bassę reddi iussimus, ita nempe quod certus esse debeat de tali summa sibi post conclusam pacem, quocunque voluerit, deponenda,

Quod si sępedictus Orator noster videret alias etiam personas apud Turcam gratiosas adhibendas esse, vt tanto facilius atque melius res ipsa pro voto nostro obtineri ac

---

E. *Anmerkung Laski's:* Laskj pollicitus est Ludffy Basse 6000 florenos et Ionusbego 2000 secum portaturum et ita illis etiam per Tranquillum nunctiauit, hoc autem pollicitus uigore mandati et instructionis mihi date et nomine regio, quare bene sua Maiestas videat, ne negocium magnum propter rem paruam turbet et inficiat, quia hic non mea res agitur sed Regia.

perfici posset, in eo casu non obstamus quin liceat Oratori nostro cum eiusmodi viris agere, ac singulis pro qualitate vniuscuiusque competentem pecuniarum summam vel semel vnaque vice vel annuatim sub pensionis titulo enumerandam verbis nostris polliceri,

Atque hoc inprimis in eiusmodi actionibus consequi laboret Orator noster apud dictos Bassas et personas vti pacem non nisi intuitu Munerum, vel nostro arbitrio relinquendorum, vel si id obtineri non queat, specificandorum cum expressione, qualia et quo tempore mittere teneamur, à Turcarum Cesare extorqueant, et tunc non abs re fuerit, si Orator noster etiam largius nomine nostro promittat, videlicet de summa trium, 4^m^. 6. 8. vsque ad decem Millia Ducatorum, presertim si primam petitionem per hoc obtineri posse certum sit, gradatim ascendendo,

Vbi vero ad secundam petitionem negotium delaberetur, id est, vti summam aliquam pecuniarum nobis Turca imponeret persoluendam vna vice vel sub pluribus terminis, aut quod pensionem annuam, sicuti premittitur flagitaret, tunc Orator noster in promittendo pensiones prefatis personis restrictior esse debet, et eo minus polliceri,

Insuper Orator noster omnem curam apponat atque adeo summam quam potest operam det vt res illę de pace et concordia cum Turca pangenda, rite, ordineque et non minus clare perspicueque quam syncere transigantur, ita vt verba opera ipsa consequantur, et quicquid prolocutum conuentum et conclusum fuerit cum literis desuper expediendis per omnia concordet, et nullibi discrepet,

Porrò quod ad Literas Tractatus pacis et concordię cum Ioanne initę attinet, quas Turcam in spetie videre cupere idem Orator noster retulit, videtur nobis non faciendum esse, vti originales literas pronunc mittamus, Quare dictus Orator noster aptis et conuenientibus verbis apud Turcam excuset oportet quominus eiusmodi Tractatum secum attulerit, in causa esse locorum distantiam et itineris longitudinem, sed nos tamen contentos esse eiusmodi originales literas per fidos et secretos aliquot Consiliarios nostros ad Arcem Comaroniensem vel ad alium locum vicinum transmittere, illicque Magnitudinis suę hominibus quos ad hoc deputabit Articulos siue Capita de pace successioneque ad oculum demonstrari facere, vt coram cernere possint inter nos et Ioannem concordiam et pacta pro successione Regni Hungarię facta esse, quemadmodum per Oratorem nostrum Magnitudini suę nunciauerimus,

Circa negotium Comitum Zrinij Orator noster quantum potest elaborabit id apud Turcam intercedente opera auxilioque Bassarum obtinere vt paci pro qua instamus includantur tanquam subditi et fideles nostri cum omnibus eorum bonis colonis atque subditis, ostendendo, quod nunc satis penarum dederint, et multa damna atque incommoda perpessi fuerint, adeo vt videantur non nisi acerbissime castigati, Si vero Turca ad hoc induci non posset, tunc operam det Orator noster, vt saltem sub Tributi nomine in bonis et possessionibus suis quieti permanere possint, Quod si ne hoc quidem admittere vellet, saltem eo rem ad extremum perducere idem Orator noster curet, vt aliquis terminus siue spatium temporis detur, intra quod alio concedere, nobisque Arces et possessiones suas quas in finibus Sclauonię habent dimittere possint,

Et quia sub istarum induciarum tempore nostris hominibus ad confinia degentibus

innumera mala damnaque vel à Sanciachorum militibus, vel à Plagiarijs id est Martolosis illata esse constat, quorum occasione per literas nostras semel atque iterum apud Turcam eiusque Sanciachum in Bosna conquesti sumus, etiam atque etiam petentes, vt inducias illas à suis inconcusse obseruari facerent, iam vero dictus Sanciachus Bosnensis et alij vt accepimus excusare se non dubitent, quasi in potestate eorum non esset cohibere Martolosorum aut eiusmodi hominum eorum imperio non subiectorum vim incursionesue, Ideo Orator noster etiam in hoc instare debet, vti Turcarum Cęsar cum effectu prouideat, ne posthac in confinibus talia contra fideles subditos nostros perpetrentur, Deinde dicat nos ad precauenda talia certas copias Gentium nostrarum expediuisse in Sclauoniam, in qua re Magnitudo sua non velit aliquam sinistram suspitionem capere, quia solummodo ad defensionem Regni et tutanda confinia ab horum plagiariorum vexationibus, non autem ad aliquam vim siue offensionem faciendam à nobis missi essent,

Prętерea dictus Orator noster in profectione sua cum sit venturus ad Sanciachos, omnia agat, quæ ad conseruandas inducias facere videbit, illisque veras causas rationesque exponat, quare gentium nostrarum aliquem numerum nunc ad confinia mittendum existimauerimus,

Item Orator noster premissa omnia quam secretissime tractare simulque Regis Francie ac Ioannis practicas, si quas cum Turca habent, quibus potest modis inuestigare et per medias personas explorare totumque negotium pro qualitate rerum occurrentium ita dirigere debet, vt quibus fieri queat tolerabilioribus conditionibus perpetuam stabilemque pacem consequamur,

Si autem Turcam negotium istud pacis nobiscum faciendę aut differre aut ex conditionibus premissis nullam acceptare velle contingeret, vel alię forsan conditiones ab eo proponerentur super quibus animi nostri voluntas requirenda videretur, Tunc Orator noster apud Turcam id agat, vt determinate et resolutiue mentem suam exploret, quo pacto et quibus modis velit nobiscum transigere pacem et sic singula sicuti agentur ad nos confestim perscribat et tantisper maneat, donec per Tranquillum, quem ad nos de omnibus quę successerint optime instructum informatumque mittere habebit, necessariam et oportunam resolutionem de mente nostra remittamus, et quicquid expeditu opus aut alioquin mittendum fuerit id omne similiter eo perferri curabimus,

Postremo si sepedictus Orator noster alia forsan ad assequendum intentum nostrum quomodocunque conducere vtiliaque esse existimauerit seu viderit, ea pariter prudentię eiusque in rebus gerendis dexteritati vigilantię fideique in nos sue debito pro commodo et vtilitate nostra agenda tractandaque committimus,

Nunc ad ea que ex parte Cesareę Maiestatis, si modo de illa Turca percontabitur, dicenda sunt, venimus, Ea talia sunt, vt si Orator noster deprehendat Turcam habere animum inclinatum ad pacem siue inducias generales cum Summo Pontifice, Cesare et alijs Principibus et Potentatibus Christianis pronunc non habentibus inducias cum Turca, poterit dicere et significare ipsi Turco, quemadmodum ob singulare desyderium, quod semper habuimus, vti bona aliqua Amicitia siue Intelligentia inter dictam Cęsa-

ream Maiestatem et ipsum Turcam stabiliretur, superioribus Mensibus ad Maiestatem suam profecti fuerimus, eamque eo induxerimus quod bene contenta sit cum Magnitudine sua inire inducias tam suo quam predictorum Potentatuum nomine, Quod si Turca pro sua etiam parte ad illas annuere vellet, poterit dictus Orator noster nomine nostro polliceri, quod ex parte Maiestatis suę Cæsareę nullus erit defectus, quandoquidem eadem Maiestas sua retulerit nobis, se id iamdudum etiam Gallorum Regi significasse, Affirmando nobis se nunquam dedisse occasionem ipsi Turco ad mouendum bellum contra Christianitatem aut particulariter etiam contra suam Maiestatem sed potius semper optasse illi absque vllo bello . . . . . permanere, eoque illum Turcam . . . . . Excellente claro forti et animoso Principe ęstimasse et habuisse, et quod si istiusmodi inducię fierent, possent interdum se mutuo gratis et iucundis amicabilibusque nouis oblectare recreareque, Quo nihil nobis esset optatius,

Quod si Turca in eo persisteret quod Maiestas Cęsarea debeat expresse aliquem mittere ex suis pro tractandis inducijs, poterit Orator noster consentire et recipere quod Maiestas Cesarea id factura sit, mediante tamen bono et securo Saluoconductu, quem Orator noster secum adferre curet, detque operam, vt interim inducię ad aliquod tempus conueniens obseruentur,

Insuper idem Orator noster procurare debet, quod Rex Portugallię Maiestatis Cesareę ac noster Sororius in dictis Inducijs comprehendatur, permittendo ipsi Regi continuare et prosequi expeditiones suas Indianas, presertim cum in eo de iure fundatus sit, idque nec ipsi Turcę aliquo modo preiudicare possit,

In his igitur omnibus et singulis recte prudenterque proponendis agendis tractandis conficiendisque sępedictus Orator noster expressam omnimodamque nostram exequuturus est voluntatem, Datum Haganoæ 8va Iulij 1540.

IV.

Beglaubigungsschreiben König Ferdinand's I. für Laski an Sultan Suleiman I. Hagenau, 8. Juli 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Cæsari Turcarum.

Serenissimo etc. Ferdinandus etc. Expediuimus impresentiarum, quemadmodum polliciti sumus, Magnificum Hieronymum à Lasco, Palatinum Syradiensem, Consiliarium et Oratorem nostrum ad Magnitudinem Vestram, Cui multa de propenso animo nostro erga eandem Magnitudinem Vestram et syncera voluntate desyderioque secum firmam et stabilem concludendi pacem Magnitudini vestre verbis nostris exponenda commisimus, sicuti coram intelligere dignabitur, Quocirca Magnitudinem Vestram rogamus et hortamur vt dicto Hieronymo Consiliario nostro in his omnibus, quę ita nomine nostro referet, plenam et indubitatam fidem adhibere, seque superinde ita erga nos gerere ostendereque velit, prout in se constanter pleneque confidimus, Quæ quam diutissime fęlicissimeque valeat, Datum Haganoæ 8va Iulij 1540.

V.

Schreiben der Königinn Anna an Alexius Thurzó.

Wien, 10. Juli 1540.

Aus einer Reinschrift im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Turzony.

Anna Dei gratia Romanorum Hungarię Bohemię etc. Regina etc.

Spectabilis et Magnifice fidelis dilecte, Accepimus literas tuas, quibus a nobis certior fieri flagitas, num Inducię inter Turcam et Serenissimum Principem Dominum et Conthoralem nostrum dilectissimum sint prorogate nec ne, scripsissemus autem ad te dudum si quid certi ea de re habuissemus, Tranquillum quidem qui nunc a Turcis redijt requisiuimus, vt ab eo de illis indutijs aliquid certi intelligeremus, tamen is aliud nihil nisi indutias ad duos menses esse prorogatas ostendit, ita tamen vt cum hoc presenti mense desinerent, vnde existimandum est, priores inducias nisi quinque mensium fuisse, que res tamen sibi non constat, Expectamus itaque uberiorem atque certiorem informationem a prefato Serenissimo Domino et Conthorale nostro, que cum allata fuerit, te quoque eius participem faciemus, quo sic tandem negotia ad offitium tuum pertinentia certius modereris et componas.

Mittimus ad te exemplum literarum Iohannis Regis hisce inclusum, quibus hortacioni nostrę super soluenda obsidione Arcis Fogaras respondet, Curabis autem quid in eo negotio porro deliberandum statuendumque sit, nobis mentem sententiamque tuam quamprimum aperire, Nostram in eo beneplacitam exequuturus voluntatem, Datum in Ciuitate nostra Vienna decima Die Mensis Iulij Anno Millesimo Quingentesimo Quadragesimo.

Ad Mandatum Dominę
Regine proprium

VI.

Schreiben Derselben an Thomas Nádasdy.

Wien, 10. Juli 1540.

Aus dem Concepte im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Thomę Nadasdy.

Anna etc.

Magnifice fidelis dilecte, Literas tuas quas ex Zarwar .5. huius ad nos super querelis subditorum tuorum Welykensium petitioneque vt illis tum victualibus tum gentibus quibus contra Turcarum impressionem subsistere possent prouidere dignaremur benigne accepimus, neque pretermisimus easdem literas tuas confestim Serenissimo Principi Domino et Conthorali nostro dilectissimo transmittere, addita conuenienti et necessaria cohortatione quo subditorum tuorum incolumitatis et defensionis clementem rationem duceret, id quod Maiestatem et Dilectionem suam facturam esse, idque priusquam Inducię illę expirent, plene confidimus,

Cæterum ex quo iam maior numerus militum Generali Capitaneo Magnifico fideli nobis dilecto Ioanni Vngnad Baroni etc. adhibitus est, in bonam spem venire debes, te tuosque nullo tempore derelictui futuros, et ne quid in Capitaneo Generali desit, scripsimus ei mandauimusque vt ingruente necessitate tuos ab iniuria et Turcarum crudelitate cum gentibus his quas nunc habet defendat, qui indubie facturus est offitium suum neque patietur te aut quosquam alios sua defensione destitui, sin tamen maior vis et impetus ab hostibus fiat in promptu erunt et Prouincialium nostrorum oblata subsidia, que instas etiam copias explere poterunt,

Quod vero quid Tranquillus ex Turcia reuersus attulerit humiliter queris, scito illum Inducias priores ad duos menses pro ampliori tractatione prorogasse,

Porro quod nobis supplicas, vti Wolfgangum de Fogoroz quem propterea in vincula conijci iussimus quod non reddita ratione sine vlla ei data occasione ad Valentinum Terek discesserit, liberum emitti iubeamus, Scripsimus Magnifico fideli nobis dilecto Francisco de Bathyan etc. vt si sistendi se coram Camera Austrię nostrę inferioris infra spatium 2 mensium soluendique summam si quam debuerit, cautionem et assecurationem fideiussoriam prestiterit, ex tunc eum illico emittat, Quod tibi clementer significandum duximus, Datum Viennę die x Mensis Iulij Anno 1540.

VII.

Pass für Hieronymus Laski.

Hagenau, 14. Juli 1540.

Aus dem von Adam Carl corrigirten Concepte im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Passus.

Ferdinandus etc. Vniuersis et singulis Principibus Ecclesiasticis et Secularibus Archiepiscopis Episcopis Ducibus Marchionibus Comitibus Baronibus Antianis Prefectis Castellanis Capitaneis Vexilliferis Potestatibus Burgimagistris Consulibus et quorumuis locorum, vrbium, et oppidorum Communitatibus, Gubernatoribus et Officialibus, nec non pontium passuum quorumuis Custodibus ac Datiarijs Gabellarijs Mutarijs Theolonarijs et vectigalium quorumcunque exactoribus, ceterisque omnibus et singulis per sacrum Romanum Imperium ac Regna Dominia et Prouintias nostras hereditarias et alias ubilibet constitutis, cuiuscunque fuerint status gradus ordinis conditionis et preeminentię Amicis et Beneuolis nostris Salutem et Beneuolentię nostrę affectum, Subditis uero nostris Gratiam Regiam et omne Bonum. Cum Magnificus Hieronymus a Lasco Palatinus Syradiensis Consiliarius noster ac Regnorum nostrorum Dalmacie Croatię Sclauoniæ Banus fidelis nobis dilectus se iussu nostro et ob certas res et negotia nostra ad partes Regni nostri Hungarie conferat et inde ad certa alia loca Ditionis nostrę profecturus sit, Nosque eidem tutum et expeditum iter vbique obuenire velimus, Idcirco vos omnes et singulos supradictos Amicos et Beneuolos nostros affectuose hortamur, Subditis vero nostris districte ac firmissime precipientes mandamus quatenus prefatum Hieronymum a

Lascko vna cum Equis, famulis rebusque et sarcinis suis per omnia et singula Dominia Districtus et Iurisdictiones nostras et vestras, aliaque loca tam terra quam flumine ad que ipsum declinare contigerit, sine aliquo impedimento seu molestatione ac tuto libere et secure, sine aliqua datiorum gabellarum seu vectigalium solutione et exactione ire transire stare morari recedere et quomodo ei placuerit redire sinatis et permittatis, et ubique benigne et humaniter excipiatis, eique de Guidis et saluo conductu si opus fuerit et vos requisiuerit prouideatis, quo iter huiusmodi suum commodius perficere possit et valeat, In quo vos Amici et Beneuoli nostri rem nobis singulariter gratam facietis pari erga vos officio compensandam, Vos autem Subditi nostri nostram seriam et expressam exequemini voluntatem, Datum Haganoę 14 Iulij 1540.

VIII.

Schreiben König Ferdinand's I. an seine Schwester Maria, verwitwete Königinn von Ungern und Böhmen und Statthalterinn der Niederlande.

Wien, 18. August 1540.

Aus dem von Secretärshand geschriebenen und von König Ferdinand I. unterzeichneten Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Auf der Adresse steht von der Hand Maria's: j. Septembris 1540.

A Madame ma bonne seur la royne de hongrie de boheme etc. regente et gouuernante es pays dembas/

Das Siegel ist abgefallen.

Madame ma bonne seur/ Cestes seront pour vous aduertir de mon arriuee en ce lieu en bonne sante/ aiant aussi trouue mes femme et enffans en tresbonne disposicion/ dont rendz graces a dieu/ Et estant de chemin comme vous escripuis me vindrent nouuelles de la mort du roy iehan/ lesquelles ay trouue veritables/ combien que aucuns tenans son party ont bien taiche plus longuement couurir sondict trespas/ et le coulorer en diuerses manieres/ Et a ce quentens le moisne frere george tresorier dudict feu roy/ et auec luy le turc valint et aucuns autre de leur bende/ sont ensemble/ et enuoyent le chancellier verbetio/ et euesque des cinq eglises auec grans presens en ambassade deuers le turc/ pour selon que suis aduerty le prier dauoir le filz dudict feu roy iehan/ comme heritier de la couronne de hongrie pour recommande/ et leur consentir quilz puissent entre eulx eslire vng qui ait administration dudict royaulme iusques icelluy filz sera paruenu en eaige/ quentens vouldroit bien estre le tresorier mesmes/ Si suis ie madame informe que iceulx ambassadeurs sont este admonestez par aucuns et mesmes par larcheuesque coloscensis et pirini petre/ eulx deporter de ladicte ambassade/ ie ne scay ce quilz auront prouffite/ Et affin que en tant quil fut possible/ ie puise gaigner les choses plustost par doulceur que rigeur/ iay depesche mes ambassades tant deuers le roy de polongne/ comme aussi vers la vefue dudict feu roy iehan/ et autres personnaiges et estatz du royaulme/ signiffiant ausdictz estatz que en oubliant tout le

passe ie moffre a lobseruance du traicte/ que iay eu auec ledict feu roy iehan/ par la pluspart deulx ratiffie et approuue/ combien que pour auoir le traicte par luy este enfraint ie ny soye en aucune maniere tenu/ De la responce que lon me fera/ et du succes serez madame participante/

Les deux vayuodes en la transiluanie sont encoires oppressez desdictz tresorier et ses adherens/ et mont enuoie prier pour secours/ que ne leur puis bonnement reffuser/ puisque pour auoir tenu mon party ilz sont paruenuz en ceste necessite/ Et leur enuoye aucuns gens de guerre pour secours pour aussi de tant plus masseurer ou couste de ladicte transiluanie/ Et ne fauldray madame vous tousiours aduertir de ce que plus auant sen ensuyura/ dieu en ayde/ auquel ie prie qui madame ma bonne seur vous doint lentier de voz bons desirs/ De vyenne le xviij^{e} daoust 1540/.

vostre vray bon frere
ferdinandus

IX.

Instruction König Ferdinand's I. für Tranquillus Andronicus bei Dessen Sendung an die Pforte.

Wien, 20. August 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Tranquillo Andronico.

Ferdinandus etc.

Egregie fidelis dilecte. Quibus de rebus impresentiarum ad Imperatorem Turcarum scribendum duximus, ex hisce incluso literarum nostrarum exemplo abunde intelliges, Quamobrem cum nostra plurimum interesse videas, ex quo Ioannes Rex è viuis excessit, vti Turcarum Cęsar quamprimum causas sciat retardatę Legationis nostrę, Ideo tibi omni serio precipientes mandamus, vt quibus potes maximis itineribus Constantinopolim aduolare cures, et si fieri potest, opera adiumentoque Ludffy et Rusthan Bassarum nec non Ionus Beg apud Turcarum Imperatorem Audientiam impetrare studeas, illique post dictam decentibus verbis salutem, declarataque obseruantia propensaque voluntate erga se nostra, exponas, quod licet Magnitudini suę per literas nostras promiseramus Magnificum Hieronymum à Lasco etc. ad se breui remittere, tamen quo minus hactenus pollicitis nostris satisfacere potuerimus in causa fuisse partim quod in tàm longinquis partibus à Regnis et prouintijs nostris spe nostra diutius abfuimus, partim quod ipse Lascus tum propter negotia quę cum Magnitudinis suę Sanciacho Bosnensi circa obseruationem Indutiarum per Magnitudinem suam promulgatarum agenda habuit, in quibus explicandis constituendisque multum temporis consumpsisset, tum quia rerum suarum domesticarum perturbatę rationes eum domum in Hungariam ire coegissent, ne grauius in his ex diuturniori absentia sua detrimentum caperet, impeditus fuerit, Nos tamen illum in reditu nostro à Cęsare fratre nostro ad nos Hagenoam accersiuisse, ibique cum plenissimo mandato sese ad Magnitudinem suam ocyus conferendi et super cepta tractatione pacis vlterius agendi et concludendi expediuisse, Acci-

*

disse autem postea non sine animi nostri molestia, vt is domum redeundo infirmitate quadam correptus fuerit, vnde dolentes nos tantam moram in legatione nostra fieri, quam tamen ante plures menses libenter expediuissemus, existimasse nos operę pretium fore, ipsum Tranquillum interim dum vel Lascus si modo per imbecillem valetudinem suam licuerit, vel alius ex Consiliarijs nostris sequatur, ad Magnitudinem suam premittere, idque ob eas causas quas Magnitudini sue in nostris ad se perscriptis literis ostendissemus, quarum quidem seriem pro tui ingenij sagacitate agendisque rebus prudentia aptis verbis prosequendam omnibusque modis in eo sermonem tuum consumere studebis, vt si forte Magnitudo sua aut Consiliarij eius aliam subesse causam suspicarentur quo minus nunc adsit Lascus ipse, eam suspitionem è mentibus eorum euellas verissimisque argumentis rationibusque ostendas fore propediem, vt solennis Orator, siue is sit Lascus siue alius, à nobis sequatur, qui amplissimam facultatem apportaturus sit vnà cum muneribus de perpetua pace amicitiaque cum Turcarum Imperatore suscipienda latius agendi tractandi concludendique,

Quod si non posses accessum ad Magnitudinem suam obtinere, tunc supradicta omnia prefatis Bassis et Ionus Beg diligenter explicabis, ad quos singulos cum his credentiales in tui personam literas mittendas putauimus, Quo autem in procurandis rebus nostris proniores studiosioresque reddantur ostendes nos illis eiusmodi Munera deputasse, quę non dubitemus eos boni consulturos,

Cæterum cum pro certo nobis significatum sit fratrem Georgium et suos complices ad Turcum oratores quosdam superioribus diebus emandasse, Idcirco maiori quo potes studio expiscari labores, qualianam sint petita eorum et si intellexeris illa ipsa votis nostris, vt facile credendum est, contraria et aduersa esse, tunc apud dictos Bassas instare et sollicitare debes, vt apud Dominum eorum tantum efficere velint, vt Magnitudo sua cum illis agendi concludendiue negotium vsque in aduentum Oratoris nostri suspendat et differat, Et in hunc effectum potissimum vtaris Ionus Beeg opera fauoreque, admonendo illum verbis nostris vt pro veteri suo erga nos studio partes nostras fouere promouereque curet, Nos enim id liberali remuneratione erga illum recognituros fore,

Porro in hanc curam inter cetera omnium maxime incumbas volumus, vt prefatorum Bassarum et ipsius Ionus Beg auxilio id assequaris quo Turcarum Cesar suis Sanciachis et Capitaneis nec non omnibus subditis in Confinibus degentibus strictissime precipiat, vt interim quoad Orator noster appulerit et quamdiu de pace egerit nihil violenter siue hostiliter attentare aut vllas incursiones in Regna et prouintias nostras facere audeant, Id quod etiam nos ex parte subditorum nostrorum omnino curaturi simus,

Postremo tibi iniungimus, vt statim ad nos de ijs que egeris aut impetraueris diligenter perscribas, et à Curia Imperatoris Turcarum non discedas quin potius ipsius Lasci aduentum expectes, quem prorsus expedire statuimus nisi lętalis morbus eum impediret, quod tamen fore non speramus, Nostram in premissis omnibus expressam omnimodamque executurus voluntatem, Datum Viennę xx. Augusti 1540.

X.

Beglaubigungsschreiben König Ferdinand's I. für Hieronymus Laski an Simon Erdödy, Bischof von Agram, an das Domcapitel zu Agram und an Peter Keglewitsch.

Wien, 23. August 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Episcopo Zagrabiensi.

Ferdinandus etc.

Reuerende Deuote fidelis dilecte, Proficiscitur impresentiarum de mandato nostro ad Turcarum Cesarem Magnificus Hieronymus à Lasco Palatinus Syradiensis Consiliarius et Orator noster fidelis nobis dilectus qui quo et celerius et commodius profectionem suam accelerare possit, Deuotioni tuę vehementer iniungimus et precipimus, vt ei ad naues tum de omnibus, que necessitas ipsa expostulauerit, tum etiam de vectoribus alijsque, prout ab eo latius intelliget, confestim et abunde prouideri suppeditarique curet, Nostram in eo expressam beneque gratam executura voluntatem, Datum Viennę 23 Augusti 1540.

In simili mutatis mutandis ad Keglewyth Magnifice fidelis dilecte
Item ad Capitulum Zagrabiense

XI.

Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an die unmittelbar nach dem Tode Johann's von Zápolya hauptsächlich auf Antrieb des Georg Utjeschenitsch (Martinuzzi), Bischofs von Grofs-Wardein, an die Pforte abgefertigten Gesandten, Johann Ezéky, Bischof von Fünfkirchen, und Stephan Verbőczy.

Wien, 23. August 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Credentiales ad Verbeutium.

Ferdinandus etc.

Magnifice nobis dilecte, Commisimus Magnifico Hieronymo à Lasco fideli nobis dilecto Palatino Syradiensi Regnorum nostrorum Dalmatię Croatię Sclauonię Bano Consiliario et Oratori nostro nonnulla vobis nomine nostro exponenda, prout ab eo coram intelligetis, Requirentes vos ob id gratiose, vt ei in ijs, quę verbis nostris exposuerit, plenam et indubitatam fidem adhibere vosque superinde ita gerere velitis prout in vobis clementer confidimus, Quod erga vos gratia et beneficentia nostra Regia recognoscemus, Datum Viennę 23 Augusti 1540.

In simili ad Ioannem Ezechy Episcopum Quinqueecclesiensem
Reuerende Deuote nobis dilecte

XII.

Beglaubigungsschreiben König Ferdinand's I. für Hieronymus Laski an die Prinzen Mohammed und Mustafa auf den Fall des Ablebens ihres Vaters, Sultan Suleiman's I., den ein Gerücht todt gesagt hatte.

Wien, 24. August 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh Haus-Archive. Überschrift: Ad Mustapham.

Serenissimo etc. Ferdinandus etc. Commisimus Magnifico Hieronymo à Lasco Palatino Syradiensi Consiliario et Oratori nostro Magnitudini vestre nonnulla verbis nostris exponenda, prout ab eo coram intelligere dignabitur, Quare Magnitudinem vestram rogamus, uelit illi in bis que sic nomine nostro dixerit, plenam et indubitatam fidem adhibere, atque ita superinde se gerere, prout in ea plene confidimus, Quæ felicissime valeat, Datum Viennæ 24 Augusti 1540.

In simili ad Mehemeth

XIII.

Schutzbrief König Ferdinand's I. für Hieronymus Laski, Dessen Gemahlinn und Kinder.

Wien, 24. August 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Litere protectionales pro Hieronymo à Lasco.

Ferdinandus etc. Memoriæ commendamus significantes quibus expedit vniuersis Quod Nos cum perclementem rationem ducentes plurimorum et gratorum seruitiorum, quæ nobis ac Sacre Coronę nostre Hungarię Magnificus Hieronymus à Lasco Palatinus Syradiensis Regnorum nostrorum Dalmacie Croatie Sclauonie Banus Consiliarius noster fidelis nobis dilectus fideliter et diligenter hactenus prestitit et imposterum prestare potest et debet, tum etiam ob oculos ponentes longinquam illam et satis periculosam profectionem quam iussu nostro pro benefitio et commodo non solum nostro verum etiam totius Reipublicę Christianę ad Turcarum Cesarem impresentiarum suscepit, Illum et Generosam Annam Coniugem suam eorumque liberos cum omnibus bonis quocunque iure et titulo ad eum peruenerint, in tutelam protectionem et defensionem nostram suscepimus, prout suscipimus per presentes, Promittentes in verbo nostro Regio quod prefatum Hieronymum à Lasco et vxorem nec non liberos suos in premissis bonis etiamsi illi humanitus aliquid in legatione hac sua accideret gratiose manutere et protegere volumus, Harum testimonio literarum sigilli nostri impressione munitarum, Datum Viennę 24 Augusti 1540.

XIV.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Pettau, 27. August 1540.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Beantwortet unter Nr. XXI.

Sacratissime et Serenissime Maiestati Regie Romanorum Hungarie Boemie etc. domino dominoque meo clementissimo

Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel zeigt das Wappen Korab, zu welchem die Familie Laski gehört.

Sacratissima et Serenissima Maiestas Regia et domine domine clementissime

Humillime seruitutis et obediencie mee deditissimam comendacionem. Tranquillus iter suum hinc .24. presentis die Constantinopolim per Labachum et Aragusium suscepit, ego autem huc veni hodie, et hodie etiam progredior, sed frustra festinabo, quoniam si Tranquillum non assequentur ille vestre Maiestatis litere, quibus iubebatur redire, tunc cogar ego expectare in Sossed canes et alias telas aureas et sericeas, quoniam neminem habeo qui talibus rebus preesse et per Turchiam cognitus esse posset, quamquam multum profuisset mea festinatio omnibus uestre Maiestatis rebus. Fama hic fit indies firmior Turcam extremum diem soluisse, mittam tamen proprium meum hominem ad Gradiska et ab illo quidquid noui intellexero uestre Maiestati diligenter perscribam. Naues quibus ego descendere debebam, existimo non esse paratas, quod si ita est, nihil posset esse pro profectione mea incomodius.

Comendo cum his humillimam seruitutem meam in graciam uestre Sacratissime Maiestatis. Raptim Pethouie 27. Augusti Anno 1540.

minimus Seruitor

Hieronymus Laskj
manu sua

XV.

Schreiben des Grafen Franz von Frangepan, Bischofs von Erlau, Peter Perényi's, Obergespans von Abaújvár, Franz Bebek's, Obergespans von Gömör, und Stephan Ráskay's, Obergespans von Neograd, an Cornelius Duplicius Schepper.

Erlau, 30. August 1540.

Aus einer Abschrift von der Hand Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive.

Magnifice Domine Amice nobis obseruande, nostri commendatione præmissa. Literas has Cesareę Maiestati missas et his literis presentibus alligatas Magnifica Dominatio vestra Cesareę Maiestati et ad manus suas proprias assignare et tradere curet, magno-

pere rogamus, sunt enim literę, quæ magnam vim in se continent, magnarumque rerum in se claudunt intelligentiam, Petimus à Dominatione vestra Magnifica ita vt maiore studio magisue ex animo petere non possimus secus ne fecerit, ne Respublica Christiana damnum et ruinam patiatur, Dominationem vestram Magnificam Deus optimus maximus quam plurimis annis felicem seruet, cui nos et nostra omnia unice commendamus, Datum Agrię Tricesima Augusti 1540.

A Dominatione vestra Magnifica his literis nostris quamprimum respondeat iterum atque iterum petimus, à Maiestate quoque Cesarea nobis gratiosam relationem obtineat et quam citissime remittat, magnopere rogamus,

Seruitores

Agriensis
Petrus de Perin
Franciscus Bebek
Stephanus Raskay

Magnifico Domino Cornelio Duplicio Scepero
Consiliario Sacrę et Catholicę Cęsareę Maiestatis Domino et Amico honorando

XVI.

Schreiben Derselben und Siegmund Balassa's, Obergespans von Borsod, an Kaiser Karl V.

Erlau, 30. August 1540.

Aus einer Abschrift von der Hand Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive.

Sacratissime Princeps et Domine, Domine nobis Clementissime, Post seruitiorum nostrorum perpetuorum commendationem, Mortem Serenissimi Domini Ioannis quondam Hungariæ Regis et Domini nostri clementissimi credimus iam certo audiuisse vestram sacram Maiestatem et ea omnia, quæ post mortem suæ Maiestatis secuta sunt, vsque in præsentem diem, Regnum in maximo periculo est, Timemus ne Cæsar Turcarum uel pro se aperte illud occupet, uel sub nomine defensionis, tanquam filio Regis defuncti illud seruare uelit, quod æque periculosum iudicamus Regno futurum, Nos impares sumus tantæ resistere potentiæ, imò ob hanc causam potissimum Serenissimus quondam Rex noster cum sacra vestra Cæsarea Maiestate et cum Serenissimo fratre suo, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ etc. Rege, concordiam iniuerat, hac etiam conditione expressa vt si filium post se relinqueret, non ille, sed frater Maiestatis vestræ succederet in Regnum, Quæ conditio satis dura uideretur homini qui magis priuata quam publica curaret, sed quia idem Serenissimus quondam noster Rex et clarum uidebat, sicut ea, quæ oculis uidentur, euidens Regni periculum imminere à Turca et se resistere non posse, imò neque alium Principem Christianum solum, excepta vestra sacra Cæsarea Maiestate, transtulit omne ius filij in Maiestatem vestram sacram et Serenissimum fratrem suum, malens filium Regni titulo, quam Christianam Rempublicam Regno Hungarię carere, Nos quoque qui conscij fuimus horum consiliorum, imò

et suasores, nunc neminem uidemus in orbe Christiano, qui posset nostro uulneri mederi, et qui hoc nobilissimum membrum possit Reipublicæ Christianæ saluum conseruare, præter vestram sacram Maiestatem, et ob hoc iam nos id facimus, quod in bonum et commodum huius Regni Patriæ nostræ et in commodum Maiestatis vestræ et Serenissimi fratris sui esse uidemus, et omnes fratres et amicos nostros ad id allicimus et confortamus, ac omnibus uijs et modis, quibus possumus inducimus, Sperantes firmiter vestram sacram Cæsaream Maiestatem serio hanc rem aggressuram, Nam iudicamus id esse summe necessarium, vt vestra sacra Maiestas unà cum suo Serenissimo fratre, uel omnino rem istam omittat, uel serio aggrediatur, Nam in lenta aggressione nihil nos manet, nisi certum exitium, Hungaria enim, vti ego Agriensis coram vestra Cæsarea Maiestate me recordor dixisse, pro maiore sui parte est campestris et Turcarum iniurijs, qui equitatu abundant, obnoxia, Ideo nisi bene perpendatur hæc res, actum est de Regno, præsertim si Buda Caput Regni in manus Turcarum (quod absit) deueniret, quam unà cum Regno licet lacero facilius est conseruare, ne à Turcis occupetur, quam occupatam recuperare, Proinde humiliter supplicamus vestræ sacræ Maiestati et eam obtestamur per viscera misericordiæ dei nostri, vt sicuti prædiximus, eam curam gerat de Regni occupatione et conseruatione, vt nos tuto possimus sub alis Maiestatis vestrę, et Maiestati vestræ et Serenissimo fratri suo unà cum posteris nostris seruire, Hoc autem Maiestas vestra efficiat, prout suo sapientissimo consilio melius uidebitur, uel pactis cum Turcarum Cæsare initis uel Tributi pensione uel ui, Ad quodlibet autem horum (de quo reuerenter admonemus vestram sacram Maiestatem) necessaria nobis uidetur concordia cum Christianissimo Rege Gallorum, Illum enim scimus et diuitijs et auctoritate multum ualere apud Turcarum Principem, Nihil Maiestas vestra perdet in concordia cum Rege Christianissimo, quod non cum fœnore sit recuperatura, si Hungariam liberam in suam poterit redigere potestatem, Quod si nullum horum uellet Maiestas vestra sacra facere, quod omnino nollemus, amore dei eidem supplicamus, nolit nos perditum iri, quin potius iubeat Serenissimo fratri suo, vt et illam partem Regni, quam possidet, permittat uniri residuo corpori Regni, vt uel sic si non ui et armis saltem precario possimus hoc nobilissimum quondam Regnum Reipublicæ Christianæ conseruare, Credimus illud non ignorare sacram Maiestatem vestram ad gerendum bellum cum Turca quantum momenti sit Reipublicæ Christianæ habere secum nationem nostram, et uicissim quantum detrimenti illam contra se habere, Nos nihil omittemus, quod ad bonos Christianos, bonos Hungaros, bonos patrie amatores et probos seruitores attinet, dummodo non deseramur à vestra Maiestate, Credat enim Maiestas vestra sacra, quod si serio Maiestas vestra hanc rem aggredietur uel nulli uel pauci et illi quidem non magni momenti (qui tamen quantulicunque sint, nisi conatibus eorum obuiam eatur, periculosa moliuntur) ab opinione et sententia nostra dissentient, Nam nos credimus firmiter vestram sacram Maiestatem vnà cum Serenissimo fratre suo syncere completuros promissa Serenissimi quondam Regis nostri filio et Reginæ Relictę, et ea etiam, quæ Regno promiserunt in illis contractibus, quod vt faciant, tanquam boni et fideles seruitores Serenissimi quondam Regis nostri Serenissimas Maiestates vestras oramus, Deus

Maiestatem vestram sacram pro bono totius Reipublicę Christianę et huius afflicti Regni ad longa tempora fœlicissime conseruare dignetur, Datum Agriæ Tricesima Augusti 1540.

Eiusdem vestræ Sacræ Cæsareæ Maiestatis

humiles Seruitores
Agriensis
Petrus Perenj
Franciscus Bebek
Stephanus Raskay
et Sigismundus Balassa

Sacratissimo et Inuictissimo Principi et Domino Domino Carolo Quinto Romanorum Imperatori semper Augusto, Ac Germanię Hispaniarum Hungarie vtriusque Sicilię et Hierusalem Regi etc. Domino nobis Clementissimo

XVII.

Schreiben des Grafen Franz von Frangepan, Bischofs von Erlau, an Alexius Thurzó.

Erlau, 31. August 1540.

Aus dem von Secretärshand geschriebenen und vom Grafen Franz von Frangepan unterzeichneten Originale im k. k. geh. Haus-Archive.

Spectabili et Magnifico Domino Alexio Thurzo Iudici curię et locumtenenti Serenissimi Domini Romanorum etc. Regis, Domino et Amico nobis obseruando

Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel zeigt das Wappen der Grafen von Frangepan.

Spectabilis et Magnifice Domine et Amice honorandissime, Salutem et seruitutis commendacionem. Sciat Dominacio vestra Magnifica, Dominum Quinqueecclesiensem et Dominum Verbewczy pridem Cancellarium nostrum iuisse in Turciam, nescio cuius nomine, tamen, vt videor olfacere, omnium nostrum, et tocius hungarice nacionis nomine. Summa legacionis hec est, Supplicabunt Cesari Turcarum, vt filium Serenissimi quondam Regis nostri, nedum velit pati in regno, sed defendere ac protegere contra quoscunque; Bonum esset, et consultum, vt Serenissimus Dominus Romanorum, Hungarie, Bohemie etc. Rex, non procrastinaret missionem oratoris in Turciam, quia in minima mora maximum periculum, et moueret ibi omnem lapidem, fatigaret omnes amicos, si qui sunt, oneraret promissis Bassas, et Sansachos finitimos, ne preualeret illa legacio. Scitis ingenia illorum, qui in legacione iuerunt, facile erit homini ingenio valenti os illorum obstruere. Quod si illi allegarent totam nacionem vel maiorem partem cupere puerum illum pro Rege, facilis est responsio ad istud: nam non maiorem partem, verum minimam futuram, que puerum expeteret, si ad hoc veniretur. Componere res cum Turca, dummodo sitis solliciti, non est impossibile: cum enim semel ego de hac re verba fecissem cum Gritti, et dicerem, Ferdinandum non passurum Regem in regno, Respondit idem est Turcę, siue Ferdinandus regnet, siue Ioannes, Ego (inquit) hoc feci, in gratiam Regis nostri Ioannis, vt Princeps Turcarum scriberet, se nolle pati

Ferdinandum in regno. Sitis igitur solliciti in re vestra: vereor enim ne hoc cedat vobis grauius, immo et omnibus nobis, si Buda occupabitur in despectum Turcę, quam si petatur eius consensus. Quod si autem omnino in animo est vobis, descendere, tali apparatu descendatis, mea sentencia, ne sint posteriora peiora prioribus. Ittem Dominum Petrum Pereni nullo modo alienetis a vobis, suadeo et consulo. Dominacio vestra bene valeat, et podagrę, non mihi, quod manu aliena scribo, imputet. Datum Agrię vltima Augusti .1540.

Seruitor Agriensis scripsit

XVIII.

Schreiben Desselben an Siegmund von Herberstein.

Erlau, 31. August 1540.

Aus dem Originale wie Nr. XVII. Die in diesem Schreiben dem Freiherrn von Herberstein so sehr empfohlenen Briefe sind die unter Nr. XV. und XVI. abgedruckten.

Magnifico Domino Sigismundo Hebersthay Consiliario Serenissimi Domini Romanorum etc. Regis, Domino et Amico nobis honorando

Das Siegel wie bei Nr. XVII.

Magnifice Domine, Amice, et frater honorande, Salutem et seruitutis commendacionem. A Dominacione vestra Magnifica ita petimus, vt maiori studio, magisve ex animo petere non possimus, litteras has, presentibus hijs alligatas, ad Magnificum Dominum Cornelium, uel eo absente, ad Dominum de Granuellis, quamcitissime perferri curet, sunt enim non parui momenti, et magnę importancię, rogamus Dominacionem vestram Magnificam iterum atque iterum, quam rectissime valere optamus, Datum Agrię, vltima Augusti .1540.

Vester Agriensis scripsit

XIX.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Szomszédvára (Szuszed), 31. August 1540.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Adresse und Siegel fehlen. Beantwortet unter Nr. XXII. Die Nachschrift ist auf einem besonderen Zettel.

Sacratissima et Serenissima Maiestas Regia et domine domine clementissime

Humillimam seruitutis mee commendacionem, Veni huc heri, ubi nullas naues reperi, quum tamen pro illis frequentissimos nunctios et litéras a multo iam tempore expediebam, et ita quid sim facturus nescio, quoniam equi mei, qui ex Kezmark ueniunt, et hodie Pethouie pernoctant, ueniunt fatigatissimi, canes preterea qui huc per uestram Maiestatem mittentur nullo pacto terra duci poterunt, et sic supplico informari de istis

*

canibus. Mitto etiam uestre Maiestati literas domini Episcopi Zagrabiensis quas Tranquillo scribit, quas ego aperui abeunte Tranquillo Constantinopolim, qui festinatione eo maxima properat, ex quibus intelliget mortem Turce confirmari, Sciat tamen uestra Maiestas heri me habuisse obuium seruitorem Domini Keglewycz, qui a bossnensi Sanzacho redibat, et qui illas literas Turcharum Imperatoris quas Tranquillus attulerat pro seruandis longioribus inducijs ad Sanzachum ferebat, is mihi retulit, Turcas fuisse rebus omnibus instructos, ut Kosthanycza obsiderent, sed intellecta morte Ioannis Regis mutasse sententiam, et in Syrimium proficisci, Christophorus etiam Semchei, qui duo castra a Gradyska per duo miliaria habet, is misit huc ad Tranquillum hominem suum, ut de aduentu meo fieret certior, uenitque heri huc, is refert nomine Domini sui, quod posta uenit ex Constantinopoli ad Bossnensem Sanzachum et Murathbeeg, in qua Cesar comittit, ut irent Budam, et quicunque Hungari uellent impedire eorum profectionem ut omnia igne et rapinas conficiant, Querebat iste Christophorus Semchei a Tranquillo si posset damna Turcis inferre, ego tamen illi prohibui etc. Quare amore Dei uestra Maiestas prouideat de Pesth. Dicit etiam idem, omnes Nassados qui in Gradyska fuerunt descendisse Belgradum. Hec sunt que hic habentur.

Sacra Maiestas Regia et Domine clementissime. Significo et multum conqueror uestre Maiestati Serenissime, quod Domina uxor Kacianneri, has uestre Maiestatis domus ita enudauit, ut quid sim facturus nescio. In Sossed non reliquit nisi tria larda, et duos cubulos salis, ordei, Tritici, Siliginis, aut Auene neque unum granum, vini guttam nullam, abduxit enim omnia talia non solum, sed etiam ipsum fenum, nunc autem seminatio instat, castra indigent hominibus, homines uero commeatu, hic uero tanta charistia ut si peccunijs essem empturus, expenderem ad fruges plus quam mille florenos si seminare et castra intertenere velim. Maiestas autem uestra Serenissima pollicita fuit primum, consignaturam se hec castra ad festum Sancti Georgij, deinde uero promiserat ad primam Augusti, id tamen secus accidit, nam .17. die presentis data est arx ista ad manus Domini Francisci Awr, ita nuda et ita spoliata ut nihil hic sit de commeatu, quod in unum oculum imponi possit. Quare supplico humillime Maiestati uestre Serenissime, dignetur literis suis Domino Ioanni Vngnad iniungere, daret mihi ex annona uestre Maiestatis Serenissime que Zagrabie est, 400 cubulos tritici propter seminationem, et farine ad castra alios 400 cubulos, et auene totidem, ego autem tali mensura reddam uestre Maiestati Serenissime hec omnia quando castra ex manibus meis redimet, et iam per presentes me facturum obligo. nam nisi hanc gratiam uestra Maiestas mihi fecerit nescio quid faciam. nam neque seminare nec castra conseruare potero, paratusque sum dare Domino Vngnad obligationem meam quod hec omnia uestre Maiestati Serenissime reddam tunc quando hec castra redimere dignabitur. redimere autem citto dignabitur, quoniam non cessabo diligenter Maiestatem Serenissimam pro redemptione orare. Supplex itaque iterum oro. succurrere mihi dignetur in ista egestate et angustia mea Maiestas uestra ista annona, et informet me eo cicius. quid cum canibus sum facturus si iste naues non erunt. quoniam ego Zagrabie expectabo. et paratis peccunijs victum mihi parabo donec redeat iste nunctius a Maiestate vestra Serenissima. apud quam accusare nolo

istam Dominam Kacianeram. quod ita paruam rationem uestre Maiestatis castrorum prope hostes consistentium habuerit.

Comendo humillimam seruitutem meam perpetuamque fidem et obedientiam in graciam Maiestatis vestre Sacratissime. cui Dominus Deus omnia felicia tribuat. Ex Sossed vltimo Augusti die 1540.

Minimus Seruitor

Hieronymus de Lasko
manu sua

Sacratissima Maiestas. Humillime precor paciatur vestra Maiestas quod castellum Stubycza alioquin nullius ponderis et iam iam ruens antiquitate et tabe lignorum, incendere possem, quoniam impense magne et nulla necessitas est in eo loco fortalicij.

XX.

Schreiben König Ferdinand's I. an Hieronymus Laski.

Wiener-Neustadt, 1. September 1540.

Aus dem von Secretärshand geschriebenen, mit den Unterschriften des Königs, des Vicekanzlers Gienger und Adam Carl's versehenen, schon versiegelt gewesenen, aber unabgesandt gebliebenen Originale im k. k. geh. Haus-Archive.

Magnifico fideli nobis Dilecto Hieronymo à Lasco, Palatino Syradiensi, Consiliario nostro, ac Regnorum nostrorum Dalmatię, Croatię, Sclauonię Bano, vel officialibus eius./

Vom Siegel sind nur rothe Wachsspuren vorhanden.

Ferdinandus Diuina fauente Clementia Romanorum, Hungarię, Bohemię etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austrię etc.

Magnifice fidelis dilecte. Quamuis constitueramus, uti à nobis discedens accepisti, ad te pannos illos sericeos per Egregium Tranquillum Andronicum Secretarium nostrum mittere, tamen quoniam eum priusquam eius rei ordinem à nobis accepisset, se in uiam ad Turciam dedisse per literas suas cognouimus, necesse nobis fuit eiusmodi pannos per alium ad te transmittere, qui est Paulus Woltzogen unus ex veredarijs nostris, ab eo itaque pannos huiusmodi accipies, Transmittimus tibi etiam Canes, quos scis, sed eos Pibritz, quem bene nosti, Arcerius noster ad te deducit, quem si uoles, et eius opera indigere videberis, etiam ad Turciam usque tecum nostro permissu ducere poteris, Quod tibi clementer significandum duximus. Datum in Noua Ciuitate nostra Die prima Mensis Septembris Anno Domini MDXL. Regnorum nostrorum Romani Decimo, Aliorum uero Decimo Quarto.

Ferdinandus

Ad Mandatum Sacrę
Regię Maiestatis proprium

G. Gienger D.
Vicecanzler.

Ad. Carolus

XXI.

Schreiben König Ferdinand's I. an Hieronymus Laski.

Wiener-Neustadt, 3. September 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Hieronymo à Lasco. *Antwort auf Nr. XIV. Beantwortet unter Nr. XXV.*

Ferdinandus etc.

Magnifice fidelis dilecte, Accepimus literas tuas, in quibus scribis te expectaturum canes et telas aureas ac sericeas in Sossed, propterea quod Tranquillus iter ingressus Constantinopolim properare ceperit, vererisque naues eas quibus tibi descendendum sit, nondum esse paratas, Equidem ante paucos admodum dies à Tranquillo literas habuimus significantes nobis suam percelerem in Turciam abitionem, Sed neque propter illius recessum neque propter canes et serica nondum ad te perlata longius istic tibi immorandum esse arbitramur, presertim cum scias et quantum nostra intersit vt sine omni morâ Legationis munus tibi à nobis demandatum perficias, et quam omnia in celeritate Aduentus tui posita sint, Quare tibi harum serie quam firmissime precipimus et mandamus, vt non expectatis canibus telisue prefatum Andronicum quam potes maximis itineribus subsequare, Nam quod ad canes et telas attinet, non dubitamus quin plures eiusmodi homines viarum morumque turcicorum peritos habere possis, quorum vni atque alteri negotium des, vt post te illas ipsas res aduehendas curet, Quod vt facias vtque te neque hoc neque quidquam aliud impedire sinas, quominus velociter Constantinopolim aduoles, tibi plusquam serio iniungimus, Omnibus enim modis presentem rerum nostrarum statum ita efflagitare cernis, vt quantocyus Constantinopoli adsis ad exhaurienda nimirum mandata nostra, que vel tuo iuditio sententiaque longiorem moram nequaquam ferre poterunt, Confidimus itaque te subito acceptis his literis profectionem tuam acceleraturum, in quo expressam omnimodamque iussionem nostram exequeris, Datum in Noua Ciuitate die 3ª Septembris 1540.

XXII.

Schreiben Desselben an Denselben.

Wiener-Neustadt, 4. September 1540.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Hieronymo à Lasco. *Antwort auf Nr. XIX. Beantwortet unter Nr. XXV.*

Ferdinandus etc.

Magnifice fidelis dilecte, Scriptis literis hisce adiunctis superuenerunt alie tuę ex Sossed vltimo Augusti proxime preteriti ad nos datę, ex quibus intelleximus te adhuc non solum naues, sed et canes istic expectare, Quæ res nobis vt debuit fuit molestissima, Nam cum totius negotij nostri summam cum Turca tractandi in celeritate positam non ignores, demiramur cum te propter minutiora quedam profectionem tuam ita tar-

dare, tum naues ipsas quas tamen ex Labaco eo deduci ordinaueramus, nondum ad te esse adductas, Quod si nondum factum est, iam denuo Vicedomino nostro in Labaco per literas mandauimus vt istiusmodi naues, quas iampridem preparari iussimus, ad te per dies noctesque deuehendas curet, Si vero tam cito vel propter fluminis siccitatem vel aliam vt fit ob causam te consequi non possent, nihilominus tibi maiori quo possumus studio committimus et mandamus, vt postquam haud nescius es quantum celeritas ipsa obeundę legationis tue nobis in presenti rerum hungaricarum statu commodo vsuique esse queat, pro persona tua, acceptis tantummodo muneribus ijs, que nunc penes te habes, Constantinopolim ad Turcam siue eius si morte defunctus est filium successorem aduolare studeas, Nam et serica et canes et si quę sunt alia que desyderantur, quęque tu expectas, facile, vt nostra fert opinio, post te mitti poterunt, dato nimirum per te ordine alicui ex tuis qui ea omnia transuehet etiam si tu discesseris, vt enim ista omnia istuc perferri demandauimus ita non est cur propterea profectionem tuam differre velis, Et quia etiam hoc accedit, quod scribis de congregatione Turcarum vti Budam de mandato Turci contendere debeant, tanto magis maturandum tibi esse vides vti legatione tua perfungaris apud Turcam, quo vel auertantur vel impediantur ea ipsa, de quibus nunc mandata acceperunt Turcarum subditi, Quocirca tibi denuo etiam atque etiam vehementer precipimus et mandamus, vt non obstante eo quod naues forsan nondum ad te perductę sint, neque etiam vel canes vel alia istiusmodi munera ad te peruenerint, de quibus tamen omnibus ordinem dedimus, te subito in viam des, et Constantinopolim quibus potes melioribus modis atque vijs properes, obeundę legationi tuę, prout in te summe confidimus, operam daturus, priusquam vel ab alijs preueniamur, tametsi inter hec non omittemus omnia agere prouidereque quę tum pro obtinendo tum etiam conseruando Regno nostro Hungarię in tanta occasione requiri atque adeo necessaria esse videntur,

Ceterum postulationi tue super annona tibi ad vsum Arcis Sossed suppeditanda quamuis libenter satisfacere cuperemus, tamen cum ea omnes prouintiarum istarum nostrarum fideles subditi extreme laborent, nosque promissum fecerimus nos id quod hactenus collectum est, non nisi pro eorum expeditione asseruari curaturos, non videmus profecto modum, quo tibi pro nunc in prefata petitione tua gratificari possimus, Quare te gratiose requirimus, vt aliunde pro vsu tuo tantum acquirere studeas, quo prefate Arci prouideas, donec tibi commodiori via subuenire queamus,

Porrò quod ad Castellum Stubycza, quod ex certis causis igne consumendum existimas, attinet, ex quo eiusmodi fortalitia planè nulla absque preuio consilio hactenus demoliri fecimus, statuimus etiam super hoc quam citissimam informationem capere, et si acceperimus non admodum nocere posse si dictum fortalitium destruatur, tunc tibi in eo non refragabimur, interim patienter feras oportet sumptus illos quos pro conseruatione iamdicti Castri impendere debes,

Extremum illud est vt tum de Turcarum Cesaris obitu, tum etiam de congregatione ipsorum versus Budam si quid certi habes nos quamprimum certiores facias atque abitionem tuam amplius nullo modo differas, Nostram in ijs expressam omnimodamque executurus voluntatem, Datum in Noua Ciuitate Die 4ta Septembris 1540.

XXIII.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Sztubicza, 10. September 1540.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Adresse und Siegel wie bei Nr. XIV.

Sacra et Serenissima Maiestas Regia et Domine Domine clementissime

Humilem seruitutis et obedientie mee comendationem. Scripsi Maiestati uestre prius Tranquillum excurrisse. quam ipse huc appulissem, et propterea hic manere sum coactus. quoniam neminem habeo. qui apud Turcas sit cognitus. et familiam meam resque uestre Maiestatis gubernare in tanto itinere posset, iam autem accepi res sericeas inter quas sunt alique que parum ualent alique uero perforate. sicuti is presentium exhibitor dicet, qui illas diligenter et sine damno attulit. iamque hic sum cum omnibus meis ab aliquibus diebus, et maiori sumptu uiuo quam si auguste agerem, canes itaque et horologium expecto, Sciat etiam vestra Maiestas Sanzachum Bossnensem omnes suas uires congregasse, nauesque etiam apparasse et multa victualia in eas imposuisse, nam redijt meus homo quem ad Gradyskam miseram, hec occulis vidit. Dominus Christophorus Semczey qui a gradyska per duo miliaria duo castra habet. is heri ad me cum Nicolao Tarnoczy venit. sunt autem uiri militares et industrij. isti dixerunt exploratores eorum recensuisse. quod Hungariam sunt petituri, et conaturi ut QuinqueEclesias intercipiant. dixerunt etiam mihi. quod multi ad Belgradum conueniunt et omnino magnam expeditionem uersus Budam facient. dominus uero Christophorus predictus dixit mihi quod captiuus Turcus qui nunc nunc precium redemptionis sue sibi reportauit retulit quod Imperator Turcharum comisisset Sanzacho belgradi vt coniugi Regis Ioannis daret auxilium. et quod eam ob rem dictus Sanzachus miserat ad Reginam Budam, iubens illam esse bono animo. Alia noua nunc non sunt nisi quod dominus Keglowyth Banus non parua ex parte milites suos amiserit.

Serenissime Rex. scripsi uestre Maiestati Serenissime. quod in istis eius castris neque unum granum rei annonarie relictum est, qua in re nulli do ego culpam nisi uestre Maiestatis comissarijs. quare amore dei rogo uel uestra Maiestas istas arces iterum a me accipere dignetur aut prouideat mihi, de tritico pro seminatione, et farina atque auena, quia ego per fidem meam modum non habeo seminandi aut arcis conseruande, eam enim dedi seruitoribus meis informacionem, ut ista castra reddant uestre Maiestati Serenissime, Plura per pybrycz scribam quem audio cras affuturum, interim me humillime vestre Maiestatis benignitati comendo, cui vt per omnia mea pericula et sanguinem utiliter nunc seruire possem dominum deum deprecor. Ex nudo et tabido castello Sthvbycza 10. Septembris Anno 1540.

minimus Seruitor

Hieronymus de Lasko
manu sua

XXIV.

Schreiben Desselben an Denselben.

Berdowecz, 12. September 1540.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus- Hof- und Staats-Archive. Adresse und Siegel wie bei Nr. XIV.

Sacra et Serenissima Maiestas Regia et Domine Domine clementissime

Humillimam seruitutis et obediencie mee commendacionem, Venit huc ad me Generosa domina Elizabeth coniunx olim domini Ioannis Kacianner, ut mihi exponeret impensas, quas in conseruacionem istorum castrorum Sonssed et Sthulbycza a morte sui coniugis fecit, et ut mihi alias suas angustias et luctus deplorasset, rogauitque parcerem quod sic eduxisset uictualia ex dictis castris, quoniam ex illis coacta fuisset debitoribus hic uicinis et quibusdam etiam incolis Zagrabiensibus satisfacere, id quod etiam ego iam eram sufficienter exploratus, quoniam nihil uel admodum parum pro se eadem domina recepit, sed omnia debitoribus dedit, ita ut ego illam accusare prorsus non possum, maxime quum ex eius lamentis intelligam omnes reditus et omnia bona ex manibus eius esse adempta, que dominus Kaczianner in prouincijs hic uicinis Austrie uidelicet habuerat, et quod magis est, quod litere sue contradotis seu coniugalis reformacionis quas a coniuge suo habuit fuerint illi debilitate et posthabite, que etiam inter alia uidetur per concordiam. quam domina Scolastica de Eyczing fecit. unica uidelicet domini Kacianner nata, ab altemburgo castro suo cecidisse. quare Serenissime Rex supplico uestre Maiestati Serenissime. et supplico non adeo propter dominam hanc viduam. quantum propter equitatem et iusticiam et eciam conscientiam uestre Maiestatis. dignetur cum ista orphana domina et destituta Regia benignitate uti, nam illa peccati coniugis sui particeps non fuit, neque per equitatem litere sue contradotis culpa mariti anichilari possunt. presertim quod sit notorium. hanc dominam longe maiores opes domino Kacianner attulisse, quam ipse eas habuisset, et propterea eum literis contradotis in gratitudinem sue coniugi ostendendam inscripsisse usumfructum omnium bonorum mobilium et immobilium ad uite eiusdem domine coniugis sue, quamobrem Serenissime Rex et domine clementissime. postquam ab eadem domina vestra Maiestas dignabitur intelligere querelam suam. humillime rogo et supplico. gerat Maiestas vestra Regem et principem gratiosum et iustum, quoniam immensus est dolor. amisso coniuge amittere etiam et uite necessaria ac sustentacula. Comendo vestre Maiestati Serenissime humillimam seruitutem et obedientiam meam. Ex predio Berdowecz .12. Septembris Anno 1540.

minimus Seruitor

Hieronymus de Lasko
manu sua

XXV.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Szomszédvára (Szuszed), 12. September 1540.

Aus dem eigenhändigen Originale. Adresse und Siegel fehlen. Antwort auf Nr. XXI. und XXII.

Sacra et Serenissima Maiestas Regia et Domine Domine clementissime

Humillimam seruitutis et obediencie mee commendacionem, allate mihi sunt heri bine vestre Celsitudinis litere, per quemdam peditem, quibus iubet uestra Maiestas, ut non expectatis uel rebus sericeis uel canibus properarem munus meum obire, et uidetur uestra Maiestas de mora mea non satis bene esse contenta, quum tamen si recte rem uestra Serenissima celsitudo despiciet nullomodo me negligentie accusare dignabitur, si quidem iuxta institutum uestre Maiestatis mihi Gandaui indictum. paratus non solum eram ad .15. diem Iunij. sed etiam iter cum apparatu meo susceperam, et non longe a Vienna domum eum reuerti feceram, quoniam Vienne eorum nihil inueni, que ex instituto Gandaui facto inuenire debebam, indeque non bene incolumis ad uestram Maiestatem Haganau cucurreram, ubi iterum dies mihi data fuit uidelicet prima Augusti, ut Vienne res omnes inuenire et illas mecum ferre potuissem, in hanc itaque diem magno meo impendio hesi, neque id culpa mea, quoniam maluissem iam diu apud Turcam comparuisse. et res uestre Maiestatis procurare. quam ut hic omnia ere emendo delituissem, sed quum Tranquillus precurrit, non uidebatur mihi dignitate uestre Maiestatis et meo oratorio munere dignum, si et ego cum nudis manibus ad Turcam cucurrissem, Expectaui itaque canes. qui iam adducti sunt, sed ita adducti, ut nihil ornamentorum habeant, sintque aliqui uehementer fessi et macillenti, Nihilominus qualescunque sint eos mecum feram. vt si apparatus mittatur post me. illos Turco offerrem. relinqui itaque hic unum seruitorem meum. qui dicta ornamenta et Horologium illud expectabit et me cum eis sequetur. quare supplex oro uelit uestra Maiestas eo maturius talia transmittere, et cogitare. quod ea que bassa mittenda suasit, non mittuntur eo numero neque ordine. suasit Horologia aliquot quum unum dumtaxat mittitur, suasit falcones cum tamen nulli mittuntur. suasit canes. qui licet mittantur, tamen sine apparatu et eorum ornamentis offerri non poterunt. Magnam Serenissime Rex uestra Maiestas rem obtinere apud Turcam cupit. et summe uestre Maiestati necessariam, ad quam ob enatam Ioannis Regis mortem, uestra Serenissima Maiestas plura longe impendere debuit, si quidem non parum Turca mouetur morte istius. mouebitur autem uehementer hoc bello. quod contra Hungariam. quam ipse pro sua reputat. uestra Maiestas ducit, cauendumque est ne exercitus iste aliquid magnum et insigne negligat. nam si nihil egregium aut eximium faciet amittet uestra Maiestas reputacionem suam apud hostem. quam satis Kacianner debilitauit, et hostem incitabit, de me autem taceo, et in quo periculo uersor sileo, quoniam uestra Maiestas pro sua prudentia cogitare potest discrimina mea. quicquid tamen est intrepido animo contendam res vestre Maiestatis transigere, ut hec legacio mea posset esse vestre Maiestati Serenissime et illius Regnis vtilis, mihi autem vltima. nam alia

omnia alacri sum semper animo suscepturus et exequuturus. quecunque uestra Maiestas dignabitur unquam committere, dempta legatione tali. quoniam iam ad nauseam usque exosam habeo, id quod uestra Serenissima Maiestas boni apud se consulet.

Serenissime Rex et domine domine clementissime. Scripseram uestre Maiestati Serenissime. castra esse per uestre Maiestatis Comissarios data, sine minimo Annone uel leguminis grano, sine una uini gutta. rogabamque uestram Maiestatem, ut quum mihi prima ad Sancti Georgij festum, et altera ad primam Augusti dies non fuerit seruata qua vestra Maiestas pollicita erat hec castra ad manus meas conferre. quum preterea comissarij uestre Maiestatis ita mihi reddissent uacua, uellet uestra Maiestas ex eo commeatu quem Zagrabie habet graciose mihi succurrere, quem tamen a uestra Maiestate impetrare non potui, exauxitque uestra Maiestas Serenissima anxietates meas, quibus ob hanc legationem meam distineor, quod uidelicet homo hic nouus, incognitus, castra ista suscepi uacua, sub fuga omnium quotquot hic sunt. et maximam rerum charistiam, et quod non meritus fuerim aliquid annone a uestra Maiestate impetrare. maxime cum illam pollicerer remensurare iterum, quando hec castra uestra Maiestas a me redimere dignabitur. quare nescius quid faciam, aut unde his castris prospiciam, precor uestram Maiestatem dignetur mihi aliqua farina et auena subuenire. promitto enim ad proximam frugum crescentiam uestre Maiestati Serenissime in eodem Zagrabie loco tantumdem reponere et remensurare, deus enim mihi est testis. quod iam tritici hic emi pro seminacione pro florenis 440 lubensque emissem plus. ut bene seminare potuissem, sed es defuit. nam non paruum sumptum sum in hac legatione facturus. quoniam propter honorem uestre Maiestatis numerosam et splendidam comittiuam habeo. et soleo apud Turcas. apud quos nunc indicibilem caristiam intellexi. laute uiuere. Supplico iterum iterumque uestre Maiestati Serenissime pro eadem annona, cui me tandem ut domino meo clementissimo comendo. Ex Sossed ea hora qua discedo .12. Septembris Anno 1540.

Minimus Seruitor

Hieronymus Laskj
manu sua

XXVI.

Schreiben Desselben an Denselben.

Gradiska, 18. September 1540.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus- Archive. Adresse und Siegel wie bei Nr. XIV.

Sacra et Serenissima Maiestas Regia et Domine Domine clementissime

Humillimam seruitutem. Heri huc veni, vbi Czaussum nomine Thopukly inueni, hominem mihi amicum, et qui semel nouem mensibus Bude stetit. is propterea huc aduolauit vt Sanzachos Bossnensem Zwoynyk et Kruschewecz in Sirimium expediat. reliquit Cesarem suum bene incolumem constantinopoli. a quo huc intra nouem dies accurrit et hic iam a quinque diebus mansit. cras tamen recurrit. et nouum portat. quod vestra Maiestas 20000 militum ad accipiendam Budam mittit. cui ego magnis sacramentis

*

dicebam contrarium. sed ipse cogitur nouum hoc ferre. postquam eorum exploratores et captiui. qui nuper ex seruitoribus Keglewycz ducti sunt. idem dicunt. et concordant de numero exercitus. Dixit mihi quod si pro Buda vado. frustra me proficisci. quia imperator nunquam illam vestre Maiestati dabit. est enim iste Czaus inter precipuos et gratus Bassis. cuius opera vtuntur in rebus hungaricis, fuit cum Gritti in obsidione Strigonij et frequenter apud Regem Ioannem versabatur. et propterea scit a Bassis intencionem eorum. meus aduentus non expectatur amplius, postquam tantisper tardaui, tamen promisit octauo die reddere Bassas de aduentu meo certiores. scripsi per illum Ludffy Basse. scripsi Iunisbego. et Tranquillo taliter scripsi. ut si litere aperiantur. non ingrata in illis cognoscent. Dixit mihi Czaus Begleerbegum ex Constantinopoli exiuisse. et venire eum in Branyczewo. Branyczewo autem est dicio quedam ultra fluuium Morava. distat a Semendria per duo miliaria, retulit etiam Rustanum Bassam cum 4ooo Ianiczarorum uenturum, presertim si Sanzaci isti hic Bossnensis et Belgradi expetent, sed si non expetent, dicit eum in Zophia mansurum. Zophia autem distat a Belgrado circiter miliaribus .4o. Dixit etiam Asianos copias ad proximum ver venturos et circa Andrinopolim herbaturos. Begleerbegum vero Alepi cum Syriacis copijs Mesopothamiam iturum vt persis resistat. et affirmat omnino quod Turcarum princeps veniet contra vestram Maiestatem et illius dominum fratrem. victualia iam ad Semendriam ex tota Grecia iussa sunt deduci, quare Serenissime Rex videat vestra Maiestas vt in tempore parata sit. et ante omnia amore dei fluuios armet. qui si Sauum et Danubium bene armauerit poterit vestra Maiestas cogere Turcas domi herere. Ego autem si uiuam et ad vestram Maiestatem reuertar polliceor vestre Maiestati Turcas cogere vt domi maneant, modo mihi daret vestra Maiestas in Danubio 2oooo militum 6ooo italorum uel Hispanorum totidem germanorum et quattuor Hungarorum Nassadistarum et totidem leuis armature equites daretque classem et pontem et trabes aliquod millia. hec tamen omnia ad primam marcij esse deberent parata. nam si hoc faciet vestra Maiestas retinebo Turcas. et me submitto vt si non prestarem hec que polliceor suspendat me vestra Maiestas in furca. in Sauo autem deberent esse 5ooo militum italorum tria et Sclauonum et Croacorum 2ooo. Sed timeo quod ego hic herebo et non potero Maiestati vestre seruire. quod si accidet comendo iterum uestre Celsitudini vxorem liberosque meos. quoniam omnis mea spes est in sola vestre Maiestatis probitate et uirtute sita, que probe intelliget, non potuisse me maius sacrificium pro illa offerre. quum hoc caput et vitam meam offeram.

Serenissime Rex nescio si ab hinc potero literas meas ad vestram Maiestatem transmittere. has tamen scio peruenturas quas nunc scribo et propterea iterum atque iterum amore dei rogo cogitet et prouideat breui iam futuro authumno. et inter alia faciat uestra Maiestas labaci fundere sex bombordas que globum lapideum in altitudine duorum palmorum iaciant, quia ad istas Turcarum municiones quas in sauo habent longe sunt vtiliores illis que ferrum iaculantur. Comendo uestre Serenissime Maiestati perpetuam meam obedientiam. que sciat nondum me ornamenta pro canibus neque aliud Horologium accepisse. Ex Gradiska .18. Septembris Anno 1540.

minimus Seruitor Hieronymus Laskj manu sua

XXVII.

Zettel Laski's an König Ferdinand I. und an Anton Rincon, Gesandten Franz I., Königs von Frankreich, bei Sultan Suleiman I.

(Konstantinopel, in der Zeit vom 15. auf den 19. November 1540.)

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Dieser Zettel, dessen oberer, an König Ferdinand I. lautender (hier im Drucke zwischen [ ] gesetzter) Theil in Chiffern geschrieben ist, wurde von dem in enger Haft gehaltenen Laski dem nach Frankreich zurückkehrenden Rincon geheim mit der Bitte zugesandt, denselben an König Ferdinand I. gelangen zu lassen. Rincon traf am 14. Januar 1541 zu Venedig ein, wo er den Zettel dem Gesandten Kaiser Carl's V. daselbst, Don Diego Hurtado de Mendoza übergab, der denselben am 19. Januar an König Ferdinand sandte.

[sciat maiestas uestra me esse detentum imperatorem uenire contra maiestatem uestram licet sophi bellum faciat litteras quas hinc scripsi maiestati uestre esse imperatori redditas per unum proditorem meum turcum qui tamen iussus est eas ad maiestatem uestram ferre ego uero si nolebam suscipere tormenta coactus sum fateri que scripsi itaque detineat maiestas uestra istum proditorem sed secrete ne ego hic peream detencio mea est propter exercitum budam missum uxorem maiestati uestre deditissime comendo]

Magnifice domine tanquam frater charissime Dominus deus adiungat uestre Magnificencie angelum Thobie, ut deducat illam felicem et incolumem eo ubi proficisci optat, hoc autem rogo ut ex Ragusio scribat uestra Magnificencia aut ad Regem Dominumque meum uel ad Martinum Gusman et in litteris suis suprascriptam cedulam claudat et ostendat esse per me scriptam. quod si uestra Magnificencia ferre posset, et eam Regi dominoque meo et mihi exhibere beneuolenciam ut uellet binas litteras secum ferre unas quas scriberem ad Regem. alias uero ad uxorem. referrem illi gracias maiores quas possem et multis officijs amice rependerem, nam me in ista sorte mea nihil aliud sollicitat quam dolor et lachrime coniugis mee, de reliquis nihil curo, nam pro bono publico et pro Domino meo, bono et sancto principe, non essem lasky, si grauissime queque perferre aut subire fugerem

XXVIII.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

(Konstantinopel, 30. November bis 3. December 1540.)

Aus einer Abschrift im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Primę.

Sciat Maiestas Vestra vltimo Octobris Die me huc aduenisse, et apud Turcum septimo Die Nouembris habui audientiam, qui me impacientissime audiuit, ac tacere iussit, et quasi expulit, fuique in maximo periculo, Id autem fecit iste Exercitus sub Budam expeditus, Suadebant aliqui, vt abscisis labijs et naso me mox ad Maiestatem Vestram remittat, alij ut iniectis ferris in Carcerem proijciat, Deus tamen misertus est

peccatoris, euasique iam, sed non sine largitione, Rustan Bassa nolebat accipere cathenam, quem ne haberem hostem coactus sum illi argentum tabulę meę addere, Ludffy Bassa est vir integer, sed non audet, timet enim capiti. Sciat ergo Maiestas Vestra, quod nulla Pax, aut Inducię parari possunt, iamque Turcus crastino hinc Die Andrinopolim discedit, me autem hic sub grandi custodia manere iussit, Ducet secum in Bellum filium natu secundum, eaque intentione uadit, ut Regnum Hungarię possideat, Maiestas Vestra omnia infecit cum isto Exercitu, id quod ego Maiestati Vestrę predixi et pręscripsi, Maiestas Vestra tamen aliud consilium sequuta est, quod vtinam esset Maiestati Vestrę salubre etiam cum meo periculo, Quod si Maiestas Vestra Budam capere non posset, amore Dei retineat Pest, et fortificet, In Monte Sancti Gerardi munitionem diligentissime exstruat, Sansaci enim non poterunt eo ordine esse, ut hac hyeme cum Maiestatis Vestrę Exercitu pugnare possint, Sophy uehementer instat, herique uenit posta diccns pugnatum fuisse apud Babilonem, et noctem diremisse prelium, nulla parte victore, sed uerisimile est victorem esse Sophy, nam Supremus Turcorum Belli Dux tria uulnera accepit, Pręterea nulla hinc sunt capita allata, quæ solent in signum victoriæ mitti, Aduenit etiam huc Christophorus Semczei, ut proderet quattuor Castra ac Patriam Turcis, qui hic multa dixit, et quędam mihi periculosa, Heri etiam filius Petri Pereny ingressus est conclaue Turcę et circumcidetur Andrinopoli, Venit pręterea huc Princeps Giorgianorum Christianus, ut contra Sophy auxilium habeat, sed habetur suspectus, Sciat Maiestas Vestra, quod expediueram ad Maiestatem Vestram unum Turcum cum litteris, sed latro illas ad Turcum detulit, fuique iterum in magno periculo, et coactus sum omnia dicere, quæ scripsi, iussitque Turcus, ut easdem litteras ad Maiestatem Vestram idem Turcus ferat, Fuit autem magister stabuli meus per triennium, Quare rogo capiat eum Maiestas Vestra sed secretissime, uel si dimittet, scribat Maiestas Vestra talia non cifris quę uelit istos scire, Petrus Vayuoda Moldauiæ est hic, pollicitus est Turcus redditurum se illi Castra quæ in Transsyluania habuit. De me Maiestas Vestra non faciat magnam instantiam, quia mihi peius faciet, sed mittat huc aliquem pro Inducijs, quia Turcus non credit esse syncerum Maiestatis Vestrę animum ad Pacem, postquam istum exercitum expediuit, Scribat autem Maiestas Vestra ad me lingua Italica, et obiurget negligentiam meam, et alia quæ uult, ut intelligat Turcus, Orator Gallus hinc heri discessit ad Regem Franciæ, facturus, ut Bellum contra Cæsarem moueat, fuitque magno auxilio Oratoribus Regis Ioannis, ut Hungariæ Regnum daretur Puero, Sciatque Maiestas Vestra, quod Turcus deliberauerat expectare aduentum meum, nolebatque concludere cum Regis Ioannis Nuncijs, sed quum frequentes Nuncij accurrissent docentes Maiestatis Vestrę Exercitum uenire statim conclusit, eosque expediuit, et properare Budam iussit, Tranquillum huc Maiestas Vestra non mittat, seruet eum ad aliquam maiorem necessitatem, timeo enim ne hic ambo heremus, Scripsi Maiestati Vestrę, omnibus medijs esse ante omnia curandum, ut optimo ordine Classem, Naues, Triremes instruat, totumque negotium in Classe fundet, ita ut in Marcio esse apud Drauam possit, sint trabes, sint magistri lignarij, sit pons, cum Classe erigatur ibi munitio, totam hanc ęstatem cogetur Turcus absumere contra Classem

Maiestatis Vestrę et munitionem, sed opus est Capitaneo forti, et non auaro, et militibus Hispanis aut Italis sex millibus, ac Germanis totidem, quattuor ad minus millibus Nassadistis, et quinque millibus Equitum, Maiestas Vestra, rogo, dignetur mihi cumprimum mittere pecunias, quia me in toto largitiones et quasi vitę redemptio eneruauit, Hic autem nemo ad me admititur, et sub ista Turcę indignatione nemo dabit mihi mutuo, Est autem hic mercator florentinus Guilhelmus de Somagia, Iste respondebit si mercatores qui sunt in Vienna scribent, videlicet aut de Antenori, aut Portulini. Maiestas Vestra nullam spem habeat pacis, quoniam Vxor et omnes Basse non potuerunt Turco disuadere ne proficiscatur nunc Andrinopolim, postquam Sophy ita instat, Maiori quam unquam antea apparatu, et multitudine ueniet contra Maiestatem Vestram, Videat ergo Cæsar et Maiestas Vestra ut exequantur ea quæ ad optimos Principes pertinent, Huic prȩsentium exhibitori dignetur Maiestas Vestra dare Centum Ducatos, et supplico expediat eum cito ut illum iterum ad Maiestatem Vestram cum alijs occurrentijs expedire possim. Vxorem meam supplex Maiestati Vestrę commendo, De me taceo, quoniam si vitam et seruitutem meam semel dedicaui Maiestati Vestrę, confido illius probitati, quod clementer consulet mihi, neque me derelinquet, Prȩterea consulo admittat Maiestas Vestra, ut Episcopus Zagrabiensis nomine Sclauoniæ huc mittat offeratque tributum, et iubeat Maiestas Vestra, ut Nunctius Episcopi ad me sub multorum et suo sigillis litteras afferat, ut ego tanquam illius Regni membrum negotium hoc componam, neque Maiestas Vestra hic aliquod de alijs Regnis exemplum timeat, quoniam timeo ne id inuita Maiestate Vestra Sclauonia Croatiaque faciat, Nam hoc pacto hereditarias suas Prouintias seruabit ad tempora saltem meliora, Si tamen Maiestas Vestra uellet apud Puerum ea relinquere, quę Rex Ioannes habuit, et Turco aliqua in annos munera dare, fortassis Maiestas Vestra pacem assequi posset, Mittat igitur Maiestas Vestra Nuncium huc et me informet cito et citissime, Si uero Budam Maiestas Vestra capiet mittat huc alicuius nominis mihi Collegam onustum auro, existimo me obtenturum Pacem et Hungariæ Regnum. Sciat Maiestas Vestra me hic habere amicum Turcum de magna Polonorum familia, qui in patria uocabatur Kerdei, hic autem uocatur Sahehitbeeg, cuius ex Andrinopoli seruitorem ad Maiestatem Vestram misi eiusdemque nunc mitto non sine illius maximo periculo, Hunc ego sub fide conduxi, ut Maiestati Vestrę omnia semper significet, misso tamen ad meam dumtaxat domum et non alibi Nuncio, Sed opus est cognoscat Maiestatis Vestrę liberalitatem, quia talia nemo solet frustra agere, et se periculo exponere, Huic autem Nuncio dabit Maiestas Vestra centum aureos et aliquam uestem, qui scit latine ac germanice, cui etiam credere potest, Istius etiam Kerdei beneficio breui ad Maiestatem Vestram Folkre sine taxa remittam, amore tamen Dei sit hoc secretum, quia me et illum perderet Maiestas Vestra. Turcus Constantinopolim primo presentis Die exiuit, ego uero quatriduo presentes scripsi propter ingentem custodiam. Hieronymus Lasky manu sua.

XXIX.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Konstantinopel, 5. December 1540.

Aus einer Abschrift im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Secundæ.

Si Budam Maiestas Vestra capiet mittat huc statim Nuncios onustos auro, et Tributum offerat, quia sine hoc Regnum Hungariæ igne ac ferro desolabitur, Si Budam capere non poterit mittat ad me Nuncium uel propter Inducias, uel pro ea parte Regni Hungariæ, quam Maiestas Vestra ante mortem Regis Ioannis habuit, Si eorum Maiestati Vestrę nihil placet, concedat Episcopo Zagrabiensi et mihi (si uidetur) tributum ex Sclauonia, et Croatia offerre, Si neque hoc postremum placet, tunc ita se Maiestas Vestra instruat, ut suos tueri possit, Naues, Triremes habeat iam iam paratas et bonum Capitaneum, in Sclauonia uero tria Millia Martallossorum et totidem Equites, eosque in Velika, in Ploudin, in Monoslo, Czasma, et Dumbro teneat, Victualia per Drauum et Sauum subministrando, quoniam commode ad ea loca inferri Victualia possunt, et utinam essem nunc ibi, quia scirem Maiestati Vestrę inseruire. Adduxit huc ex Buda Nuncius unum captiuum ex Comitatu Tirolis, qui omnia quæ intellexit declarauit, Dixit etiam Exercitum Maiestatis Vestrę uix esse duodecim millium, Expeditus est itaque Czaus ad Bassam Nandoralbensem, ut non moraretur, sed ut uadat Budam, et supra omnia contendat Budam ingredi, ibique Turcam usque ad ęstatem expectet, interim autem curaret in toto Buda potiri, Regina honorifice ad Regem Poloniæ expedita, et puero Nandoralbam remisso una cum fratre Georgio, alijsque Senioribus. Rogo tamen Maiestatem Vestram, ne significet Reginæ talia hinc Maiestati Vestrę scripta fuisse, Nam illa huc scriberet et suspitio esset contra me mihi hic periculosa. Petrus Vayuoda Moldauiensis iuit cum Turco Andrinopolim suadens mille rationibus, ut Turca ante omnia Siculos, Saxones, Cibinienses occupet, sequunturque eius Consilium omnes Bassæ, nondum tamen conclusum est, mea tamen opinio est Turcam recta contra Cæsarem et Maiestatem Vestram iturum, alia non sunt scitu necessaria nisi quod diligentissime precor mittat mihi Maiestas Vestra cito pecunias per cambium, quia in ista calamitate mea pecunijs uehementer egeo. Sciat enim Maiestas Vestra constitisse me Nunctios, quos à meo discessu ad Maiestatem Vestram misi, circiter quadringentos florenos. Si erunt pecuniæ habebit Maiestas à me Nunctios et certissima noua. Ex Constantinopoli Quinto Die Decembris. Hieronymus Lasky manu sua.

Sciat Maiestas Vestra esse unam practicam, ut Ancona intercipiatur per Barbarossam, admoneat ergo Maiestas Vestra Summum Pontificem. Mittat huc Maiestas Vestra subito aliquem per viam Belgradi et Turco scribat benignas literas.

XXX.

Schreiben Desselben an Denselben.

Konstantinopel, 12. Januar 1541.

Aus dem, die Adresse ausgenommen, durchaus in Chiffern geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Die cursivgedruckten Buchstaben, Sylben und Worte in diesem und in den folgenden Schreiben Laski's an König Ferdinand I. fehlen in den Originalen und sind Zusätze des Herausgebers, die er aber nur da, wo sich gar zu verstümmelte Worte oder Sätze zeigten, und nur dann machte, wenn sich das Fehlende auch mit ganzer Sicherheit ergänzen liess.

Serenissimo Regi

Das Siegel ist abgefallen.

trinas hinc maiestati uestre literas misi quarte uero sunt imperatori prodicione tabellarii tradite scripsique me fuisse in maximo periculo et maiestatem uestram nihil debere sperare de pace et induciis propter exercitum missum sub budam id quod et ego presens et omnibus literis meis damnabam quoniam sciebam ita futurum ut accidit mihi uel potius maiestati uestre. nunc uero ultra meum hoc presens malum euenit si ita ut fertur est aliud etiam malum. dicitur enim exercitus maiestatis uestre relicta buda celeriter ad propria rediisse quod si preter pacta aut condiciones cum budensibus factas factum est maximam nunc iacturam et ignominiam maiestas uestra suscepit et mihi omnibus meis periculis acriorem. ego uero diligenter consului et scripsi ut si buda capi non possit teneretur saltem pesth maiestatis uestre presidiis. imperator quadragesimus tercius dies est postquam hinc discessit neque induci potuit ut permittat me eo proficisci uoluitque me in alium locum traduci nisi bassa summo conatu restitisset. noluit eciam imperator concedere ut aliquem ad maiestatem uestram mittam et propterea difficillime literas maiestati uestre mitto. scripsi etiam maiestati uestre imperatorem omnino contra maiestatem uestram uenturum et nunc significo quod imperator eo instituto hinc andrinopolim erat profectus sed nunc mea est opinio quod non poterit expedicionem facere propter tres causas. primum quod pestis acerrima andrinopoli uiget. deinde quod portugalenses nobilissimum in sinu persico acceperunt portum bezaram ubi eufrates mare inuoluitur quem locum diligentissime fortificant que res est imperatori molestissima. tercia causa est quod sophi mirabiliter imperium suum protendit quoniam anno isto regem belch dominio exuit et in presens regem kiortstan impetit cui imperator suppecias dari iusserat nisi portugalenses portum occupassent. scribo itaque maiestati uestre pro certo quod imperator huc redibit intra mensem ut barbarossam cum ducentis triremibus expediat tentoria tamen ac equos et reliquum bellicum apparatum andrinopoli relinquet fortassis ob id ut homines in spe expedicionis sue detineat. sciat etiam maiestas uestra quod imperator tres suos filios prouinciis preficiet. mustafe mesopotamiam et babilonem. mehemethi karamaniam. selimo trapezuntum dabit eosque sophi obiciet. que omnia mihi spem faciunt quod imperator contra maiestatem uestram non exibit. hic fama est quattuor cardinales esse toxico sublatos et papam florenciam aspirare unaque cum rege fran-

cie et uenetis confederacionem facere. dicitur etiam andrinopolim nunctius sine nomine aduenisse et suspicio est illum a papa esse missum. hec tamen certo scire non possum quia grauiter ad me amici admittuntur diligenterque aures mee asseruantur ne intelligere eiuscemodi possem. dominus moldauie occisus est in cuius locum petrus qui erat pulsus suffectus est. maiestas uestra mittat huc aliquem ut habeam causam renouandi tractatus sed non speret budam se obtenturum nisi illam prius per dedicionem capiat a puero. existimo enim obtenturum me aliquid et si maiestas uestra uolet puero relinquere que habet ac his esse contenta que maiestas uestra possidet et uolet aliqua munera in annos dare tunc habere pacem perpetuam potest. consilium tamen *meum* esset ut pocius secretissime episcopo zagrabiensi committat mittat huc ad me hominem et literas cum multis sigillis ut ego nomine suo et meo tanquam banus conponeremus de tributo tanquam maiestate uestra inscia nam hoc modo liberabit maiestas uestra prouincias suas hereditarias a ruina que illis imminet et actionem contra puerum reseruabit et poterit commode bellum contra imperatorem gerere quia nunc tempus est cum imperator sit distractus cogitur enim in classem duo millia ad minus dare filiis uero contra sophi dabit quatuor ultra hos quos ibi paulo ante misit quoniam sibi ab illa parte uehementer timet presertim quod portugalenses bezaram occuparunt. de me nescio quid scribam non opto enim mihi bonum sine bono maiestatis uestre libencius tamen maiestati uestre in alio loco seruirem modum tamen nescio liberacionis mee quoniam timeo ne si maiestas uestra instaret magis mihi noceat quam prosit ita enim cristoforus semzei et petrus uaiuoda moldauie extulerunt nolo autem dicere de aliis ut credat imperator primo me in loco militie apud maiestatem uestram esse. hoc tamen maiestatem uestram rogo uelit me maiestas uestra pecuniis celerrime prouidere quia iam incepi ere alieno uiuere licet mihi uictualia dantur sed non tot uel talia ut illis esse contentus possem ego uero cogor pro honore maiestatis uestre uiuere ut orator nam et custodes ac eorum ministros nutrire et uestire cogor si uolo ut mihi aliquid concedant et rebus meis faueant nunctii etiam multum hic constant in quos a meo discessu plus quam trecentos ducatos impendi hic uero sub ista imperatoris indignacione dificillime es comparatur poterit autem maiestas uestra ueneciis pecunias apud maphiam bernardum uel apud franciscum leone qui est factor guilhelmi somaia quoniam isti respondebunt. comendo maiestati uestre uxorem liberosque meos quos suplex oro tueatur ut in eorum presenti calamitate maiestatis uestre sola benignitate solentur. nunctium huc citto maiestas uestra mittat ut supra. date constantinopoli duodecimo ianuarii. hieronimus laski minimus seruulus maiestatis uestre

barbarossa habebit ducentas triremes et piratarum habebit totidem comunia uela habuitque in animo anconam tentare sed subintelligo eum iam affricam iturum. optimum esset si classis maiestatis cesaree tentaret surripere quoniam sophi multum animaretur et magis imperatori insisteret et imperator turbato egipto magna ex parte opibus spoliaretur

XXXI.

Schreiben des Don Diego Hurtado de Mendoza, Gesandten Kaiser Karl's V. zu Venedig, an König Ferdinand I.

Venedig, 19. Januar 1541.

Aus dem von Secretärshand geschriebenen und von Don Diego corrigirten und unterzeichneten Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Der Zettel Laski's ist unter Nr. XXVII. abgedruckt.

A la. S. C. R. M^{t} el Rey de Romanos de Hungria y de Bohemia etc.

Das Siegel ist abgefallen.

S. C. R. M^{t}.

el primero del presente escreui a vuestra m^{t} todo lo que a la sazon occurria/ despues no me hallo carta de aquella y lo que podria dezir en esta vera vuestra m^{t} por la copia de la carta del emperador mi señor que va con ella/ otra cosa no tengo al presente digna de la noticia de vuestra m^{t} cuya vida guarde nuestro señor con acrescentamiento de rreynos y señorios/ de venecia a xix. de enero. M. D. xxxxj./

Rincon me embio la cedula que embio con esta a vuestra m^{t}/ la qual jeronimo laschi le dio en la prision/ y con esta van cartas de don diego lasso para vuestra m^{t}./

humil vassallo y criado de. v. m^{t}.

Don Diego Hurtado
de Mendoca

XXXII.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Konstantinopel, 22. Januar 1541.

Aus dem, die Adresse ausgenommen, durchaus in Chiffern geschriebenen Originale im k. k. geheimen Haus-Archive.

Soli Maiestati Regie etc.

Das über rothes Wachs gebreitetem Papiere aufgedrückte Siegel zeigt die in ein Monogramm verschlungenen Buchstaben H und K.

duodecimo die presentis quinto ad maiestatem uestram scripsi difficulterque et cum sumptu transmisi. imperator non pacem non inducias sed bellum decreuit suscipere et propterea hinc iam quinquagesimus dies est me hic sub custodibus relicto discessit secumque pecunias tentoria et equos duxit. irritauit enim eum maiestas uestra exercitu sub budam misso id quod maiestati uestre predixi ac prescripsi sciebam enim ita futurum ut accidit mihi nunc uero ultra hoc presens meum malum accidit mihi grauius malum dicitur enim exercitus maiestatis uestre relicta buda celeriter ad propria rediisse quod si est sine aliqua conclusione aut pactis cum budensibus initis factum suscepit maiestas uestra magnam nunc iacturam et nolo dicere aliud. imperator huc constantinopolim reuertetur

ut barbarossam cum ducentis triremibus expẽdiat ut filios prouinciis preficiat et ut natu seniorem contra sophi et portugalenses *mittat* qui nunc unum nobilissimum portum in sinu persico ubi eufrates mare inuoluitur nomine bazara acceperunt et illum diligentissime fortificant. sophi etiam hoc anno imperium suum exauxit debellato rege belch ac regno adempto nunc etiam regem kiortstan inuasit qui huc suos pro auxilio misit. pestis etiam atrox andrinopoli uiget que omnia eo altissimus tendit ne imperator ista estate contra maiestatem uestram progrediatur ut interim armare se et cum principibus imperii unire possit quod ut *cito* ac diligenter faciat supplex maiestatem uestram oro et obtestor datur enim ocasio et dabitur rebus feliciter gerendis. danubium maiestas uestra cicius quam potest armet. ualpo et soklus presidiis muniat et paciatur ut episcopus zagrabiensis mittat huc hominem cum literis multorum sigillorum ut hic pro sclauonia et croacia tanquam sine maiestatis uestre scitu de tributo componamus quia ita maiestas uestra suas hereditarias prouincias assecurabit et uires suas in unum coget et iunctis suorum uiribus solam hungariam tuebitur et adiutore christo protendet nam sclauoniam magno milite et impendio tueri nullo modo maiestas uestra potest contra martolossos et propter amissos passus. petrum uaiuodam expulsum iterum moldauie prefecit qui hic me unacum cristoforo semzei acusarunt ego tamen sum nunc extra uite periculum qui si uelim unam rem facere essem non liber solum sed et in gracia fidem etiam christianam retinendo sed hoc sit maiestas uestra certa quod sub suo hic nomine aut moriar aut uiuam neque me et familiam meam deturpabo. consulo autem ut huc aliquem sine mora ad me expediat si presertim exercitus maiestatis uestre a buda recessit ut haberem causam renouandi pro induciis tractatum. aut si maiestas uestra uult esse his contenta que in hungaria uiuente ioanne habuit et dare aliqua in annos imperatori munera ita enim et non aliter habebit maiestas uestra pacem. fama hic est esse quattuor cardinales toxico sublatos et quod papa florenciam aspiret facereque cum rege francie et uenetis confederaciones et aduenisse andrinopolim quendam nunctium sine nomine opinionemque esse quod sit a papa missus. id tamen apud maiestatem uestram certo afirmare nolo sed breui resciam ueritatem et illam maiestati uestre perscribam quamuis non sine periculo et sumptu id faciam. sciat maiestas uestra heri huc allatam esse commissionem ut ex sex millibus ianizerotis eligantur duo millia et in numerum ianizerorum ascribantur cogitur enim imperator contra portugalenses et sophi quatuor cum filio seniore mittere barbarossa eciam ducet secum duo millia positi sunt etiam pro presidiis in multis locis complures ita ut uix imperator habere sex millia eorum possit quos secum ducere uellet. sciat maiestas uestra iam me alieno ere hic uiuere et accepisse mutuo apud unum uere amicum turcum multa enim per uiam expendi multum in nunctios multum in uestiendam pro hieme familiam in quotidianum etiam sumptum indies aliquot florenos expendo quare maiestatem uestram precor subueniat mihi maiestas uestra subito pecuniis id uero maiestas uestra commode faciet per maphia bernardi aut factorem guilhelmi somaia. orator gallicus hinc ante duos menses discessit ad regem suum ut illum ad capienda arma concitaret qui si arma capiet tunc ego hic ad kalendas usque grecas ut aiunt detinebor. sed quia spe magna teneor quod exercitus maiestatis uestre se reduxit facta bona cum budensibus concordia supplex oro uelit maie-

stas uestra mei absentis graciosam racionem habere ne ego dum hic pericula et sumtus suscipio domi quoque mee damnum susciperem. comendo itaque maiestati uestre me uxorem et liberos meos cui oro iubeat his annexas transmitere. date constantinopoli uigesimo secundo ianuarii. hieronimus laski

XXXIII.

Schreiben König Ferdinand's I. an den Freistaat von Ragusa.

Wiener-Neustadt, 28. Januar 1541.

Aus dem von Adam Carl corrigirten Concepte im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Ragusinę Ciuitati.

Ferdinandus etc.

Prudentes et Nobiles fideles dilecti. Gratum nobis admodum fuit officium uestrum nobis in eo prȩstitum, quod literas Magnifici Hieronymi a Lascko Palatini Syradiensis Consiliarij et Oratoris nostri ad nos perferendas curastis, Nam ea in re non nisi summę deuotionis et obseruantie vestrę erga nos ardorem facile agnouimus, nec dubitamus vos etiam in posterum eodem erga nos animi feruore perseueraturos ac tam in simili quam alia quacunque in re, quam nostra quoquomodo interesse putaueritis, vos semper offitiosos ostensuros fore, Idquod erga vos omni gratia clementiaque nostra rependere curabimus, Ceterum fratrem Michaelem de Zizeris in his quę nobis vestro nomine narrauit exposuitque, clementer audiendum duximus, Quod vos impręsentiarum latere noluimus, Datum in nostra Noua Ciuitate die 28 Ianuarij 1541.

XXXIV.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Konstantinopel, 5. Februar 1541.

Aus dem, die Adresse ausgenommen, durchaus in Chiffern geschriebenen Originale im k. k. geheimen Haus-Archive.

Serenissimo Domino Domino meo Regi

Das Siegel wie bei Nr. XIV.

duodecima uigesima item secunda mensis preteriti scripsi maiestati uestre illasque uenecias ad factorem dominorum fucarorum transmisi. misi etiam antea ibidem binas. unas per abbatem de bibiena alteras uero ad marcum portulini et eius socium qui in uienna suum depositum habent. misi etiam binas ad bassam bosnensem et ultra has omnes misi hinc proprium nunctium undecimo die decembris per poloniam. omnibusque omnia perscripsi que nunc iterum breuiter perstringam. sciat ergo maiestas uestra quod nec pacem nec inducias imperator suscipere uoluit magnaque indignacione me ex sua audiencia expediuit neque finem sermonis audire uoluit fuique in grandi periculo sicuti

id maiestas uestra ab aliis cognoscet. imperator autem id acerbissime *tulit* quod maiestas uestra exercitum sub budam expediuit et ob id hinc primo decembris die andrinopolim se mouit ut ad estatem contra maiestatem uestram ueniat. me uero hic in constantinopoli detinuit. nullo enim modo induci potuit ut pateretur me andrinopolim uenire. sum ergo sub diligenti custodia sum enim delatus per cristoforum semzei et petrum uaiuodam de mea in turcas hostilitate et exploracionibus rerum turcicarum ita ut si non fuissent mihi pecunie maiestatis uestre tum etiam argentum meum et alie res actum fuisset de me. in qua calamitate mea hoc me uehementer conturbat quod intelligam maiestatis uestre exercitum retro a buda cessisse licet sit mihi spes maxima de facto aliquo cum budensibus contractu et maiestatem uestram propterea exercitum reduxisse ut sumptum reseruaret ad proximam estatem quod si ita esset uerteretur dolor meus in leticiam. mittat itaque huc maiestas uestra si ita est citto aliquem leuem nunctium cum literis ut habeam causam renouandi tractatum. si enim maiestas uestra budam accepit per dedicionem arbitror maiestatem uestram futuram uoti sui compotem. si uero budam hoc modo non potest maiestas uestra habere et puer cum matre ac suis rebellare maiestati uestre uoluerint in simili casu nullam pacis aut induciarum spem habeat nisi si maiestas uestra uolet his esse contenta que prius in hungaria habuit. imperatori in annos aliquid soluat ut maiestas uestra maiorem quam potest classem illo quo antea ordine consului quam citissime maiestas uestra expediat. ualpo bonis peditibus et duobus bonis fortificatoribus muniat quoniam licet sit natura locus fortis eget tamen reparacione. in soclus uero ponat equitatum et classis maiestatis uestre descendat danubio usque ad drauum et ibi fortificet nam hoc pacto imperator nullo modo progredi posset. imperator enim si maxime uelit non tamen potest ante quatuor menses esse apud drauum. redibit enim huc ut barbarossam cum armata expediat dolet enim quod barbarossa amisit sua in affrica loca. ut preterea hinc filios duos prouinciis preficiat. ut insuper contra sophi et portugallenses mittat qui nouissime portum ubi eufrates sinum persicum illabitur bazara dictum occuparunt. etiam exusto uxoris et mulierum suarum pallacio restitucioni consuleret quod uigesimo quinto preteriti arsit maximumque ibi damnum in gemmis pertulit quoniam ibi seruabatur totus muliebris mundus. arsit etiam eodem mense tam iudeorum uicus quam etiam domus et molendina municionum cum ingenti municionum perdicione. hec domus fuit extra galatam que si intra menia fuisset attulisset maximam urbi ruinam. redibit ergo huc imperator relictis andrinopoli equis et tentoriis propterea ut expedicio contra maiestatem uestram sequatur sed mea est opinio illum progredi non posse quoniam sophi uehementer instat bello qui nunc bino exercitu imperium suum dilatat. nam ex siruan duce fratre maiorem georgianorum partem qui cristiani sunt subegit solus uero est bello contra regem kiordistan ocupatus. opinio tamen mea nolo maiestatem uestram retrahat ab his que ad bellum pertinent quia habet maiestas uestra rebus gerendis celestem ocasionem. scripseram aliquocies maiestati uestre consilium meum de sclauonia et croacia ut secretissime maiestas uestra episcopo zagrabiensi committeret mittat huc hominem suum ad me cum literis multorum sigillorum et simulata pociorum de sclauonia et croacia subscripcione ut ego illorum et meo nomine per tributum pacificarem sclauoniam et croaciam et alias

maiestatis uestre hereditarias prouincias quoniam non uideo modum seruandi illas prouincias que dumtaxat per martolossos perdentur ut de equitibus taceam. maiestas uestra posset pacificata sclauonia et croacia uires suas omnes iuxta danubium colligere. petrus uaiuoda moldauie iniquis condicionibus obtinuit iterum moldauiam iamque est ex andrinopoli expeditus. promisit siculos et saxones facere tributarios tamen ego noui naturam hominis quare mittat maiestas uestra ad eum bamfi. contraxit enim hic multa debita propter largiciones et ferre non poterit esse sibi ademptam inferiorem moldauiam. ueneti aut orator uenetus sollicitant ut imperator contra portugallenses secundo eufrate expediat id quod etiam iam fecit facturus plura cum constantinopolim redibit. circa medium nouembrem orator gallicus hinc exiuit ad regem suum ut illum ad bellum contra maiestatem cesaream concitaret promisitque se intra quatuor menses rediturum. pestis que andrinopoli seuiebat iam non adeo furit. barbarossa habebit ducentas triremes tamen armare uix centum quinquaginta poterit. sciat maiestas uestra me esse edoctum quod imperator me hinc non dimittet sed me hic retinebit propterea ut sophi intelligat tractari inter imperatorem et cristianos pacem et ut imperator gallo cum detencione mea blandiatur. tractatum etiam mecum est ut essem apud reginam in buda et quedam alia sed ego decreui hic uiuere et mori sub nomine maiestatis uestre quare rogo cogitet maiestas uestra ut redire citto ad maiestatem uestram possim. preterea suplico habeat maiestas uestra mei absentis racionem in his precipue que debreczen bona concernunt ne dum hic propter maiestatem uestram detineor ibi etiam damnum cum dedecore meo susciperem. non dubito enim in regia maiestatis uestre bonitate cui me uxoremque et liberos meos humillime comendo. ex constantinopoli quinto februarii. hieronimus laski. post scripta intellexi imperatorem non uenturum ante unum mensem et medium est enim opus ut primum aliquomodo reparetur exustum pallacium ubi uxor sua possit manere. suplex oro transferri meas ad uxorem meam

XXXV.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Konstantinopel, 11. und 12. Februar 1541.

Aus dem, die Adresse ausgenommen, durchaus in Chiffern geschriebenen Originale im k. k. geheimen Haus-Archive.

Domino Pandolffo atavanti etc. etc. In Venezia

Das Siegel wie bei Nr. XXXII.

duos certos nunctios transmisi ad maiestatem uestram primum uigesima octaua octobris ex andrinopoli ubi oratores regis ioannis inueneram deinde ex constantinopoli undecimo die decembris. miseram etiam alium nunctium sed latro me prodidit et literas imperatori dedit. postea scripsi maiestati uestre per priolum factorem hic mafia bernardi ueneti ad manus factoris dominorum fucarorum scripsi item per abbatem de babiena dein-

de per antonium pandolfi ad manus portulinorum ueneciis. non potui tamen propter custodes frequencius maiestati uestre scribere sed quia timeo casus quominus deferantur et sciam plurimi interesse scire maiestatem uestram que hinc speranda sint et que hic fiant rursum presencium exhibitorem magna dificultate mitto et significo quod imperator inpacientissime me audiuit cum maxima indignacione dimisit neque audire uoluit finem legacionis mee et hoc propter exercitum maiestatis uestre sub budam missum et quia cesar in imperium uenit dixitque imperator maiestatem uestram pulcre illum decepisse trahendo inducias per estatem ut interim cum cesare conueniret et se armaret uersus budam et addidit quod post hiemem sequeretur estas innuens per hoc de sua expedicione contra maiestatem uestram et in summa magnis minis et bili est usus. tacebo quid respondi ego aut quanto in periculo constitutus fueram nam id ab aliis maiestas uestra intelligere potest. sequenti itaque die decretum est bellum contra maiestatem uestram et profectio in andrinopolim instituta. mihi uero suadebant nasum aures labiaque abscidi et ita ad maiestatem uestram dimitti sed solus imperator et bassa rennuit uolebat tamen me ex isto meo hospicio in locum alium transferre et ut omnes equos uenderem iubebat quod ne fieret maximo labore uix impetraui. rogaui etiam ut imperator concedat unum ex meis ad maiestatem uestram mitti sed impetrare non potui. exiuit itaque hinc imperator andrinopolim primo die decembris ducens secum duos filios et maximam pecunie uim tentoria ac equos corporis sui et proclamari bellum ubique in hungariam iussit et barbarossam hic reliquit ut armatam instruat quam ille diligenter apparat quoniam exagitatur ob ammissa in affrica loca et propterea magno estu uindictam parat. sciat maiestas uestra indies quasi huc a budensibus nunctios accurrisse pro suppecijs habendis quibus imperator decem sanzacos missurum se promisit. post discessum hinc imperatoris uaria huc de exercitu maiestatis uestre afferebantur quum tamen ego intelligam sanzachos uersus budam non fuisse profectos existimo maiestatem uestram cum buda optime iam concordasse id quod deus tribuat precor. si ergo maiestas uestra budam habet mittat huc cumprimum ad me hominem aliquem cum literis ut haberem causam renouare tractatum quoniam spero me obtenturum aliquid. si uero quod absit budam non habet tunc me informet maiestas uestra si uult esse his contenta que prius in hungaria habuit anno superiore et si uult maiestas uestra aliquod tributum concedere quoniam hoc modo spero me habiturum pacem nam de inducijs audire imperator non uult quas ego summo labore assequi studebam offerendo etiam uissegrad et thata castra que esse per maiestatis uestre exercitum adempta daturam maiestatem uestram in manus neutras regis polonie. si uero non est ex re maiestatis uestre relinquere puero hec que pater suus in hungaria habuit tunc nihil amplius de induciis speret sed consilium belli capiat et secretisssime episcopo zagrabiensi committat ut ille hominem suum huc ad me mittat cum literis multorum sigillorum ut uideantur ab ordinibus sclauonie et croacie misse et scripte ut hoc modo tanquam maiestate uestra inscia tributum firmaremus et maiestas uestra pacificaret prouincias hereditarias illarumque opera loco in alio uteretur quia timeo ne sclauonia et croacia inuita maiestate uestra aliquid turpius faciant. sciat etiam maiestas uestra non solum illa me distribuisse que maiestas uestra miserat sed et argentum mense mee et septem ligaturas pellium sa-

bellinarum quas hic ab uno amico mutuo accepi et cuius iam ere hic uiuo nam nutrio quinquaginta personas tam meas quam meorum custodum equos etiam habeo triginta duos et ab imperatore non dantur tot uictualia ut non cogar omni die aliquot ducatos in uictum impendere coactus sum etiam familiam propter frigus uestire et honeste eos qui sunt nobiles. in nunctios impendi circiter quadringentos aureos iamque in toto deficio. hic uero sub ista imperatoris indignacione nullus mercatorum mihi seruire uult quare oro subueniat mihi citto maiestas uestra ne ego hic cum turpitudine maiestatis uestre uiuere cogar et negligere res maiestatis uestre quoniam hic alii oratores splendori suis sunt sicuti orator gallicus qui hic absens familie sue eandem mensam tenet qualem tenebat ipse. ita etiam orator uenetus florentinusque ac ianuensis de sio insula. accidere etiam posset necessitas mittendi ad maiestatem uestram nunctium quoniam utilius est scire quid hostis faciat quam lucrari magnam pecuniam nunctii autem hic sub id tempus haberi non possunt sine magna pecunia nam hunc uirum bonum presencium exhibitorem magna fortuna et arte adeptus sum. ego enim sum nimis facilis ad ducendum calamum etiam pro rebus paruis quanto autem magis pro rebus quas scio ad maiestatem uestram eiusque bonum pertinere sed si carebo sumptu maiestas uestra ignoscet neque mihi imputare dignabitur quia nullus nunctius uult hic esse uerbis contentus illi enim quem ex andrinopoli dimisi dedi quadraginta ducatos dedi uestes et equum alteri qui prodidit literas meas imperatori dedi sexaginta equum et uestes tercio quem undecima decembris misi dedi quadraginta equum et uestes huic nunc quinquaginta et equum et alia quedam ego enim sum ab amicis informatus quod imperator decreuit me hic in constantinopoli detinere propterea ut sophi intelligat quod imperator habet apud se nunctium a maiestate uestra pro pace missum ut etiam rex francie id ipsum intelligat quare oro non deserat me hic maiestas uestra sed pecunia prouideat quia ego hic et uiuere et mori uolo sub maiestatis uestre nomine licet hic contendebant me in aliam sentenciam pertrahere dabantque modum liberandi me hinc cum commodo sed ego scio quid honor meus et fides erga maiestatem uestram exposcit. sciat maiestas uestra quod orator gallicus iuit in franciam ut rex francie bellum in cesarem moueret magnamque hic spem reliquit belli futuri exiuit autem hinc circa medium nouembrem. sophi eciam magnopere imperium suum indies auget quoniam nunc bino exercitu duo regna inuasit solus enim contra regem kiorthstan occupatus est frater uero suus maximam regni georgitarum qui christiani sunt et trapesunto adiacent *partem* subegit. portugallenses autem ante duos menses bazaram nobilissimum portum in sinu persico ubi eufrates mare illabitur acceperunt que res est imperatori molestissima tantoque magis quia illum ueneti sollicitant ut portugallenses expellat. uident enim sibi per portugallenses omnem indicam negociacionem sine qua ueneti mortui sunt impediri et propterea imperator huc ex andrinopoli ante finem marcii redibit relictis rebus suis bellicis ibidem tum etiam ut barbarossam cum armata expediat et ut hinc filios suos in prouincias expediat et ut sophi timorem incutiat reditu huc suo. uult tamen contra maiestatem uestram proficisci sed ego non credo si maiestas uestra buda gaudet nam cum barbarossa tria millia ianizarorum mittet contra sophi ante meum huc aduentum misit duo nunc contra portugallenses missurus est tria et licet nunc

dedit commissionem ut noui ianizari scriberentur duo millia tamen habere non poterit apud personam suam sex millia si esset contra maiestatem uestram iturus ipse uero sine ianizaris multis non solet proficisci quia in eis belli sui robur consistit sed tamen precor nolit se maiestas uestra firmare in opinione mea sed pocius se diligentissime instruat quia iam hinc missi sunt uiginti magistri bombardarum in semendriam ut reuiderent ibi municiones qui huc cum regestro duos remiserunt et iterum sunt expediti cum fabris et lapicidis circiter centum ut ibi globos facerent hinc etiam municiones cum nonnullis galeis mittentur ad danubium et hec sunt certa quare iterum precor agat maiestas uestra omnia summa diligencia et ante omnia classem expediat illo sicuti ego frequenter maiestati uestre suasi et ualpo quingentis hispanis militibus et totidem bonis martolossis muniat et quanto cicius maiestas uestra potest mittat ibi aliquos magistros qui ex terra facerent duos bastiones unum in hortu et alium ab altera castri parte et in soklus equites plures quod potest. dominus enim petrus pereni commeatu illa loca prouidere poterit si illi maiestas uestra succurret pecuniis. petrus uaiuoda moldauie missus est ad recuperandum suum dominium iuit cum ipso supremus magister stabuli cum paucis ianizaris multa hic contraxit debita propter largiciones ad quem consulo maiestas uestra dominum bamfi mittat quoniam illum amat uidetur enim mihi quod rebellabit tum propter iniquas condiciones quas coactus est suscipere tum propter ista hic debita que sunt usque ad centum millia ducatorum. post discessum imperatoris arserunt domus et molendina supra constantinopolim ubi municiones conficiebantur ac seruabantur ubi ingens uis municionum periit arsit etiam pallacium uxoris imperatoris ubi totus fere muliebris mundus periit arsit deinde iudeorum uicus

dum has scriberem uenit posta ab imperatore magna festinacione ad confinia sophi currens is attulit capitaneo ianizarorum commissionem ut duo millia ex nouis ianizaris legeret. scripserunt illi quidam amici quod imperator non sit huc uenturus nisi ad finem marcii neque mansurus hic supra decem dies sed iterum andrinopolim rediturus expedito barbarossa qui supra modum pecunias ab imperatore elicit. sciat enim maiestas uestra ab eo tempore postquam barbarossa ad seruicium imperatoris uenit quatuordecim milliones in armatam et maritimum bellum ducatorum expensos esse preter id quod nunc expenditur. uenit etiam huc una mulier iudea que semper curiam imperatricis sequitur estque in summa eius gracia et propterea huc missa ut exustum pallacium instituat edificare cum qua iniui practicam ut negocia maiestatis uestre per imperatricem renouare possem que dicit esse magnam dificultatem propterea quod imperator se in expedicionem armauit et ad regem francie scripsit iturum se contra maiestatem uestram nihilominus iubet esse bono animo redibitque andrinopolim et rem agredietur cuius que sit hic autoritas et que opes nolo scribere. huic ego dedi tractandi cum imperatrice modum quem ipsa uehementer probat promisique ei si fecerit quinque centum florenorum pensionem. hec mulier petrum uaiuodam nunc iuuit illique quindecim millia florenorum mutuo dedit. mandatum habuit barbarossa ducentas triremes armare tamen non credo tot armaturum. consulat maiestas uestra domino fratri suo cesari ut faciat quod sua armata alexandriam per uiam antiqui portus capiat quoniam id facile fiet si ex improuiso agre-

dietur nam per illam uiam est facilis aditus per hoc distrahentur imperatoris uires et sophi uehementer animabitur que si uictualibus muniri possit et in presidiis teneri afferret imperatori immensum damnum nihil enim ex egipto haberet et kairum multa millia cesari dare posset quoniam secundo nilo nauigiis cum sex aut septem millibus pixidariorum kayrum capi potest non obstante illa magna multitudine hominum que ibi est supra modum inermis et imbellis. maiestatem uestram rogo caueat ne orator uenetus qui apud maiestatem uestram est intelligat literas meas ad maiestatem uestram afferri. admoneat maiestas uestra dominum fratrem ut mihi cifras transmittat quoniam hinc possem mittere literas oratori ueneciis agenti. dominus etiam fukker scribat factori suo uenecias ut literas que ex constantinopoli ueniunt secretissime oratori cesareo tradat alias uero maiestati uestre mittat. istum presencium exhibitorem maiestas uestra ad sua seruicia accipiat et constituat illi maiestas uestra stipendium ducentorum florenorum in annum ut hic in constantinopoli maneat inter mercatores uenetos et maiestatem uestram de omnibus ocurrenciis informet quia meliorem exploratorem ad res turcicas gallicas et uenetas maiestas uestra habere non poterit quoniam habet ingenium et apud omnes oratores hic ac mercatores locum et graciam qua de re sum iam illi locutus et de modo auisandi frequenter maiestatem uestram. pollicitus autem sum illi a maiestate uestra ducentos florenos rinenses nam fidiorem et discreciorem isto inuenire non potui. est hic quidam nobilis uenetus frater constantini priuli qui mihi propter maiestatis uestre gratiam multa nunc officia exhibet cuius frater constantinus uolebat apud maiestatis uestre officiales arendare siluas in goricia quare oro committat maiestas uestra ut illi dicte silue arendentur ut ita eorum opera maiestati uestre ad multa posset esse utilis. pestis que andrinopoli seuiebat dicitur consedisse

hec sunt super que maiestas uestra deliberare et me informare debet. primum ut si buda est maiestati uestre dedicione data mitteret huc aliquem ad me cum ampliori super tributo informacione. secundo si buda non est capta si uult maiestas uestra pro his facere pacem que ante regis ioannis mortem maiestas uestra possidebat et habere perpetuam et quantum sit hic tributum firmandum quia inducias nullo modo imperator faciet quoniam exercitus maiestatis uestre sub budam missus exacerbauit illum. tercio si utrumque istorum fieri non potest si uult maiestas uestra admittere ut sclauonia et croacia pro se ut supra cum imperatore componat. spero tamen si maiestas uestra per dedicionem budam cepit et plura hic expendere in largiciones licebit quam mea instructio sonat habituram maiestatem uestram pacem nam hic pecunia multum nunc potest quia si illam non habuissem male stetissem et tractatus fuissem. tres beglerbegi missi sunt contra portugallenses erunt ibi in eufrate fluuio et in terra super triginta millia militum et ianizarorum duo millia. hec sunt que maiestatem uestram scire oportet. interim supplex oro dignetur maiestas uestra mei memor esse per suam regiam bonitatem ne presens mea calamitas et absencia aliquod mihi detrimentum afferat presertim quod hereditatem regis ioannis attinet et maiestatis uestre promissa ego enim hic omnia sub maiestatis uestre nomine usque ad ultimam sanguinis mei guttam paciar. scripte in constantinopoli undecimo februarii. hieronimus de lasko maiestatis uestre inutilis nunc seruitor

*

post scriptas intellexi certo regem francie scripsisse ad imperatorem nolit credere si dicerent aliqui esse inter se et cesarem factam pacem rogauitque ut imperator mittat centum triremes quibus pollicetur rex francie stipendium et commeatum se sufficienter daturum cui imperator respondit expectare uelle reditum rinconis. conqueritur rex francie contra cesarem et dicit quod papa sit sibi coniunctus. uenit etiam andrinopolim unus sine nomine qui esse pape suspicatur. hec mihi sunt ex andrinopoli per unum amicum scripta. moldauienses seu moldauia rebellauit imperatori et ante paucos dies suburbia kilie depredauerunt neque uolunt petrum pro domino acceptare contra quos expedietur sanzacus nicopolensis cum aliquibus aliis. imperator uero cepit podagra laborare in uno pede qui illi intumuit tamen amicus meus scribit illum omnino contra maiestatem uestram iturum ego tamen existimo illum mutaturum sentenciam si maiestas uestra cepit budam et si huc aliquem mittet. rincon fidem dedit rediturum se mense marcio. imperator huc redibit quinto die aprilis. hec mihi scripsit polonus turca sanguine iunctus uir prudens et grauis. supplex iterum precor mittat mihi maiestas uestra pecunias per uiam quam presencium exhibitor dicet. duodecimo februarii

hoc maiestas uestra pro certo sciat quod imperator misit unum suum secretarium ad bassam nandoralbensem ut profectus in auxilium budensibus ab illis quacunque arte posset budam intercipiat sed si foret aliqua dificultas uideret ne frustra tentaret. suplex precor iubeat maiestas uestra literas coniugi scriptas transferri

XXXVI.

Schreiben des Pfortendolmetsches Junis Beg an Hieronymus Laski.

Adrianopel, 8. März 1541.

Aus dem eigenhändigen Originale im k. k. geh. Haus-Archive.

Magnifico et illustrissimo orator. Trouomj. affare. Risposta. alla. de vostra Magnificencia. de dj vltimo. difebraro. per laqual vedo. hauette. Ricceuuto. doe mie lettere. et dipoj. ne ricercate. delle noue. qui per hora non ce. altro. dinouo. saluo. come petro. voiuoda. e intrato. impossesso. del dominio. de moldauia. e lo altro. vaiuoda. che limoldauj haueuono. misso. loro. medesimj. lo hanno. decapitato. et factollo. morire. et micho. proculap. lo hanno. preso. viuo. et incarcerato. Dele noue. de hungaria. sapiate. che liuostrj. hano expugnato. lo castello. vazo. et vicegrad. eston. beligrad. et impeste. stanno vna quantita. de fantaria con. alcunj. hungarj. che li. si sono fermatj tuto. questo. inuerno per istantia per tegnir. obsidiata. buda. et il sangiacho. de samandria. mechemetbej in compagnia. del sangiaco. de bossina. et murat voiuoda. et lo sangiachbej. de isuornich. insieme cum. altrj. sangiachj. si sono. acampatj. appresso. de peste. che sono. passatj. ildannubio. e stanno. presso. alboscheto. che e propinquo. a peste. et in loro. compagnia. sie petro petrouichi. et turch. ballent. et altrj. loro compagnj. et aspetono. la armata. naualle. anche e la loro. monition. per assaltare. peste. et cazar via. quelle fanterie. ma per essere stato. giazato. eldannubio. ditta. armata. naualle. non e possuta. montare

ne nauicare. e come desgiacera. loro. si procurerano. di fare el comandamento. del gran signore. perche. el gran. signor. ha comandato. che debia. andare Mechemet. bassa. con tremillia Janizarj. et doemillia. silichtarj. et altre giente a cauallo et cosi el beglerbej. dela gretia. con tutj. li sangiachj. et spachj. dela gretia. et romania. elqual beglerbej. e per partirsi. de qui. fra quatro. giorni per andare. in sophia a fare la massa. de lo esercito. et dipoj. andarsene cum cellerita. allauolta. debuda/ et Noj. fra pochj. giornj. piaciando adio saremo. delj. e stimomj. che sara per tuta questa luna/ el caualo che haueua. saytbei. se fatto. consegnare alo presente aportatore turco. come hauette ordinato. et circa che il dito saytbej debia venir a costantinopolj. per tenir compagnia a vostra signoria. sapiate che fu. dito. alla porta. et fu. comandato. che luj venisse. et abiando. luj affare alcunj soj Negotij. non ha possuto. venire. et essendo andato. a caza la Maesta del gran. signor. bisogno. che lo. aspectasse. ma ora che il signor torna. tutj sene vegniremo. de compagnia. insieme/ et circa. delj Negotij et factj. vostri. Rendeteuj. certo che. il Magnifico signor lutphj. bassa. lj. ha. improtectione. et affectionatamente. si moue inuerso quellj si. che non vi date fastidio. di cosa. nessuna. antèdete pure astare. di buona voglia. che idio sanno. et felice conseruj. vostra signoria. alla buona gratia. delaqual miracomando et offero essere sempre prontissimo. afaruj. ognj apiacere. pure che io possa. Datta in andrinopolj adj. viij. dimarzo 1541

eldedittissimo. de. vostra signoria

Ionusbej. interpreto. dela excelsa porta dela Maiesta invictissima del gran signore

XXXVII.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Konstantinopel, 13. März 1541.

Aus dem, die Adresse ausgenommen, durchaus in Chiffern geschriebenen Originale im k. k. geheimen Haus-Archive.

Soli Maiestati Regie Domino Domino meo clementissimo

Das Siegel unkenntlich.

si omnes litere mee maiestati uestre transportantur comendabit maiestas uestra meam diligenciam maxime uero propterea quod sub tanta custodia explorare negocia et illa maiestati uestre scribere possum quare nouissimis meis scripsi maiestati uestre quas hinc undecimo et duodecimo die februarii per proprium nunctium m̄isi quendam conradum de lincio maiestatis uestre subditum per quem maiestatem uestram de omnibus rebus cerciorem feci uidelicet quod imperator huc ex andrinopoli redibit ad decimum aprilis diem id quod maiestas uestra omnino futurum sciat scripsi opinionem meam non esse quod sit personaliter contra maiestatem uestram profecturus in qua etiamnum opinione persisto sed tamen amore dei precor nolit maiestas uestra se in opinione mea firmare

quoniam imperator equos suos tentoria et alios omnes suos apparatus andrinopoli relinquit iamque contra maiestatem uestram mehemet bassam qui tercium locum in consiliis retinet datis illi duobus milibus equitum ex curia qui soluchtari uocantur et uexilla crocea deferunt ac tantumdem lectorum ianiczarorum et insuper toto equitatu romanie ductore beglerbego qui iam precessit erunt ergo equites iudicio meo sexaginta milia et arcebuseri circiter tria preter martolossones ac nassadistas. commissionem habet ne si maiestas uestra budam possidet contendat eam expugnare sed ut ualpo obsideat ac imperatorem reddat de omnibus cerciorem quoniam si maiestas uestra urgeret uellet imperator progredi sed ego contrarium opinor instat enim sophi uehementer dicionesque suas extendit ac copias auget. plurimum etiam facit hoc. portugalenses portum bazara ubi eufrates sinum persicum illabitur acceperunt. timet itaque imperator ne si solus hungariam impeteret sophi sibi syriam eripiat et karamania deficiat. scripsi maiestati uestre quod orator gallicus se in franciam contulit ut rex arma contra maiestatem cesaream caperet post cuius discessum allate sunt litere ad secretarium quem hic orator gallicus loco sui reliquit ubi rex francie optat ut imperator armatam educat et quod rex francie uellet stipendium pro centum triremibus deponere sed imperator dixit se prius uelle reditum oratoris gallici expectare. scripsi etiam maiestati uestre de incendiis hic factis primum quod sit molendinum exustum ubi quinquaginta singulo die centenarii pulueris parabantur ubi arsit indicibilis municionum uis. arsit etiam pallacium uxoris imperatoris ubi omnis fere muliebris mundus absumptus est et presertim gemme et uniones nam aurum conflatum magna in parte inuenitur gemme tamen omnes preter adamantes corrupte sunt. arsit postremo iudeorum uicus. scripsi etiam quod imperator petrum uayuodam iterum moldauie prefecit quamuis habeat cum incolis moldauie aliquam nunc dificultatem tamen certo pocietur moldauia consuluique maiestati uestre ut ad eum miteret dominum bamfi quia ego scio eum rebellaturum propter causas quas prius maiestati uestre scripsi. opus tamen est ut illi maiestas uestra cum bombardis et municionibus subueniat et aliquibus pixidariis hungaris ut agrederetur castrum thehin nouiter extructum. repetere nolo que maiestati uestre tocies scripsi de presidiis in ualpo ponendis de fortificando pest de instituenda et expedienda classe quoniam ego in eadem sentencia persisto. sciat maiestas uestra quod si budam possidet hungaria excursionibus impetetur itaque in soklos et quinqueeclesiis deinde segedini sunt tenendi equites supra tamen omnia classis et utinam ego nunc essem apud maiestatem uestram qui nunc assidue absenciam meam defleo non ob aliud sane nisi quia non possum factis prestare que maiestati uestre suasi. scripsi etiam maiestati uestre quod barbarossa ducentas triremes sit armaturus tamen non armabit illas ita facile expectabitur enim orator gallicus qui ad quindecimum aprilis diem terminum reditus sui posuit est ergo mea opinio quod armata ista estate hinc non soluet uel si soluet uix erunt centum triremes quamuis barbarossa incumbit ut classis armaretur desperatque quod hactenus nihil sit certi conclusum ita sicuti illi imperator promiserat quum illi fuisset nouum allatum de ademptis suis in affrica per cesarem castris. reddat maiestas uestra cesarem cerciorem quia barbarossa omnes literas quas ad illum cesar uel prorex sicilie mittit ostendit huic imperatori. preterea quod hic magna pecunia edificauit uirida-

rium cum amplissimis edibus. dedit etiam nuper hic uxorem filio suo. dedit insuper magnam pecuniam mutuo certis personis in gracia imperatoris constitutis. quod postremo detinet illum bombardarium et socium suum hispanos qui ante pugnam apud pruessam cum andrea doria initam ad ipsum missi erant in causa defectionis ad cesarem et propterea existimo eum dolo agere quamuis sui intimi dicant eum omnino defecturum primum propter summum odium quo hic ab omnibus bassis persequitur ob id quia erarium imperatoris fere in toto euacuauit concitantes contra illum imperatorem repetundarum et ut calculum faciat perceptorum id quod ille facere nullo modo potest nam per manus suas expositi sunt circiter quindecim milliones et nunc singulis diebus expenduntur supra tria millia ducatorum timet itaque barbarossa ne leui causa uitam simul cum substancia amittat. deinde habetur odio barbarossa propter amissum tunetum et ob id sui intimi afirmant eum ad cesarem defecturum tantoque magis nunc quod in africa omnia ammittit significantque mihi uiridarium eum extruxisse filiumque nubsisse et pecunias mutuo dedisse ut parata sibi maiori hic fide tanto facilius deficere posset. significant etiam mihi bombardarium et eius socium ob id esse detentos quod uenit classis contra eum quum adhuc haberet terminum quindecim dierum ad quem a domino alarcone ille bombardarius promittebat esse uenturam expedicionem et conclusionem sue cum cesare practice reiecitque omnem culpam in doriam quod noluerit eum socium aut confederatum sed nacta magne classis ocasione captiuum habere qua putabat eum posse absorbere de quo barbarossa conquestus est apud illum bombardarium ut supra. significatur etiam mihi quod barbarossa admonuerit in tempore proregem sicilie se esse expeditum eo ordine contra castrum nouum ut hispani milites non possent illud retinere hortaturque ut illos milites educeret admonuit etiam eosdem milites ante expugnacionem fuit etiam hic iam annus est hispanus quidam nomine uergara frater capitanei uergara apud barbarossam qui secrete in domo sui tesaurarii hospitabatur et multis diebus tractabat negocium fuisseque in hoc diferenciam quod cesar nolebat dare in manus barbarosse fortalicia quarundam ciuitatum uel prouinciarum quas cesar se daturum in conuencione promittebat barbarossa uero fortalicia etiam optabat is uergara a quodam iudeo uisus hic fuit in ciuitate cum uno hispano medico barbarosse spaciari qui illum neapoli nouerat et ita res fuit ad imperatorem delata coactusque fuit barbarossa medicum suum tormentis exhibere ut dicat de uergara prius tamen cum medico barbarossa conuenerat ne fateretur sed ut suferret torturas quas leues facturum se promittebat medicus ergo quum nihil recognouisset dimissus et deinde per barbarossam in siciliam transmissus est qui uisus est incolumis sicilie. uenit etiam ante duos menses ualencianus quidam renegatus qui in opugnacione castri noui hispanos de multis rebus admonebat eratque ob id per bassam bosnensem in carcerem coniectus sed postea perfractis compedibus aufugit siciliam. is huc ueniens satis incaute literas captiuis hispanis obtulit quo intellecto barbarossa eum captiuauit. is retulit quod habuisset literas ad barbarossam a prorege sicilie sed eas fuisse hic prope constantinopolim furto cum aliis rebus sublatas et propterea non auderet se barbarosse sine literis exhibere. hunc barbarossa licet captum tamen bene tractat remittetque illum per primam ocasionem siciliam. die etiam dominico nuper carnispriuii uenit

unus ioannes aragon nomine in galeone gallico qui bis iam fuit presens cum barbarossa sed cum tesaurario barbarosse fuit frequens tamen non potui adhuc intelligere practicam breui tamen cognoscam nam iste tesaurarius hispanum unum redemit et libertate donauit a quo partim intelligam partim uero ab aliis. iste redemptus fuit sergens capitanei riarani et habet arctissimam coniunctionem intimi cubicularii barbarosse ex lipari insula oriundi cui barbarossa multum fidit et qui dicit quod barbarossa iam aliquocies dixerit si semel hinc egredi posset nunquam se amplius rediturum. iste tesaurarius est ualencianus nomen suum est dun emanuel filius dun mun mihael de uilla noua qui propter illam rebellionem exulando fuit captus in africa. est etiam quidam maurus hispanus captus in nadino dalmacie qui multa beneficia captiuis facit exemitque aliquot ex suo et nunc parat hinc ad cristianos exire is mihi nunctiat quod barbarossa sit omnino fugiturus cum quinque uel sex triremibus existimo autem eum mitti a barbarossa hoc tamen certum est quod barbarossa suas omnes opes in uiridarium extra constantinopolim transtulit est autem nunc pessimi animi quod imperator difert armare classem et expectat reditum oratoris gallici et propterea incertum est hoc anno de classe. sciat quoque maiestas uestra quod uenetorum dux soluit his diebus centum millia ducatorum circa quam solucionem dictum fuit oratori ueneto quod imperator uult ut iuxta capitulacionem sint ueneti amicis amici et inimicis inimici uelle itaque ut cesaris hostes fiant et amici regis francie tamen orator uenetus noluit polliceri quidpiam sed scripsit ad ducem uenetorum. fuit etiam ante aliquos dies unus nunctius apud imperatorem secretus et non habens nomen sed iam est expeditus homo italus et incipiens canescere. mehemet bassa qui contra maiestatem uestram expeditur ducet secum centum quinquaginta bombardas et trecentos bombardarios. de triremibus que debebant ire ad danubium nullus nunc sermo fit quoniam imperator hic expectatur circa finem presentis cuius uxor cras constantinopolim ingredietur quum itaque imperator huc ueniet omnia exactius maiestati uestre scribam. de rebus meis nescio quid scribam precor tamen maiestatem uestram uelit me hinc per medium regis francie eliberare et concedat mihi ut possem ea cum imperatore tractare que in commissis non habeo quoniam ego non dabo maiestatis uestre plenum mandatum ad manus imperatoris et quamprimum extra confinia essem statim rescriberem imperatori me egisse contra maiestatis uestre commissionem ob id quo me liberare potuissem qui contra ius gencium detineat si tamen indignum maiestate uestra hoc uidetur et uult hic me domini dei uoluntati committere tunc superanda erit fortuna ferendo. scripsi maiestati uestre iam me esse ad eam penuriam redactum ut coactus fuerim mutuo hic a creditoribus accipere. accepique inter alios a paulo de gradi ciue raguseo florenos trecentos quos precor faciat maiestas uestra persolui ueneciis per factorem dominorum fucarorum cristoforum milich ut fidei mee satisfiat et habeam modum per istum raguseum literas ad maiestatem uestram transmittere. precor etiam prouideat mihi maiestas uestra ut ego hic cum decore maiestatis uestre stare possem quoniam indies mihi uictualia adimuntur omnia preterea hic maius indies precium assequuntur ita ut nulla sit dies que ad minus quinque florenos non absumat taceo de aliis infinitis ocurrenciis *que* pecuniis egent. maiestas uestra mittat huc ad me aliquem cum literis saltem ut habeam. causam renouare

tractatum et si non uult facere maiestas uestra pacem sine possessione tocius regni hungarie tunc consulo permittat maiestas uestra ut sclauonia et croacia tributum polliceatur tanquam sine scitu maiestatis uestre et episcopus zagrabiensis mittat ad me hominem et literas cum multis sigillis ut ego nomine suo et meo tanquam banus et incolarum conponeremus cum imperatore quia maiestas uestra hoc modo liberare posset sclauoniam et croaciam ad tempus et suarum hereditariarum prouinciarum auxiliis uteretur libere contra imperatorem. dum presentes scribo allate sunt mihi litere ab amico ex andrinopoli quibus docet seruitorem domini petri pereni uenisse ad imperatorem ut pacem promoueat de me uero nullam fieri mencionem que utinam succedat. nam licet is nunctius ad me sub mea hic detencione mitti debuit ne muneris mei autoritas debilitetur neue ego hic habear pro cifra exopto tamen maiori etiam meo incommodo uel ignominia ut illam non solum dominus petrus mihi amicissimus sed quicunque alius conficiat. scripsit mihi idem amicus quod cesar letali malo esset deiectus et quod maiestas uestra cucurrisset ad illum. scripsit ualentinum turec cum petrouicz turcis se coniunxisse esseque omnes ad danubii ripam castrametatos et expectare ut glacies in danubio liquescat ut naues cum municionibus et alia ascendere possint. in buda uero esse fratrem georgium cum podmaniczki. scripsit etiam quod imperator omnino non ibit contra maiestatem uestram licet se iturum iactet. et licet ego huic amico credo mea etiam eadem sit opinio tamen oro nolit maiestas uestra et cesar credere sed maiori apparatu quo possunt rem agrediantur quia est tempus nunc. uxor imperatoris cras intrabit constantinopolim cui iuit obuiam uxor barbarosse ut lamentaretur de amissis in africa locis. solus etiam barbarossa uadit ea pro re ad imperatorem qui hic arbitror erit circa finem presentis. ego hic pro instrumento utor bartolomeo carabeo medico italo uiro integro et summe erga uestram maiestatem fidei quare precor uelit sibi maiestas uestra aliquid scribere ut eo alacrius maiestati uestre seruiat fuit cum hispanis per totum tempus quo maiestati uestre meruerunt uir bonus et miles et doctus. comendo perpetuam seruitutem maiestati uestre me pariter cum tota domo mea. ex constantinopoli tredecima marcii. hieronimus laski. suplex oro meas ad uxorem transmitti

XXXVIII.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Konstantinopel, 17. März 1541.

Aus dem, die Adresse ausgenommen, durchaus in Chiffern geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Die Adresse wie bei Nr. XXXVII. Das Siegel wie bei Nr. XXXII.

denas hinc ad maiestatem uestram literas transmisi quibus diligenter omnia perscripsi presertim uero per tres proprios nunctios quos ad personam maiestatis uestre misi et ob id tum etiam propter festinacionem non possum omnia nunc repetere sciat autem maiestas uestra quod imperator huc redibit circa presentis finem et contra maie-

statem uestram expediuit mehemet bassam unum ex quatuor bassis cum duobus millibus ianiczarorum et totidem equitibus curie sue qui uocantur soluchtari iuit etiam beglerbeg grecie cum omnibus sanzacis romanie eritque exercitus ad septuaginta millia hominum. scribit mihi amicus ex andrinopoli quod imperator non ibit contra maiestatem uestram licet equos et tentoria ex andrinopoli herbatum ad zofiam premittat et famam spargat se omnino iturum. uxor imperatoris heri constantinopolim ingressa est inter cuius magistrum curie intercedit mihi amicicia et munera is mihi hoc ipsum nunctiat dicit tamen quod imperator ibit si exercitus maiestatis uestre ad essek procedet. sciat maiestas uestra pro certo quod sophi instat et quod contra sophi coguntur nunc omnes natolie karamanie trapesunti sirie et mesopotamie copie amisitque imperator nunc duos precipuos capitaneos qui sunt a propriis mancipiis occisi quos sophi subministrauit. barbarossa est pessime contentus quod imperator protrahit armare classem quoniam imperator expectat ut rincon a rege francie reuertatur. terminus reditus sui est pasca mea tamen est opinio quod etiam si rex francie optaret non poterit armare supra sexaginta triremes. que mihi ionus scribit mitto maiestati uestre. de me nescio quid scribam quia preter id quod huc sub bello et sine saluoconductu ueni sum pessime per proditorem semczei acusatus quare supplico agat maiestas uestra per medium regis francie de eliberacione mea uel per alium quempiam modum. sciat etiam maiestas uestra me iam diu laborare alieno ere quare suplex oro prouideat mihi maiestas uestra ne hic cum turpitudine maiestatis uestre et maiori meo periculo heream et precor mittat ad me maiestas uestra aliquem ut habeam causam renouandi tractatus cum imperatore. si maiestas uestra uellet his esse contenta que sub morte regis ioannis possidebat et dare aliquod tributum haberet arbitror maiestas uestra pacem. mehemet bassa habet in commissis ut quocunque modo posset budam intercipiat sub regina si uero budam maiestas uestra habet quod budam non obsideat sed ut ualpo expugnet et hungariam excursionibus fatiget quare amore dei maiorem quam potest classem instituat et iubeat omnino manus in aqua conserere etiam si hostes plures haberent naues quoniam hostes suferre non possunt tormenta maiestatis uestre neque galeas habent. doleo usque ad lacrimas quod maiestati uestre ea in re nunc seruire non possum quoniam habet nunc maiestas uestra ocasionem magne uictorie quia iste bassa non est militaris neque fortunatus cum quo inuiti ianizari eunt propterea quod contra persas pugnans ab illis aufugerat et perdiderat eorum circiter mille imperator tamen eum mittit consilio basse ut hoc pacto factionem que est contra bassam diuidat. equites ex curia imperatoris qui sunt expediti contra maiestatem uestram habent uexilla crocea inter quos stabit ad pugnam bassa in hunc igitur globum tormenta potissimum sunt impellenda. si maiestas uestra habebit budam per dedicionem arbitror me aliquid hic apud imperatorem obtenturum. scribit mihi amicus cesarem esse letaliter infirmum et maiestatem uestram cucurrisse ad illum id quod dolores meos uehementer exauxit. petrus uaiuoda moldauie iam est in suum dominium restitutus mittat maiestas uestra ad eum dominum bamphi et oferat aliquas bombardas et aliquos pedites qui in hungaria haberi poterunt quoniam cogetur rebellare quia pollicitis facere satis non potest quia est supra centum hic milia ducatorum debitor quia moldauienses ferre non possunt dismembracionem

moldauie et propter alias causas iudicio meo rebellabit. barbarossa ab omnibus nunc bassis odio persequitur propterea quod fiscum imperatoris debilitauit nuncque postquam basse uident eum in africa amisisse tot loca contemnunt eum neque amplius timent ne ad cesarem deficiat cum quo nunc cesar facile rem componeret quod ut faciat consulo. alia nunc non sunt nisi quod oro uelit maiestas uestra pecuniis me prouidere. ex constantinopoli decimo septimo marcii. hieronimus de lasko

XXXIX.

Instruction König Ferdinand's I. für Tranquillus Andronicus bei Dessen Sendung nach Polen.

Wien, 20. März 1541.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Instructio pro Tranquillo ad Reges Polonię.

Ferdinandus etc.

Instructio de ijs rebus quas res Egregius fidelis nobis dilectus Tranquillus Andronicus Secretarius et Internuntius noster apud Serenissimos Principes Dominos Sigismundos Reges Polonię etc. nec non apud Serenissimam Dominam Bonam Reginam Polonię etc. et vniuersos denique Proceres ac Magnates Polonię tàm Ecclesiastici quàm Secularis Ordinis pro Magnifici fidelis nobis dilecti Hieronymi à Lasco Consiliarij et Oratoris nostri apud Turcarum Cesarem retenti liberatione nomine nostro procuranda agere debet,

Inprimis post exhibitas nostras literas Credititias Serenissimis Regibus ac Reginę Polonię Salutem fraternum amorem et beniuolentiam nostram exponat,

Deinde vero in memoriam reuocet Serenitatibus suis Magnificum Hieronymum à Lasco non antea venisse ad seruitia nostra quam in id consensissent ipsi Reges Polonię suamque voluntatem super ea re literis ad nos scriptis declarauerunt, Eo itaque nos sepe vsos fuisse referat probo ac fideli seruitore in arduis rebus nostris et Reipublicę Christianę ac eum ipsum ante aliquot menses ad Turcarum Principem misisse commodis publicis sic flagitantibus, quem cum à Turca sub custodia detineri intellexissemus magnę nobis curę hactenus fuisse quo pacto Lascum è periculo eximeremus nec vllum tempus omisisse cogitandi querendęque occasionis vię atque rationis eius liberandi propter ipsius fidem eximiam et quod vtilem eius operam atque studia fore Christianę Reipublicę arbitramur, His proinde cogitationibus cum occuparemur superuenisse Magnificum nobis dilectum Stanislaum à Lasco, solicitumque de salute fratris supplicasse nobis ut in liberando fratre vteremur gratia Regum Polonię eo quod illis integra manet amicitia cum Turco, id quod nos vel antea vltro facere decreueramus,

His itaque expositis Tranquillus conetur persuadere Polonię Regibus summa cum dexteritate, bonisque rationibus, ut mittant suos Oratores ad Turcam, per quos agere curent, ut eorum Subditus et Consiliarius non minus quam noster, quorum optima voluntate nobis seruit, primo quoque tempore liberetur, Et licet non dubitemus Reges

Polonię vel sua sponte curaturos vt ipsorum Senator liberetur, tamen illam omnem beniuolentiam in nos collatam esse arbitraturos atque adeo grata memoria persequuturos fore,

Preterea diligenter instet et sollicitet quod Reges Polonię alterum Oratorem Stanislaum scilicet Lascum vel ipsum solum mittant, presertim cum nemo fidelius curaue maiore aut studio rem fratris quam frater acturus sit,

Eadem ferme Proceribus Polonie post salutationem et gratię erga eos nostrę benignitatisque commemorationem paucis mutatis dicenda venient,

Insuper idem Tranquillus alia etiam in hanc sententiam Regibus et Proceribus Polonię dicat vel consilio ipsius Stanislai à Lasco quę ad rem pertinere et presenti negotio accomoda esse posse videbuntur, Nostram in ijs omnibus expressam et omnimodam executurus voluntatem, Datum Viennæ xx Martij 1541.

XL.

Beglaubigungsschreiben König Ferdinand's I. für Tranquillus Andronicus.

Wien, (20. März 1541).

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Regi Polonię Seniori.

Ferdinandus etc. Serenissimo etc. Commisimus nonnulla Egregio fideli nobis dilecto Tranquillo Andronico Secretario et Internuntio nostro Serenitati vestrę nomine nostro exponenda, quę cum de mente et voluntate nostra procedant, atque adeo ad Magnifici Hieronymi à Lasco, Palatini Syradiensis, Consiliarij nostri, apud Turcarum Principem in Custodia retenti, procurandam liberationem pertineant, Serenitatem vestram singulari et fraterno prorsus studio hortamur, velit iamdicto Secretario nostro in his, quę Serenitati vestre verbis nostris declarauerit, plenam et indubitatam fidem adhibere seque ita superinde gerere et ostendere, prout in eam plene confidimus, Id quod omni offitio beniuolentiaque erga se nostra compensare studebimus, Quę felicissime valeat, Datum Viennę

In simili mutatis mutandis ad Iuniorem Regem et Reginam Polonię

Ferdinandus etc.

Commisimus nonnulla Egregio fideli nobis dilecto Tranquillo Andronico Secretario et Internuntio nostro vobis nomine nostro exponenda, quę cum de mente et voluntate nostra procedant, atque adeo ad Magnifici Hieronymi à Lasco, Palatini Syradiensis, Consiliarij nostri, apud Turcarum Principem in custodia retenti, vestri nimirum Collegę et Amici, procurandam liberationem pertineant, vos singulari studio requirimus et hortamur, velitis iamdicto Secretario nostro in his, quę vobis verbis nostris declarauerit, plenam et indubitatam fidem adhibere vosque ita superinde gerere et ostendere, prout in vos plene confidimus, Id quod omni gratia beniuolentiaque nostra compensare volumus, Datum Viennę

Item alię literę Credentiales ad Ioannem Comitem in Tharnow
Illustris syncere nobis dilecte
Item ad vtriusque Status tàm Ecclesiastici quàm Secularis literas Credentiales separatim
Reuerendi Venerabiles Deuoti syncere dilecti
Item Illustres Spectabiles Magnifici Generosi syncere nobis dilecti

XLI.

Schreiben König Ferdinand's I. an Sultan Suleiman I.

Wien, 28. März 1541.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Turcarum Principi.

Serenissimo etc. Ferdinandus etc. Intelleximus Magnitudinem vestram grauiter indignari quod interim dum Oratorem nostrum Magnificum Hieronymum à Lasco pro confirmanda et stabilienda pace tàm pro nobis et Hęredibus nostris, quàm etiam pro omnibus Regnis Dominijs et Principatibus nostris hęreditarijs et maxime pro Regno Hungarię ad Magnitudinem vestram expediuimus, nonnullas copias Militum nostrorum ad Hungariam miserimus et ob id eandem Magnitudinem vestram falsis de nobis delationibus adductam prędatum Oratorem nostrum detineri fecisse, credens scilicet nos non habere syncerum animum ad suscipiendam pacem cum Magnitudine vestra, Id quod non parum admirati sumus, Nam si Magnitudo vestra cogitet et in memoriam diligentius reuocet, quam syncere nos erga Magnitudinem vestram in obseruanda pace cum ea superiori tempore suscepta gesserimus inueniret certe mentem nostram semper eo inclinatam fuisse, vt ne in aliqua re Magnitudinis vestrę authoritatem contra verbum nostrum offenderemus, et quicquid intercessit, quod ex parte nostra Amicitiam illam, quam cum Magnitudine vestra iniuimus, aliquo modo ledere videbatur, id omne profecto et inuitos et coactos nos fecisse Magnitudo vestra si rem attentius consyderet facile reperiet, Equidem non debet tantopere molestę ferre Magnitudo vestra id quod Gentes aliquas ad Hungariam expediuimus, Non enim hoc fecimus in offensionem aliquam Magnitudinis vestrę sed vt tractatibus pacis cum Rege quondam Ioanne initis satisfaceremus, certorumque hominum nobis rebellium et inobedientium conatibus, qui multa in contrarium ijsdem pacis tractatibus machinantur, obuiam iremus, Fuit autem inter nos conclusum et iureiurando firmatum, vt defuncto ipso Rege Ioanne nos in regnum immediate succederemus, prout antea Magnitudini vestrę per Oratorem nostrum significauimus, non obstante etiam eo, quod ipse Ioannes heredem post se relinqueret, Quare vltra pristinum ius nostrum quod nobis ad regnum Hungarię legitime competit, accessit etiam hoc, quod idem Ioannes Rex in nos suum quoque ius quod à Magnitudine vestra pro parte habuit, libere transtulit, faciendo scilicet nobiscum pacem et firmiter asseuerando se hoc facere ex voluntate et permissu Magnitudinis vestrę, Quamobrem si hoc fecit ex consensu Magnitudinis vestrę non mereri videmur cur Magnitudo vestra non velit nunc post obitum ipsius Regis Ioannis precibus nostris acquiescendo

permittere, vt cum bona voluntate Magnitudinis vestrę habeamus et possideamus dictum Regnum Hungarię presertim qui cupiamus et velimus nos ita per omnia gerere et exhibere erga Magnitudinem vestram, vt Magnitudo vestra de nobis peroptime sit contenta futura, Nihil enim magis desyderamus, quàm in perpetua amicitia et pace cum Magnitudine vestra permanere, et non solum parati sumus pro ea parte Regni Hungarię, quam hactenus tenuimus, verum etiam pro portione illa, quam Ioannes Rex possedit, amicabiliter honeste et syncere cum eadem Magnitudine vestra concordare et componere, Si vero antedictus Rex Ioannes non fecit ex voluntate Magnitudinis vestrę nobiscum pacem, non est cur Magnitudo vestra non nos potius quàm infantem illius Regis Ioannis in Regno Hungarię dimittere velit, Et cum hec ita et non aliter se habeant cumque iamdicti Regni possessionem non nisi cum Magnitudinis vestre annuentia, bona voluntate, et perpetua indissolubilique amicitia consequi etiamnunc vehementer cupiamus nosque erga eandem Magnitudinem vestram tanquam bonos vicinos et fęderatos in vniuersum gerere plane statutum habeamus, et ob id decreuerimus nouos et solennes ad Magnitudinem vestram Oratores mittere ad tractandum et concludendum nomine nostro vnà cum priori Oratore nostro Magnifico Hieronymo à Lasco perpetuam pacem et amicitiam cum Magnitudine vestra et ad cóncordandum honestis modis vijs atque medijs super toto Regno Hungarię, Magnitudinem vestram singulari studio rogamus, velit nobis pro Oratoribus illis quos ad eam expedire proposuimus, Saluumconductum concedere et per hunc hominem nostrum transmittere, neque patiatur se fictis quorundam maleuolorum nostrorum calumnijs contra nos irritari, dc quibus si iuditium ex preteritis rebus fecerit, facile reperiet eos non ita Magnitudinis vestrę glorię et fortunarum accessionibus fauere prout ipsi presèferunt aut potius simulant, neque tantum procurare Magnitudinis vestrę commodum quàm suam propriam vtilitatem, et sic Magnitudinis vestrę fauore et amicitia abuti, id quod Magnitudo vestra deinceps etiam clarius proculdubio cognoscet, Insuper rogamus Magnitudinem vestram, vt prefatum Hieronymum Lascum Oratorem nostrum pro iure gentium, quo vniuscuiusque principis Oratores tuti et securi esse consueuerunt, à retentione sua liberum esse iubeat, factura in eo rem magnanimitate sua dignam et communi æquitati consentaneam, Et cum his Magnitudinem vestram quàm felicissime valere et nos sibi commendatos esse cupimus, Datum Viennæ Pannonię Die xxviij Martij Anno etc. 1541.

XLII.

Dasselbe Schreiben in italiänischer Sprache.

Wien, (28. März 1541).

Aus dem von Adam Carl corrigirten Concepte im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift von der Hand Adam Carl's: Ad Cesarem Turcharum.

Al Serenissimo et Potentissimo Principe et Signore Soleymano Imperatore di Turchi et di Asia et Gręcia etc. mandamo a dire et nunciamo Noi Ferdinando per la diuina gratia Re di Romani di Hungaria et Bohemia, Archiduca di Austria etc. reuerente Salu-

tatione con accrescimento de ogni fęlicita et amore. Serenissimo et Potentissimo Principe. Hauemo inteso qualmente vostra grandeza e molto desdegnata et commota per la causa che hauendo noi mandato da vostra grandeza il oratore nostro Magnifico Hieronymo Lasco per confirmar et stabilir pace per Noi et li hęredi nostri et etiam per tutti li Regni Dominij et Principadi nostri hereditarij, et maximamente per il Regno di Ongaria, et nientedimancho in questo mezo habiamo expedito et mandato nel detto Regno di Hungaria certo numero di Gente et Soldadi nostri, per la qual cosa con falsi reportamenti et accusation contra di noi fatti apresso la vostra grandezza, quella esser indutta a far retenir il predetto orator nostro credendo noi non hauer syncero animo a far pace con la vostra grandeza. Del che noi semo molto marauigliato, perche pensando et rementando vostra grandeza diligentemente quanto synceramente ne hauemo deportato in obseruar la pace gia per il tempo passato fatta con vostra grandeza, quella per certo trouara, che la mente nostra e sempre stata syncera et inclinada de non offender la grandezza vostra ne l'authorita sua, contra la promessa et parola nostra, trouara anchora vostra grandeza se repensara il tutto con diligentia, che quello che e intrauenuto che da parte nostra par hauer offeso l'amicitia fatta con vostra grandeza, non uoluntieramente hauemo fatto ma semo stati sforzati a farlo, Perho non deba esser tanto molesto a vostra grandezza quello che noi hauemo mandato vn certo numero di nostri Soldadi nel Regno di Ongaria, Perche tal cosa non se da noi fatta per offender in alchun modo la vostra grandeza, ma per satisfar a li tractadi di pace fatti con il quondam Re Zuane et per obuiar a certi trattamenti di alchuni a noi rebelli et inobedienti, li quali trattano, et fano molte pratiche et machination contra li ditti tratadi di pace fatti con il ditto quondam Re Zuane, li quali trattadi tra noi fatti et iurati di obseruar, contenero che poi la morte di esso Re Zuane, noi douessimo subito succeder nel Regno, non obstando chel hauesse et lasasse da poi se herede alchuno, secondo che per auanti per mezo del orator nostro hauemo significado a vostra grandeza, Ita che oltra la prima rason nostra legitima nel detto Regno, hauemo anchora questo, che il ditto Re Zuane ha cedudo et transferido in Noi ogni rason sua, la qual per certa parte lui ha hauudo da vostra grandeza, facendo cosi con noi pace, et affirmando che questo faceua con uolunta et permission di vostra grandeza, Pertanto hauendo lui tal cosa fatto con il consenso di vostra grandeza, non ne par hauer meritado, che la vostra grandeza adesso poi la morte di detto Re Zuane non uoglia dar logo a li pregeri nostri et permetter, che con bona uolunta di la prefata grandeza uostra habiamo et possidiamo il detto Regno di Hungaria, et maxime poi che indubitatamente uolemo deportarsi et demonstrarsi talmente uerso la grandeza uostra, che quella optimamente di noi sara contenta, perche nisuna cosa piu desyderamo che restar et perseuerar in una perpetual amicitia et pace con vostra grandeza, et semo aparechiati di componer et acordarsi synceramente et con ogni honesta et amicabilita con la grandeza uostra non solo per quella parte del Regno che noi fin hora hauemo tenuto, ma etiam per quella parte che il detto Re Zuane ha posseduto. Se ueramente esso Re Zuane non ha fatto pace con noi con volunta di vostra grandeza, non tamen perho a noi pare esser causa alchuna, per la qual vostra grandeza non

uoglia piu presto lassar noi nel Regno, che lo infante et figliolo di Re Zamne, Le qual cose essendo cosi come se ditto, et non altramente, et desyderando noi peruenir alla possession del prefato Regno non per altra uia se non con bona volunta et assentimento et perpetua amicitia di vostra grandeza, et hauendo noi fermamente deliberado et stantido esser in tutto et per tutto boni vicini et confęderati, et cosi deportarsi con vostra grandeza, et per tal causa uolendo noi mandar da quella noui et solenni Imbassadori, li quali insieme con il Magnifico Hieronymo Lasco habino a tratar et concluder per nome nostro perpetua pace et amicitia, et con honeste vie et modi acordarsi circa tutto il Regno di Hungaria con la grandeza uostra, pertanto summamente la pregamo uogli concederni Saluoconduttо per li Imbassadori nostri, quali semo per mandar da vostra grandeza et mandarnelo per il presente messo et homo nostro, Et uostra grandeza non uogli lassarsi commouer irritar ouero indur contra di noi con calumnie et cause fincte et pensate di alchuni nostri maleuoli, li quali se uostra grandeza iudicara da le cose et deportamenti loro passati, facilmente trouara et cognoscera, che essi non talmente fauoriscano a la gloria et le cose del stato di uostra grandeza come loro demonstrano di far, et che non tanto procurano il commodo et ben di vostra grandeza quanto il suo proprio, et che cosi maliziosamente usano lamicitia et fauor di vostra grandeza, segondo quella di poi con il tempo il tutto piu chiaramente senza dubio intendera et cognoscera. Apresso di questo pregamo vostra grandeza che per quella equita et rason commune ad ogni gente et natione, che li Imbassadori de chadauno Principe debiano et sogliono esser securi, la uoglia commandar che lo Imbassator nostro il Magnifico Hieronymo a Lasco sia liberado da la retention sua, nel che vostra grandeza fara cosa degna di la gloria potentia et magnanimita sua et conueniente a la commune honesta et ragione, Et cosi desyderamo vostra grandeza sia felicissima la qual di bon core et synceramente pregamo ni uoglia hauer per ricomandati. Datum in la nostra Cita di Vienna

XLIII.

Schreiben Kõnig Ferdinand's I. an Hieronymus Laski.

Wien, 28. März 1541.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geheimen Haus-Archive. Über dieses Schreiben sieh oben in Nr. XXVIII. Seite 102 Zeile 13 von unten.

Ferdinando per la diuina gratia Re di Romani di Hungaria et Bohemia etc. Archiduca di Austria etc.

Magnifico fidele dilecto. Hauemo receputo solamente una tua lettera, la qual ne porto un Turco, scritta da te in Andrinopoli, ananti che tu eri peruenuto al Imperatore di Turchi, perho molto ni dispiace la tua tardita et negligentia che da tanto tempo in qua mai hai scritto ne significato quello che da poi da te e sta fatto operato et tractato nele cose nostrę et se apresso la grandeza sua hai obtenuto cosa alchuna o non, secon-

do il uoler et desyderio nostro, perilche semo quasi in dubitatione et suspitione che tu tratti et procuri le cose nostre apresso il detto Imperatore con mancho et menor et non con quella diligentia che ni hai promesso, Ben e uero che per cosa certa ni e stato significado qualmente il prefato Imperatore di Turchi ha commandado che tu sij tenudo in custodia, per che li ha dispiasudo molto che hauemo mandato nel Regno di Hungaria vn certo numero di nostri soldadi. Tu ueramente ben sai che ti hauemo commesso precipuamente questo, che tu diligentemente et chiaramente douessi exponer ad longum al detto Imperatore le rason nostrę nel detto Regno cosi le uechie come etiam le noue, le qual rason noue hauemo acquistato, et ne son date per uigor di certi trattadi fatti ne li anni passati tra noi et il quondam Re Zuane, Et che tu li exponessi etiam come noi eramo per mandar nel detto Regno di Hungaria alchune Gente nostre contra alchuni rebelli subditi nostri et per mantenir et conseruar le rason nostre et non per causa di offender il prefato Imperatore in una minima cosa, come quello, dal quale desyderamo con la sua bona volunta et consenso hauer et consequir pacifica possession del prefato Regno di Ongaria, et che nisuna cosa tanto desyderamo che acordarse con la grandeza sua secondo il beneplacito suo et ogni honesta circa tutto il Regno predetto di Ongaria, et far cosi pace concordia et amicitia perpetua non solamente per essa Ongaria, ma etiam per li altri Regni Dominij et Prouintij et Subditi nostri vniuersalmente tutti. Le qual cose se cosi da te siano state exposte ad esso Imperatore, o non, anchora non sapemo certeza nisuna, perho fa che da mo auanti tu sij piu diligente si nel scriuer come nel trattar de li negotij nostri. Poi che ueramente anchora adesso semo di quel medemo animo come di sopra hauemo detto, cioe di far bona pace et amicitia, perho non hauemo possuto far de non scriuer de nouo al predetto Imperatore per messo et homo nostro proprio, pregando la grandeza sua ni uoglia conceder et mandar per detto homo nostro vno saluocondutto per certi solenni Oratori et Imbassadori nostri, quali hauemo deliberado di uoler mandar da sua grandeza, li quali insieme con ti per nome nostro habino a trattar et concluder con la grandeza sua tutto il negotio de la prefata pace. La copia de le predette lettere nostre scritte al detto Imperatore receuerai insieme con questa lettera a te scrita. In questo mezo uolemo che tu cerchi et procuri con ogni diligentia acio possiamo per ogni uia et modo apresso il predetto Imperatore obtenir la exoptata et desyderata pace de la qual nisuna cosa piu ardentemente desyderamo. In la qual cosa exequirai la nostra expressa volunta. Datum in la Cita nostra di Vienna 28 Martij 1541.

XLIV.

Schreiben König Ferdinand's I. an Anna Laska.

Wien, 28. März 1541.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. *Überschrift:* Vxori Hieronymi à Lasco.

Ferdinandus etc.

Generosa nobis syncere grata et dilecta, Perfertur ad nos te magnopere angi discrutiarique animo ob maritum tuum iam nunc apud Turcarum Principem retentum, sed

ita tamen retentum, quemadmodum et ipse ad nos scripsit, vt ei nullum de vita sua periculum timendum sit, Et quia nos pro tàm fidele et benemerito Seruitore nostro primo quoque tempore liberando omne studium curam diligentiamque adhibere cepimus, atque adeo nos Serenissimorum Regum Polonię opera intercessioneque, ad quos proprium Internuntium nostrum ea de causa ante aliquot dies emandauimus, ipsius Coniugis tui liberationem procuratum iri speramus, noluimus te id latere, Consolantes et hortantes te singulari studio vt grauiorem dolorem mœroremque istum tuum mitigare vel deponere prorsus velis, sicque plane existimes propediem fore vt ista tua tristitia vertatur in magnum gaudium, postquam tuus scilicet Maritus, qui sese pro fide in nos sua et ob commune totius Christianitatis bonum eiusmodi periculis committere non dubitauit, magna cum laude gloriaque sua ad te saluus redibit, Id quod vt fiat, nos omnes vias modosque querere non cessabimus, Superest, vt firmiter credas, nobis et tui Charissimi Coniugis salutem, et tuas illiusque res et fortunas omnes in tutelam nostram iamdudum receptas, magne semper pro nostra in vos clementia benignitateque cure futuras esse, Datum Viennę Die 28. Martij 1541.

XLV.

Schreiben Kōnig Ferdinand's I. an den Freistaat von Ragusa.

Wien, 29. März 1541.

Aus dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Raguseis.

Ferdinandus etc.

Prudentes et Nobiles, fideles nobis dilecti, Mittimus impresentiarum hunc Aulicum et familiarem nostrum cum certis literis nostris ad Turcarum Principem quas vt eo tutius et securius ad Portam Cesaris perferre possit petimus à vobis singulari studio vt vos quoque ei et consilio et opera rebusque necessarijs iuxta requisitionem illius nostri intuitu adesse opitularique velitis, Id quod gratia nostra Regia erga vos clementer recognoscere volumus, Datum Viennę 29. Martij 1541.

XLVI.

Schreiben Desselben an Piri Beg, Sandschakbeg von Herczegowina.

Wien, 29. März 1541.

Aus einer Reinschrift nach dem Concepte Adam Carl's im k. k. geh. Haus-Archive. Ganz unten am Rande steht: Sanciacho Herczogouinę ut det Saluumconductum pro homine Maiestatis Vestrę, uel si id non potest, mittat saltem literas, et remittat responsum.

Ferdinandus Diuina fauente clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemię etc. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austrię etc.

Magnifice, et Prestans Vir, syncere nobis dilecte. Mittimus impresentiarum per hunc hominem nostrum ad Serenissimum et Potentissimum Cæsarem Turcharum Domi-

num Vestrum literas in certis negotijs non parum Magnitudinem suam et nos concernentibus, qui ut eo tutius ad portam Cæsaris Domini Vestri proficisci, et inde ad nos redire possit, hortamur et rogamus Vos, uelitis illi primo ad Vos ueniendi Saluumconductum dare, deinde uero cum ad Vos accesserit, illum usque ad Dominum Vestrum secure deduci facere, Si uero non potestis id per Vos absque Cæsaris Domini Vestri speciali mandato concedere, saltem curetis literas nostras ad Cæsarem Dominum Vestrum quamprimum perferendas, et ut Responsum quod nobis Cæsar ipse Dominus Vester ad nostras literas dabit sine mora ad nos mittatur. In quo nobis rem gratam facietis, quam erga Vos clementer recognoscemus. Datum in Ciuitate nostra Vienna Die xxviiij. Mensis Martij, Anno Domini MDxlj. Regnorum nostrorum Romani Vndecimo, aliorum uero Decimoquinto./

XLVII.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Konstantinopel, 30. März 1541.

Aus dem, die Adresse ausgenommen, durchaus in Chiffern geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Auf der Adresse steht von der Hand eines kön. Secretärs: **Fasciculus literarum Domini Hieronymi Laski ad Maiestatem Regiam datarum ex Constantinopoli.** *Die Adresse wie bei Nr. XXXVII. Das Siegel wie bei Nr. XIV.*

ita frequenter maiestati uestre scripsi ut merito me negligencie acusare non possit taceoque quantum in nunctios impendi qui se periculo nolunt committere nisi fuerint bene soluti tamen quia omnia mihi sunt suspecta cogor semper eadem fere maiestati uestre scribere. sciat ergo maiestas uestra quod imperator acriter est contra maiestatem uestram commotus propter exercitum sub budam missum et accepta interim castra circa budam et ego eram in maximo periculo constitutus fuissetque imperator iam contra maiestatem uestram profectus nisi sophi instaret ac indies dominia ac copias suas augeret. redibit itaque huc ad decimum diem aprilis quia tunc erit minor turcarum pascha equos tamen suos et tentoria et id genus relinquet ut contra maiestatem uestram circa finem maii hinc discedat nunc uero contra maiestatem uestram premisit mehemet bassam cum duobus milibus pixidariorum ianizarorum ac totidem equitibus ex curia sua qui uocantur soluchtari inter quos ad pugnam stabit bassa. habent uero omnes crocea uexilla quare in hunc globum impellenda sunt tormenta quoniam iste bassa est timidus et ingratus qui etiam contra sophi infeliciter pugnauit et multos tunc ianizaros deseruit. hanc habet ab imperatore commissionem ut si maiestas uestra budam cepit ne ultra drauum cum impedimentis eat sed ut ualpo obsideat hungariam uero excursionibus fatiget. mea est opinio quod imperator non ibit contra maiestatem uestram sed tamen maiestas uestra amore dei nolit se in opinione mea firmare quin agat pocius et supra omnia classem armet ualpo presidio muniat in soklus equites ponat et si maiestas uestra possidet iubeat armatam descendere et omnino manus conserere si etiam hostis numero longe maior esset quoniam hostis classis non est eo ordine instructa ut cum classe maiestatis

uestre pugnare posset aut uim tormentorum nostrorum sufferre. quod si turce ex rippa nostris nocere uelint habemus et aliam rippam ex qua illis par refferre possumus habemus insulas que ad stratagemata mirabiliter seruiunt. defleo nunc absenciam meam et quod maiestati uestre in his seruire non possum. si budam maiestas uestra habet mittat huc ad me aliquem cum literis credenciarum supra personam meam ad imperatorem ut renouare tractatum possem si maiestas uestra budam non habet et uult esse contenta his que anno superiore in hungaria habuit et uult tributum offerre habebit maiestas uestra pacem ego tamen disuadeo licet hoc pacto res mee hic bene se haberent quoniam carior mihi est fides honoris mater quam uita et alia omnia. consulo itaque pocius bellum quam pacem et me domino deo comendo uellem tamen quod maiestas uestra sclauoniam et croaciam permitteret episcopo zagrabiensi secreto et tanquam inscia maiestate uestra pacificare et aliquod tributum offerre quia maiestas uestra suis hereditariis prouinciis prospiceret eorumque opera in hungaria uteretur. mittat maiestas uestra dominum bamfi ad petrum uaiuodam moldauie quoniam rebellabit si habuerit a maiestate uestra aliquas bombardas et pedites ut possit castrum tehin nouiter errectum expugnare. cause rebellionis sunt iste. primum quod hic debet supra centum millia florenorum que mutuo accepit et largitus est ultra illa que promisit que sunt ad quinquaginta millia que prius quam soluat pocius rebellabit. deinde quod moldauienses nullo modo ferre possunt ademptam illis esse nobiliorem moldauie partem semperque petrum ad rebellionem incitabunt quibus recusare non poterit si moldauienses intelligent maiestatem uestram eis uelle subsidium dare. barbarossa agitabatur merore quod imperator protrahat armare classem quoniam imperator expectat reditum rinconis a rege francie qui magna expectacione hic expectatur nunc tamen barbarossa meliori est animo quod his diebus triremes nostre hic prope in asia smirras ex opposito mithileni sint depredate existimat enim irritatum imperatorem suam mox classem expediturum etiam non expectato oratore regis francie. hoc autem maiestas uestra certo sciat quod barbarossa hic ab omnibus bassis odio persequitur et uehementer sibi timet ne semel moriatur. causa est odii quod erarium imperatoris supra modum exhausit quod tunetum amisit sciuntque eum magnam pecuniam habere et imperatorem incitant ut ab illo calculum exigat quem barbarossa nulla racione facere potest est ergo eius mentis ut ad minimum ire imperatoris indicium hinc profugiat. omnes opes suas ex constantinopoli ad uiridarium suum extra asportauit habet eciam practicam cum cesare uel prorege sicilie sicuti proximis maiestati uestre scripsi et nuper hinc in una naui anconitana remisit ioannem de arago qui huc ex sicilia cum gallico galeone diebus carnispriuii uenerat misitque illo alium hispanum romerum nomine qui apud florencias erat sargens capitanei riarano. mea itaque est opinio quod nunc cum cesare candide agat ubi consulo ne cesar illum contemnat sed pocius componat. post discessum oratoris regis francie allate fuerunt andrinopolim litere a rege quas secretarius oratoris interim in curia permanens aperuit et rem ad imperatorem detulit. optabat rex centum triremes hinc mitti quas ille solueret et pabularet alias centum optabat ut imperator proprio sumptu expediat sed imperator uelle se expectare reditum oratoris respondit sed ego existimo rinconem non amplius huc rediturum quia hinc omnia

sua secrete extulit. de mea eliberacione precor agat maiestas uestra per medium regis francie quia si arma contra cesarem capiet facile me hinc liberabit sed si pax erit que utinam meo etiam incommodo fiat tunc per medium regis polonie quia illius sum eques ordinis sancti michaelis huius uero subditus alioquin male mecum erit quoniam sum pessime acusatus per cristophorum semzei et uaiuodam moldauie et credat mihi maiestas uestra quod si non habuissem largiciones et per maiestatem uestram missas et de meo proprio actum iam fuisset de me iamque diu ad talem inopiam ueni ut coactus fuerim es alienum contrahere debeoque pro pellibus sabellinis quas bassis dedi septingentos ducatos debeo pro pannis et rebus aliis quibus familiam pro hieme uestiui trecentos quadraginta ducatos et parate pecunie quingentos ducatos quoniam ordinarie omni die ultra hec que mihi ab imperatore dantur expendo ducatos quatuor taceo de aliis rebus que indies occurrunt nam ab eo tempore postquam a maiestate uestra discessi in nunctios exposui iam supra florenos quadringentos quare oro uelit me maiestas uestra pecunia prouidere illamque iubeat deponere aut apud mafiam bernardi quoniam hic ab antonio priuli respondente suo accepi mutuo aut apud ioan de nalli quia hic apud paulum de gradi respondentem suum accepi pannos et alia pro uestienda familia sed rogo ut id quam secretissime fiat quoniam si resciret imperator necarentur hic isti et illorum bona confiscarentur. preterea amore dei caueat maiestas uestra ne aliquis intelligat me ad maiestatem uestram literas mittere immo conqueratur apud oratorem uenetum super taciturnitate mea ita etiam apud pontificium faciat. inter scribendum allate sunt litere ex andrinopoli in hec uerba. cras' hinc imperator exibit ut ad constantinopolim uadat ad quem allatum est nouum quod cesar uenturus esset mantuam ad uigesimum presentis diem rebus in imperio infectis quia propter luteranos noluit ofendere papam cum quo bononie conueniet propter tria primum ut papa taxaretur pro aliqua pecunia contra imperatorem deinde ut tractatus pacis inter cesarem et regem francie renouaretur tercio ut cesar rebus italie prouideat ne rex francie aut imperator illi nocere posset. sciatis etiam quod rincon ope uenetorum est franciam ingressus que placent imperatori. rex francie facit magnum apparatum quare est opinio mea si rex francie mouebit bellum quod imperator aliquid contra regem uestrum faciet et fortassis ad expugnandum cibinium quia petrus uaiuoda moldauie iam diu hoc maxime suasit. de expedicione uestra nihil uobis scribere possum quia non audeo cum nemine de rebus uestris loqui. sitis tamen boni animi quia nullum uobis periculum imminet. sciat ergo maiestas uestra nouum hoc longe mihi esse acerbius quam sit detencio mea quia licet acusare cesarem uel regem francie non possum tamen orare licet ut deus per aliquem alium modum tollat adeo perniciosas discordias que absumunt innocentem rempublicam cristianam. imperator ingredietur constantinopolim quinto die aprilis ad quem barbarossa uocatus uenit. quumprimum imperator ueniet mittam ad maiestatem uestram proprium nunctium presertim si ocurret res scitu maiestatis uestre necessaria. nunc comendo maiestati uestre me et seruitutem meam. ex constantinopoli penultimo marcii. hieronimus laski. suplex oro literas ad uxorem meam transmitti

XLVIII.

Beglaubigungsschreiben Kaiser Karl's V. für Tranquillus Andronicus an Siegmund I., König von Polen.

Regensburg, 31. März 1541.

Aus dem von zwei verschiedenen Händen durchcorrigirten Concepte im k. k. geh. Haus-Archive. Überschrift: Ad Regem Polonie. Hieronymus Lasky. Promotoriales.

Non dubitamus Serenitati vestræ probe compertum esse, qualitèr Magnificus Hieronymus Lasky Serenitatis vestræ Consiliarius et subditus in sua legatione, quam nomine Serenissimi Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ etc. Regis, fratris nostri charissimi, pro communi Christianitatis bono ad Turchas nuper susceperat, ab eisdem Turchis captus, et in carcerem coniectus sit, de cuius viri salute et libertate sumus haud parum soliciti, Et quum persuasum habeamus, Serenitatem vestram pro fraterno suo in nos amore et affinitatis vinculo et ob ipsius Hieronymi Lasky virtutes et in Rempublicam Christianam benemerita illius libertatem vnà nobiscum et præfato Serenissimo fratre nostro Rege Ferdinando curæ habituram et pro virili sua promoturam esse, Idcirco dedimus in mandatis Egregio Tranquillo Andronico, præfati Serenissimi fratris nostri Secretario, qui nostro et eiusdem Serenissimi fratris nostri nomine ad vestram Serenitatem hac de causa proficiscitur, vt vestram Serenitatem nostris verbis ea de re compellare eique mentem nostram declarare debeat, quemadmodum Serenitas vestra ab illo intelliget, Hortamur itaque eandem Serenitatem vestram omni studio petentes vt nostra immo Reipublicę Christianę causa eidem Tranquillo gratam audientiam prębere, et in his quę nostris verbis dicturus est, plenam fidem adhibere, causamque hanc fauore et auctoritate sua iuuare velit, Quod vt eidem vestrę Serenitati haud difficile fore existimamus, ita illam omnino facturam esse nobis persuademus, In hoc enim et rem sua erga subditos et seruitores suos clementia dignam, et nobis plurimum gratam ac pari vicissitudine gratique animi nostri significatione pensandam fecerit eadem Serenitas, Quam Deus Optimus Maximus diu seruet incolumem et felicem, Datum Ratisponæ vltimo Martij 1541.

XLIX.

Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an Siegmund August, König von Polen.

(Regensburg, 31. März 1541.)

Aus dem von zwei verschiedenen Händen durchcorrigirten Concepte im k. k. geh. Haus-Archive.

Serenissimo Principi Domino Sigismundo Augusto Poloniæ Regi, Magno Duci Lithuaniæ etc. nepoti et Consanguineo nostro charissimo Salutem et omnis boni augmentum. Serenissime Princeps, nepos et Consanguinee noster charissime. Scribimus in præsentia ad Serenissimum Principem Dominum Sigismundum Regem Poloniæ, Magnum

Ducem Lithuaniæ, fratrem et Consanguineum nostrum charissimum, Serenitatis vestræ Genitorem, in commendationem Magnifici Hieronymi Laskhy nuper à Turchis capti, ac simul in mandatis dedimus Egregio Tranquillo Andronico, qui huius rei causa nomine nostro et Serenissimi Romanorum etc. Regis, fratris nostri charissimi, isthuc proficiscitur, vt causam hanc nostris verbis tam præfato Serenissimo Regi Patri Serenitatis vestræ quam etiam ipsi Serenitati vestræ proponere debeat, quemadmodum Serenitas vestra ab illo intelliget, Hortamur itaque Serenitatem vestram obnixe, vt ipsi Andronico in his quę verbis nostris dicturus est, fidem indubiam adhibere velit, causamque hanc fauore et patrocinio suo ita prouehere, vt ad desideratum finem deducatur, In quo Serenitas vestra rem sua erga subditos clementia ipsiusque Laski virtutibus et in Rempublicam benemeritis dignam, et nobis plurimum gratam factura est, Deus Optimus Maximus Serenitatem vestram diu seruet incolumem ac felicem

Fiant etiam literę ad Reginam in Credentiam
vt negotium pro posse suo promouere velit.

L.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Konstantinopel, 13. April 1541.

Aus dem, die Adresse ausgenommen, durchaus in Chiffern geschriebenen Originale im k. k. geheimen Haus-Archive.

Soli Maiestati Regie ad manus proprias

Das Siegel wie bei Nr. XIV.

quarto presentis die rediit huc imperator ante cuius aduentum clamatum erat per omnes plateas ut pro ingressu suo mundarentur id uero propterea factum est ut fama ad sophi percurrat quod imperator nihil magni negocii cum cristianis habens reuersus fuerit ad constantinopolim ut sic sophi perterreatur et maiestas uestra reddatur secura quum tamen ea est imperatoris intencio ut possit hac estate transiluaniam ex abrupto ocupare petrus enim uaiuoda moldauie uehementer huic imperatori transiluaniam obdulcorauit existimat autem imperator quod paruo labore maiestati uestre transiluaniam eripiet ob id quia ab altera parte mehemet bassam cum grandi exercitu expediuit sicuti quaternis antea iam maiestati uestre scripsi reliquit etiam imperator tentoria equos corporis sui et pecuniam in andrinopoli et eos mulos camelos et equos quos huc secum duxit hic prope herbare iussit neque eos ad loca consueta dimisit uultque tali stratagemate sophi perterrere et maiestatem uestram decipere ego tamen sum in tractatu cum bassis et promoueo ut quum hic imperator nolit quidpiam mecum tractare daret amplam potestatem mehemet basse quem contra maiestatem uestram cum duobus ianizarorum millibus et totidem equitibus soluchtaris et omnibus greciacis copiis misit ut ille cum maiestatis uestre commissariis in campo et sub uexillis pacem tractaret et inter

filium regis ioannis et maiestatem uestram concordiam faceret cognosceretque ordinum regni ac populorum animos et partes que unam uel alteram partem sequantur nam postquam maiestas uestra iam sit rerum suarum et mei oblita neque mihi hactenus respondit cum tamen facilius maiestas uestra inuenire potuit modum ad me quam ego hinc sub diligenti custodia et in periculo positus mittendi ad maiestatem uestram presertim in tanta inopia constitutus qui tamen ad illam supra uigenas transmisi ubi sine maiestatis uestre literis non habui alium modum renouandi tractatum quam istum nam hoc pacto nihil maiestati uestre incommodi facio in cuius uoluntate stabit concordare cum filio regis ioannis uel non tamen nondum mihi datum est responsum quoniam septimo presentis uenit huc homo bornomisse baltizaris ex transiluania significans maiestatem uestram aduentare cum magnis copiis et alium exercitum maiestatis uestre in transiluaniam uenire mailatque esse hostem et propterea rogare hinc dari sibi subsidium iamque est fama per totam curiam imperatorem nihil aliud expectare nisi ut eadem bassa nandoralbensis significet quoniam si eadem nunctiabit mox imperator progredietur que mihi amici mei affirmant et dicunt eum omnino in transiluaniam iturum tamen ego persisto in opinione mea quod hoc anno non progredietur sed dumtaxat simulabit nunc se uelle contra maiestatem uestram et nunc contra sophi proficisci quoniam timet ne sub absencia sua fauentes sophi turcarum animi qui in asia sunt ad sophi deficiant. suplex tamen oro nolit maiestas uestra se in opinione mea fundare sed pocius eo magis bellum procuret quoniam manente hic imperatore et non proficiscente mehemet bassa non est cum suis copiis contemnendus qui secum ducit circiter centum millia militum additi enim sunt illi supra eos de quibus scripseram omnes illi qui cum cassum bassa in morea erant et neapolim de romania obsederant. presencium itaque latorem eapropter mitto ut certissime maiestas uestra intelligat datam esse commissionem eidem basse ut quocunque modo possit budam surriperet reginamque cum filio belgradum mitteret iamque erat hic nouum sparsum ante duos dies bassam nandoralbensem budam surripuisse ex qua re ita erant istorum animi in fastum et leticiam erecti ut supra nihil dici potest hodie tamen demiserunt iterum capita fere ad terram propterea quod aduenit unus a sanzaco uidin qui dicit bassam nandoralbensem unacum domino suo fuisse coactos a facie exercitus maiestatis uestre retrocedere quare amore dei prouideat maiestas uestra ne quo modo buda amittatur. iste bassa est infelix ac timidus stabitque ad pugnam inter equites soluchtaros qui crocea uexilla omnes habent in hunc itaque impellenda est bombardarum uis ad cuius sinistram manum stabit bassa nandoralbensis ad dextram uero stabit bassa bosnensis. ab his exercitus maiestatis uestre cauere debet ne a tergo illum inuadant quoniam isti semper ad hoc deputantur. sciat maiestas uestra quod nunctius bornomisse attulit hic literas quas mailat scripsit maiestati uestre in quibus scribit uaiuodas moldauie et ualachie adhesuros maiestati uestre cum tota transiluania si maiestas uestra aut sola ibi uenerit aut exercitum grossum miserit se uero permansurum pacifice interim ne cepto ante tempus bello imperatorem prouocet cui etiam interim bona uerba dabit. naues que hinc ad danubium mitti debebant non credo quod amplius uadant nam picem naualem que hinc cum aliis municionibus per naues belgradum mitti debuit nuper in ducentis

mulis est missa ut ibi galeas nouas faciant et ueteres reparent. expectatur hic summo desiderio reditus rinconis non uult enim imperator prius armare classem nisi prius intelligat animum regis francie que res emacerat barbarossam uehementer enim eius hic autoritas est diminuta tum odio bassarum tum quod rex francie rogabat mitti ibi centum triremes duce iudeo et non barbarossa timetque sibi barbarossa et propterea armare desiderat ut elargare hinc possit et res suas cum cesare firmare sicuti quinis causas huius rei abunde maiestati uestre scripsi. porro timeo ne nouum hoc de retrocessione imperatori allatum impediat tractatum meum quia fortassis imperator negabit dare amplam potestatem mehemet basse ne uideatur post hanc retrocessionem metu dedisse ego tamen sollicito multa etiam promittendo. scripsi maiestati uestre me hic ita multum egere et inopia pecunie laborare et contraxisse mille et trecentos iam florenos supra quos iterum accepi mutuo alios trecentos ex quibus nunc uiuo nam supra id quod ab imperatore datur ordinarie circiter quinque ducatos expendo taceo de aliis occurrenciis et que in custodes largiri cogor quoniam illorum fauore ingrediuntur ad me amici et litere expediuntur quare rogo prouideat maiestas uestra necessitati mee uel pocius sue ne ego ultra presentem calamitatem meam cogar eciam cum turpitudine maiestatis uestre herere. fideiussit autem hic pro me antonius priuli pro mille ducentis ducatis et paulus de gradi mercator raguseus pro trecentis precor itaque uelit maiestas uestra dictam summam deponere apud mafiam bernardi ueneciis quoniam ille eam hic deponet apud eundem antonium priuli centum uero accepi ab uno amico turco. prouideat etiam maiestas uestra de ulterioribus expensis mihi et per pietatem suam regiam querat maiestas uestra modum liberandi me hinc medio regis francie quia ille solus poterit si presertim bellum contra cesarem mouebit aut si saltem inimiciciam simulabit. suplex etiam maiestatem uestram precor uelit sub id tempus absentis mei racionem habere liberorumque meorum quoniam alacri semper et fideli animo seruiui maiestati uestre et perpetuo seruiam cuius me benignitati humillime comendo. ex constantinopoli tredecimo die aprilis, hieronimus de lasko

LI.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Konstantinopel, 25. (April 1541).

Aus dem, die Adresse ausgenommen, durchaus in Chiffern geschriebenen Originale im k. k geheimen Haus-Archive. Die Nachschrift ist auf einem besonderen Blättchen.

Soli Maiestati Regie etc. domino dominoque meo clementissimo

Das Siegel wie bei Nr. XIV.

die tredecimo presentis abunde maiestati uestre scripsi misso ad illam proprio per moldauiam et poloniam nunctio scripsi autem me imperatori proposuisse ut mehemet basse quem contra maiestatem uestram cum duobus milibus ianiczarorum et parte equitum curie sue ac omnibus europe copiis misit daret facultatem ut ille cum maiesta-

tis uestre commissariis pacem primum inter illam et imperatorem ac deinde inter eandem maiestatem uestram et filium regis ioannis tractare et concludere posset qua de re quia basse non audebant loqui apud imperatorem in scriptis illum diligenter hortatus sum. habuit ergo imperator has literas apud se quatriduo mihique heri primum hoc responsum datum est. maiestatem uestram noluisse in hungaria esse priori sorte contentam sed mouisse bellum et castra multa puero ademisse in iniuriam et indignitatem imperatoris quod cum sit factum opus fore ut gladius litem dirimat et regna parciatur. sciat itaque maiestas uestra quod imperator mehemet basse strictissime commisit ut quocunque modo posset budam surripiat et filium regis ioannis et reginam belgradum mittat habebitque dictus bassa circiter centum millium exercitum imperator uero transiluaniam interim uult inuadere ac distractis maiestatis uestre copiis ocupare nam ut hoc faciat assidue illum petrus uaiuoda sollicitat quare maiestas uestra maiora quam potest presidia in soklos et quinqueecclesiis presertim equitum ponat ualpo peditibus muniat et classem augeat et ut manus conserat cum armata hostium iubeat etiam si in duplo plures fiant quoniam inprimis dominus deus deinde sacer danubii impetus dabit nostris uictoriam nam si hostes in danubio fuerint fracti nihil est quod de reliquis hostium copiis sit timendum quum ex danubio municiones bombarde et commeatus depellentur festinet ergo maiestas uestra ut pugna fiat prius quam mehemet bassa cum ianiczaris eo ueniet quia si isti in naues ponentur dificilior erit pugna sed si maiestas uestra subsidium ex imperio non habet ac intelligit se budam et transiluaniam armis habere non posse tunc subito mittat ad me aliquem et ex ea regni parte quam nunc habet tributum offerat contentum filium regis ioannis faciendo pro his que nunc sibi ademit que contentacio poterit esse facilis. sophi deuastatis georgianis et acceptis tribus castris rediit ad debris ductusque est huc unus sanzacus sophi in certamine captus ubi octingenti cecidere perse qui heri torturis examinatus est et dixit sophi non inuasurum terras turcarum nisi imperator exeat contra maiestatem uestram. fuit etiam hic seruitor baltizar bornomisse ex transiluania missus cum literis interceptis quas mailat ad maiestatem uestram miserat significabatque transalpinos rebellaturos imperatori si maiestas uestra personaliter uenerit transiluaniam aut ualidum exercitum miserit transiluaniam totam esse in obsequio maiestatis uestre posseque se habere bonum exercitum sed nolle interim ioannistas impetere ne turcis daretur occasio. petrus uaiuoda moldauie incipit perniciosas serere discordias inter imperatorem et polonos mittiturque hinc nunctius poloniam cum acerba legacione. barbarossa hic maximo odio persequitur a bassis in cuius despectum mittitur iudeus renegatus cum duodecim triremibus imperatoriis habet tamen suas tres et totidem fustas. erunt preterea aliquot pirrate eruntque in toto circiter quinquaginta uela que res emacerat barbarossam dantur tamen sibi uerba et iubetur expectare rinconis reditum qui summo desiderio expectatur. dum has scribo clamatum est per totam constantinopolim ut milites qui ex asia stipendia sumunt subito se in asiam transferant et ibi parati expectent mandata imperatoris ita etiam his qui ex europa uiuunt mandatum est et hoc propterea ut nemo intelligat si contra maiestatem uel contra sophi proficisci uelit et licet a multis qui hic non postreme sunt condicionis dicatur mihi

imperatorem transiluaniam iturum tamen alia est mea opinio existimo enim eum in constantinopoli permansurum et maiestatem uestram ac sophi in suspenso tenturum sed maiestas uestra nolit amore dei se in opinione mea fundare sed pocius strennue bello insistat. triremes que hinc danubio ire belgradum debebant non amplius ibunt sed missa est hinc pix naualis in ducentis mulis ut ibi fabricarentur. de me suplex oro uelit maiestas uestra per medium regis francie procurare ut hinc exire possem quia ille solus poterit me liberare presertim si ad arma contra cesarem assurget aut si saltem simulabit hostillitatem nam ego hic ita sum per cristoforum semczei et petrum uaiuodam acusatus ut alius modus non sit liberacionis mee preter regem francie quare iterum precor consulat maiestas uestra miserie mee et sciat quod nullum amplius nunctium mittere ad maiestatem uestram possum propter defectum pecunie et inopiam in qua iam sum constitutus mercatores enim duo qui sunt conscii quod ad maiestatem uestram mitto literas et qui mihi hactenus mutuo dabant uident quod maiestas uestra nihil mihi rescribit et retraxerunt se neque amplius prestare uolunt ille uero amicus turca polonus missus est in moream quare rogo uelit maiestas uestra ueneciis iubere deponi pecuniam apud mafeum bernardi mille ducentos ducatos ut eos huc antonio priuli et apud thomam de zunia de bona trecentos ut eos huc paulo de gradi transmittat et fieri debet per cristoforum melich factorem dominorum fucarorum et quam secretissime ne eos coniciamus in naufragium uelit insuper maiestas uestra hic facere prouisionem de alia pecunia ut hic in ista mea calamitate honeste saltem et cum maiestatis uestre decore uiuere possim neque miretur de sumptu facto quoniam octo menses preteriere postquam a maiestate uestra discessi et in summa caristia uixi cum equis tot et tot personis qui libenter maiorem partem familie mee iam diu dimisissem si id impetrare potuissem iste etiam nunctius cum alio quem per moldauiam misi septuaginta ducatis constitit taceo de aliis quos ad maiestatem uestram misi. huic latori iubeat maiestas uestra centum coronatos dare et eum eo ocius remittat ut iterum eius opera uti possim. medicum bartolomeum quo hic pro instrumento in rebus agendis utor et aurum antiquum maiestatis uestre seruitorem diligentissime maiestati uestre commendo cui quod hactenus maiestas uestra in toto nondum est maiestas uestra propicia suplex oro uelit tandem culpam condonare agit enim hic mecum penitenciam in isto claustro alacriter propter maiestatem uestram indies deflet orbatum se esse maiestatis uestre benignitate suplex itaque oro misereatur sui illumque in pristinum gradum recipiat ut intellecta maiestatis uestre benignitate in ista nostra calamitate letari possimus. heri postquam has scribebam decreuit imperator contra sophi mittere seuliman bassam mittunturque cum illo duo millia et quingenti ianiczari et duo millia equitum ex curia solus itaque imperator non habebit apud se supra septem millia ianiczarorum si contra budam ibit si uero in transiluaniam tunc quinque dumtaxat millia quia mehemet bassa secum duo millia duxit. hodie eciam ducti sunt duo ex nostris qui sub dubicz sunt capti unus est comitis zreni et alter episcopi zagrabiensis qui cras per tormenta examinabuntur. maiestas uestra consultissime faciet si transiluaniam peditum aliquot millia mittet ut illud regnum et presertim miseri saxones in brassouia et sibinio cum opus esset presidia haberent cum quibus si imperator uersus hungariam

ibit transibuni alacrius ad maiestatem uestram uenient uel quod melius est per ualachiam uersus nicopolim eant quod paruo admodum labore accipient et totam greciam tumultuabunt. nunc nunc accurrit posta dicens sophi exiuisse ex debres et esse in castris quo tamen uelit proficisci incertum esse. alia in presens non ocurrunt nisi quod me supplex maiestati uestre comendo et rogo humillime nolit maiestas uestra mei obliuisci. ex constantinopoli uigesima quinto die. hieronimus de lasko

literas quas tredecimo presentis expediueram nunctius a latronibus spoliatus reportauit quas his adiunxi

LII.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Konstantinopel, 8., 9. und 11. Mai 1541.

Aus dem, die Adresse ausgenommen, durchaus in Chiffern geschriebenen Originale im k. k. geheimen Haus-Archive. Die drei Nachschriften sind auf besonderen Blättchen.

Soli Domino meo etc.

Das Siegel wie bei Nr. XIV.

rogaui maiestatem uestram uellet quam secretissime apud se scripturas meas celare ne intelligantur hic his autem diebus scripsit huc bassa bosnensis quomodo omnia imperatoris secreta sciantur uienne per frequentissimas literas meas parum itaque abfuit quod non fuerint custodes et aliqui seruitores mei torti et examinati et ob id mutarunt custodes et seruitores ex nomine conscripserunt iussusque sum in caruesariam traduci locum fetidissimum et ubi nulle sunt fenestre quibus celum uidetur tamen ego ex isto hospicio exire nolui sed ad imperatorem scripsi a quo nondum responsum habui et ita nescio quid mecum fiet nam si imperator adhuc semel fiet cercior me scripsisse actum erit de me. nunc itaque maiestas uestra cogitet cum quanto periculo presentes scribo non possum tamen me continere propter fidem et amorem meum erga maiestatem uestram. sciat ergo maiestas uestra quod imperator in fine mensis huius hinc exibit et ultra europe aut grecie copias ducet secum quadraginta millia ex asia relique omnes copie cum seuliman bassa ibunt contra sophi. scribit etiam nunc imperator ianiczaros tamen in toto non habebit octo millia maiestas uestra contra se. uenit huc etiam murat aga quem barbarossa in affricam miserat cui uenete naues duas naues acceperunt pro qua re hic est summa cum oratore ueneto contencio. iste murat dicit multa de aparatu et armata cesaris incussitque hic et timorem et dificultatem nondum tamen de classe decretum nisi quod capitaneus iudeus cum quatuordecim nauibus hinc intra octo dies soluet cum quo ibunt pirratarum uela supra triginta. sciat maiestas uestra pro certo quod imperator decreuit danubium apud petrum uaradini ponte transire rectaque uersus pest tendere illudque expugnare timet enim ne si traiecto drauo sub budam iret et budenses cedere illi budam nollent ne se cum eis qui in pest sunt coniungant et sibi inuicem auxilio sint

ita ut imperator budam capere ui non posset si maxime uelit facientur tamen in sauo et in drauo pontes propter formam instituitque imperator diem exitus sui hinc decimum nonum iunii seuliman uero bassa contra sophi uigesimo ut postremis scripsi presentis die hinc egredietur ego tamen in ueteri opinione consisto quod imperator cicius contra sophi quam contra maiestatem uestram sit profecturus maiestas uestra tamen nolit se in opinione mea fundare nam heri fui cum bassa qui mihi dixit imperatorem profecturum cum quo multis egi pro induciis uel si fieri non possent et imperator contra maiestatem uestram eat ut nos ambo inueniremus modum quod in campo pax tractari posset et ut imperator et maiestas uestra personaliter conueniant quam rem hodie bassa proposuit imperatori qui stupefactus deliberare uult me tamen iussit in eodem meo hospicio manere neque amplius in karuasseriam traduci uetitum tamen mihi est ne scribam. amore dei uelit maiestas uestra montem sancti gerardi infra budam fortificare si adhuc illi budenses sunt hostes si enim amici sunt non est tanta necessitas ut propter hoc exercitus maiestatis uestre tempus terat. armata etiam maiestatis uestre si uult potest sine periculo ad drasnad descendere et ibi municionem facere et licet quid mecum imperator sit facturus nescio spero tamen quod me si ibit secum ducet et in confiniis dimittet quare rogo sicuti semper optabam reseruari mihi capitaneatum supra classem quem mihi maiestas uestra dederat ut cum aliqua existimacione si rediero aliquod bonum uirtutis mee exemplum edere possem. nunc autem sciat maiestas uestra me beneficio mercatorum hic uiuere et literas mittere et inprimis antonii de priuli qui non tantum mihi hic prodesset nisi cupiat sibi maiestatis uestre graciam lucrari quare illum maiestati uestre et me ipsum humillime comendo et rogo mittat mihi per medium fratris sui uincencii aut maphie bernardi hanc pecuniam quam mihi mutuo contraxi nam sum hic debitor supra mille sexingentos florenos. ex constantinopoli octauo maii. hieronimus laski

hodie post clausas que est nona maii maiestatis uestre amicissimus ludfi bassa priuatus est officio dubiumque est ne et caput amittat. uenit eciam a sanzaco belgradi nunctius qui dicit reginam budensem nunctiasse sibi quod maiestas uestra a me frequentissimas literas accipit. hodie eciam iam conclusum et proclamatum est contra maiestatem uestram bellum certissimeque imperator decimo nono die iunii hinc egredietur ego uero sto male tum ob casum basse tum ob nunctiata regine. amore dei precor pro pecuniis

hodie etiam exiuit iudeus renegatus cum undecim triremibus et duabus fustis ac tribus galeotis relique triremes sunt in ordine in quas ad remum grecos istius ciuitatis et alios cristianos clausis portis ui si opus erit ponere uolunt quoniam alium modum armandi non habet imperator

presentes postquam scripseram quatuor diebus tenui quia non potui habere modum dare illas nunctio propter custodes interim uero imperator certissime decreuit transiluaniam ire pontes tamen facientur in sauo et drauo ut maiestatem uestram decipiant. petro uayuode moldauie non sunt misse municiones quoniam illas solus imperator ducet et tunc in transiluania dabit. danubium transibit uel in uidin uel apud semendriam et uersus hunyad primum deinde sub cibinium ibit. hec est certissima intencio imperatoris sed si maiestas uestra habuerit armatam totam instructam et iubebit descendere et

se prope hostes in aliqua insula fortificare coget eum in sirimium progredi. heri tarde allate sunt litere a regina budensi nondum tamen quid scripsit scio. sophi plus nimio instat. ego quid mecum fiet dubito. undecimo maii

LIII.

Schreiben Laski's an König Ferdinand I.

Konstantinopel, 21. Mai 1541.

Aus dem, die Adresse ausgenommen, durchaus in Chiffern geschriebenen Originale im k. k. geh. Haus-Archive. Adresse und Siegel fehlen.

cogitare maiestas uestra potest quo animo esse hic possum qui uideo mea me expectacione fore frustratum quam de maiestatis uestre benignitate mihi pollicebar tanto autem maiorem me graciam illius habiturum sperabam quanto existimabam fidem et integritatem meam maiestati uestre propterea acceptiorem fore quod me maximo animi mei ardore posthabitisque apud ioannem meritis et debitis ac bonis maiestati uestre addixissem ipsamque pre aliis omnibus principibus quorum nulla mihi erat penuria elegissem tum quod non fuerim conatus ut alii fecerunt maiestati uestre pro hoc uel illo molestus esse. nunc itaque mestissimo corde uideo quod maiestas uestra nullam prorsus mei racionem habet et sit penitus mei oblita nam ab eo tempore postquam hic sum non merui minimum eciam indicium experiri ubi maiestas uestra curam mei sui hic oratoris habuisset quin pocius contemtis omnibus meis literis et nunctiis quos hinc magno periculo mittebam non dignata est eorum quempiam ad me remittere patiturque maiestas uestra me hic in quottidianis periculis herere addam et hoc quod duodecimo presentis rediit huc ex hungaria ille hassan qui literas meas ad maiestatem uestram scriptas imperatori prodiderat dicens se uienne fuisse idque ope ualentini terek cuius eciam literas attulit et inter alia intellexisse maiestatem uestram dicere quomodo me hic consulto et ultro detineri permittat semperque me plus turcis quam cristianis fuisse propensum que res tametsi magnam hic mihi beneuolenciam parauit tamen maluissem aliam ibi opinionem malo eciam hic meo haberi quam quod fuerit talis de me rumor sparsus. ab aliquot itaque diebus tractatur mecum ut me huic imperatori addicerem et filium meum in obsidem darem quod cum facere noluissem heri fuit decretum ne mihi amplius quidpiam ab imperatore daretur datum tamen est hodie propterea fortassis quod uolunt ut filium non in manus eorum sed ad regine budensis darem ego uero dilacionibus laboro ut hinc seuliman bassa discedat quoniam est mihi acerrimus hostis timeo enim ne si eo presente rennuero in carcerem protrudar. sed hec uadant inter enim tot meas angustias nihil aliud grauius animum meum conficit quam hoc quod uideo me prorsus esse per maiestatem uestram neglectum. porro in omnibus meis quotquot maiestati uestre scripsi semper illam admonui quod imperator sit contra maiestatem uestram iturus id ipsum eciam nunc maiestati uestre significo certissime enim hinc decimo nono iunii egredietur et bipartito exercitu hungariam impetet nam unum petrus uoiuoda moldauie cum quo erunt

tres sanzaci et quadraginta turcarum millia qui akandzi uocantur ducet erunt et ualachi et isti uersus brassouiam irrumpent imperator uero ibit semendriam et ibi deliberabit an sub budam uel cibinium sit proficiscendum si tamen habebit modum ut budam capiat petet illam prius et in reditu facto apud segedinum ponte iuxta fluuium marus qui lippam alluit transiluaniam ibit et ibi hibernabit et hec est sua certissima deliberacio cui nulla re alia maiestas uestra obuiare potest nisi forti in danubio classe et capitaneo non ocioso quia hoc modo cogetur imperator sua tueri. missa nuper hinc sunt quindecim centenariorum millia de puluere et mille moldauo dati in eisdemque nauibus misse sunt sexaginta bombarde maiores et triginta millia globorum. bassa qui rebus maiestatis uestre fauit priuatus est oficio cuius locum habuit seuliman qui tamen hinc uigesimo tercio presentis die contra sophi egredietur. barbarossa quoque in primis iulii diebus hinc cum octoginta nauibus exibit. rediit huc eciam interpres rinconis tredecimo presentis qui a rege francie octauo aprilis expeditus est attulitque literas manu sua propria in toto scriptas et nimis secretas. alia non sunt scitu maiestatis uestre digna nisi quod me humillime benignitati maiestatis uestre comendo a cuius fidelitate nihil est quod me distrahere potest. date ex constantinopoli uigesimo primo maii die. hieronimus laski

LIV.

Schreiben Desselben an Denselben.

Konstantinopel, 10. Juni (1541).

Aus einer Abschrift im k. k. geheimen Haus-Archive.

Octauo Maij die Ludfi Bassa promotor meus offitio priuatus fuit vxorque sibi, que Turcæ soror est, adempta ob id quia ipsi alapam dederat, qui casus me mox in summas difficultates coniecit, Nam Seulyman Bassa, qui sibi successit, perniciosus Maiestatis vestrę hostis, diuersis practicis me ad seruitia Turcæ uoluit pertrahere, et ut filium in obsidem darem, Interim autem duodecimo eiusdem die uenit ille proditor Hassan, qui literas meas Turcæ prodiderat, et attulit literas Valentini Tureck fratri eius, qui est Eunuchus, et inter eiuscemodi homines Turcę charus, Is dixit se ope Valentini Viennæ fuisse, et Budæ etiam fuisse cum Polonis, quos ibi Regina habet, se multis diebus uersatum, accusauitque me supra modum, Primum, quod Petrus Pereny meo Consilio cum alijs multis et defecisset et Pesth accepisset, Deinde, quod frequenter hinc Maiestati vestrę scribam, et omnia Turcarum secreta prodam, Tertio quia seruitores mei in Pesth essent, eorumque Prefectus interfectus sit, nihilque ibi magis desyderari quam prȩsentiam meam, Quarto quia haberem hic mecum vnum qui caput ut Turca ornat cum tamen Christianus sit, Data ita erat huic fides, et dictus meus bonus seruitor captus fuit, ac in priuatum Turcæ carcerem, quem in Domo sua habet, positus. Hic Maiestas vestra cogitare potest, quo in periculo steti, quoniam istius opera literas dabam et diuersas practicas faciebam, Iste autem seruitor est nobilis Polonus, quem hinc ante octo annos eduxeram, estque circumcisus, Fuit ergo de multis quesitus, sed tamen

fidelissime se erga me gessit, et tacere sciuit, nihilominus Turca tot et tantis accusationibus magis ac magis fit mihi infestior, neque potui obtinere ut Bassę me ad suam prę-sentiam admisissent, sub quod tempus vigesimo primo eiusdem Franciscus Vicin à Maiestate vestra cum literis accurrit, à quo has etiam Turca accepit, quas ad me Maiestas vestra scripsit, neque sunt mihi in hanc diem datæ, Eodem etiam die uenerant duę postę a Mehemeth Bassa cum nouis contra me accusationibus, quibus Turca motus me ex hospicio in fętidissimam Karuessariam traduci iussit, ademptis his omnibus, quæ mihi hactenus pro uictu dabantur. Vigesimo tertio eiusdem Seulyman Bassa hinc contra Sophy exiuit, Cuius locum Rustan Bassa obtinuit, qui pro Cathena Maiestatis vestrę et Argentaria mea non ita fauit rebus Maiestatis vestrę, ut promiserat, apud quem maxima difficultate audientiam impetraui, sciebam enim me in extremo periculo fuisse situm, et propterea etiam largiendo audienciam quęsiui, Fui itaque cum dicto Bassa vigesimo eiusdem die, vbi quę uerba et contenciones intercesserant, missa facio, sufficit enim, quod Dominus Deus gratia sua me liberauit, alioquin proximo die debebam capite plecti propter causas, quas sub tempore Maiestas vestra intelliget, sumque iam extra periculum, nisi quod Carcer mihi imminet, Deliberauit enim Turca me in Asiam ad vicinum Castrum mittere ut ibi reditum suum expectarem, nisi Dominus aliter disponat, cuius uoluntas fiat, Res autem istorum hic ita se habent, Ludfi Bassa deiectus maxime ob id est, quia Mustafæ primogenito Turcę filio fauebat, et disuadebat ne Mustafa ex eo loco moueretur, ex quo iam exire iussus est, agebat enim Mustafa in Manassia cum matre sua, quam Turca repudiauit, loco huic uicino, ubi sibi beneuolentiam omnium populorum contraxerat, Huic nouerca, quę nunc Turco accubat, excidium molitur, propterea ut filius suus Mehemeth imperio potiatur, habet enim Turca cum ista nouerca quattuor filios, Seulyman ergo Bassa, qui ante aliquos annos magister domus istius nouercę erat, partes suas et eius filiorum fouet, Hunc Turca contra Sophy expediuit, illique publice filium Mustafam prępfecit, secrete tamen data est commissio ut cum ad Suues uenerint ut Mustafa exercitu abiret et in Armasiam primum Armeniæ Sansachatum iret utque Bellum solus Seulyman Bassa continuaret, Mustafa uero qui iam annum vigesimum secundum agit, rem subintelligit, uidetque agi uia pro capite et imperio, molitur animo quędam patri aduersa, quę etiam iam Turca subodorauit, resque eo uenit ut uel Mustafa Bassam, uel Bassa Mustafam e medio tollet, nondum tamen Turca in necem filij consensit, Ego uero timeo ne nouerca toxico rem dirimat. Sophy inito fędere cum Testa Verde, et pacificatis cum illo rebus fortior est nunc quam unquam antea, diciturque summa alacritate contra Bassam uenire, timetque ab illa parte Turcus uel ob id maxime, quod omnes populi Asiatici Sophy uehementer fauent, multique indies ad illum deficiunt. Barbarossa nullam hoc anno parabit Classem, quoniam remiges habere non potest, que res est Turcę et suspecta et acerba, angiturque nunc multifarie, ac furit, propterea autem maxime, quia intellexit pacem esse cum Budensibus factam. Nulla ratione assequi possum ut Vicin mecum coram esset, habui tamen ab illo poculum cum hijs Maiestatis vestrę insignijs, quod alacriter iuncturis dissolui, credens ibi literas fuisse, quas tamen inuenire non potui, habemus tamen modum intelligendi se. Omnino

Turca hinc decimo nono Iunij contra Maiestatem vestram egredietur, sed si Maiestas vestra Budam habet, opinor illum in Transsyluaniam iturum. Consulunt aliqui, ut relicta Buda recta Viennam petat, sed omnia frustra, si Maiestas vestra potentem in Danubio Classem habebit, et si contendet aliquam insulam, que ex Syrimio uideri possit, fortificare, quoniam uerendum est, ne hostes prope Mockaz aliquam insulam preoccupent, et muniant, quę postea magno nocumento Maiestati vestrę esset. Montem Sancti Gerardi Maiestas vestra muniat, quia Buda non bene obsideri poterit, si id Maiestas vestra faciet, et pro pugna dictus mons utilissimus Maiestati vestrę esse potest, quoniam si pugnandum est, pugnandum certe est ultra inferiores termas, ubi et montem et Classem pro nobis haberemus, est enim ibi pulcerrima planicies, in qua Maiestatis vestrę copiæ commodissime instrui possunt. Sciat autem Maiestas vestra quod Turcus eiuscemodi acie pugnat, inprimis ponit Bombardas tribus ordinibus, post quas stant sui pixidarij, post quos stant Sulaci pedites cum arcubus quingenti, Deinde stat Turcus, post quem stant septem uexilla maxima, inter quę album in medio, quod precise personam Turcę sequitur et demonstrat, post uexilla stant Nobiles Equites, qui quattuor nomina habent, primi sunt Spahi, qui dextram tenent, secundi sunt Soluchtari, qui sinistram, illi rubea, hij crocea uexilla habent, tertij sunt Vlafadzi, isti duos Capitaneos habent, vnus stat ad dextram cum mille, qui uexilla alba habent, alter uero cum totidem stat ad sinistram, qui uexilla alba et rubra gerunt, Qui uocati sunt Carapiogli, eorum mille stant in dextra cum uexillis albis, mille uero qui ad sinistram stant habent alba uexilla et viridia, Natolia deinde tenet dextram, et Romania sinistram manum, et istę alę Natolię et Romanię sunt primum per nostros inuadendę, Quare opus est tres seratas acies contra hunc hostem instruere, ita ut quelibet acies habeat suam priuatam artellariam, et peditatum cum equitatu, quarum acierum una, quę in medio consistet, et quę peditibus Turcarum ipsique Turco obicietur, debet esse fortior peditatu alijs aciebus, neque se loco mouere prius debet, nisi cum iam alię duę acies lanceas in hostem impulerint, Interim diligentissime tormentis hęc media acies peditatum hostilem et vexillum album petere et quatere debet, a velitatione uero prorsus abstinendum esse suadeo, Hęc Maiestati vestrę lachrimosis oculis scribo quoniam absentiam meam deploro, melius enim in equo talia exequi quam scribere scirem. Aduertendum autem est, ut phalanges Equitum grauis armaturæ distendantur, maxime uero istæ quæ hostium alas petere debent, neque instruantur pro ueteri consuetudine, quia non est certandum nobis cum Gallis sed hostibus nudis, Ex duobus ergo millibus Equitum in ala facienda est phalanx, ut in fronte centum Equites starent, essentque ita viginti fili, seu ordines, in media uero acie ex totidem equitibus ponendi sunt in fronte sexaginta, quoniam ista media phalanx rem sit habitura cum Curia Turcę, quæ retrocedere non potest propter Camelos a tergo compedibus ligatos, Fundamentum autem Victoriæ consistit primum in Domini Dei benignitate, Deinde in hoc, ut hostiles alę frangantur, et propterea ita sunt distribuendę acies nostræ, quæ in alis stant, ut Equites grauis armaturę cum peditatu suo iunctim impetum faciant, iterque Equitibus nostris leuis armaturæ in hostem parent, et Equites isti leues in subsidiarias acies diuidantur, Turca ad manum dextram

habebit circiter septuaginta millia Equitum, ad sinistram uero centum, Isti ergo a sinistra sunt meliores milites, quia ibi stat Romania, Bombardas habebit secum minores quadringentas, maiores in campo triginta, reliquę erunt in Danubio.

Nunc uenio ad res meas, et presertim liberationem meam, quæ si per medium Regis Franciæ non erit, certe nunquam fiet aliter, nam Maiestas uestra mihi nequaquam auxiliari potest, Rex etiam Polonię multum mihi prodesse posset si me sibi dari sicuti subditum cuperet cum conditione nunquam amplius Maiestati vestrę seruiendi, pro qua conditione darem ego hic fideiussorem pro aliquot millibus florenorum, et illis solutis seruire Maiestati vestrę cum honore possem, hanc tamen uiam Regina Poloniæ impediet, quia est mihi hostis, quare supplex oro adiuuet me Maiestas vestra ita gratiose, et clementer, sicuti ipse Maiestati vestrę fideliter seruio, et seruire uolo, supplex etiam oro uelit coniugem liberosque interim meos tueri et sua benignitate complecti ut in mea illorumque calamitate nos gratia illius solari possit, Quod si Maiestas vestra cum Regina Budæ aliquam inijt concordiam rogo uelit Maiestas uestra absentis mei rationem habere maxime in hoc quod patrimonium Regis Ioannis attinet. A decimo octauo Maij die in hodiernum diem pugnaui cum globis aureis cum his, qui aliquid hic possunt, iamque Turca hodie, que est septima Iunij, significauit mihi, ut me ad iter pararem ut hinc una cum Turca vigesimo presentis die egrediar. Sciat ergo Maiestas vestra me hic mutuo accepisse duo millia ducatorum ab uno nobilissimo Veneto Antonio de Priulis et hanc pecuniam una cum mille quadringentis ducatis ex pecunia Maiestatis uestre conuertisse me in largitiones propter liberationem meam, quoniam ita decretum fuit ut in uno Castro hinc per duo milliaria interim tenerer donec Turca rediret, Habeo adhuc de pecunijs Maiestatis vestrę octingentos florenos, ex quibus nunc uiuo, alia pecunia de quattuor millibus quo iuit dabo Maiestati vestrę bonum calculum, quoniam in solos Nunctios exposui supra quingentos ducatos, quare suplex oro uelit Maiestas vestra hanc pecuniam deponere apud Constantinum Priulium fratrem germanum eiusdem Antonij Priulij Venetijs a data presentium intra tres Menses, Si tamen Maiestas vestra prout rogabam semper misit mihi aliquam pecuniam, tunc non est opus iam illa mihi, computeturque in ista duo millia et soluatur iste optimus Maiestatis vestrę Seruitor, qui propter Maiestatem vestram non duo millia, sed et decem dedisset, si pecijssem, Nolo Maiestati vestrę scribere difficultates meas, quoniam aliunde Maiestas vestra intelliget, non enim fuere talia secreta, Et istam pecuniam secretissime Maiestas vestra deponi iubeat. Ego non dimittar priusquam apud Drauam Turcus erit. Aurum Franciscum Maiestati vestrę diligentissime commendo, ita ut Maiestas uestra pro sua innata bonitate magis quam ob inutilem personæ meæ respectum dignetur illi peccatum condonare et in pristinum gratiæ locum recipere. Quamdiu Ludffi Bassa gubernabat non audebam unum ex istis quatuor millibus ducatorum mouere, sed ubi potui æs alienum contrahebam, sed postquam ille esset officio priuatus ex eadem Maiestatis uestrę pecunia debità creditoribus solui, Oro ergo nolit Maiestas vestra imputare quod illam pro pecunia sollicitaui, quoniam promissum Ludffy Bassæ factum seruare uolui, qui fidelissime Maiestati vestrę fauebat. Sciat Maiestas vestra quod octauo presentis die primum redierunt illi

duo Nunctij, quos per Moldauiam ad Maiestatem vestram miseram, vbi intellexi Maiestatis vestrę erga me benignitatem, et quod pro eliberatione mea sit sollicita, pro qua eius clementia humillimas gratias habeo alacriterque expecto dari mihi occasionem ubi Maiestati vestre utiliter seruire possem. De inducijs aut pace frustra nunc tentarem, quia Turca non credit Maiestatem vestram sincere eius beneuolentiam quęrere, et ob id protrahit mittere saluum conductum, aut Franciscum Vicin expedire, Volebam ut Franciscus Vicin scripsisset Maiestati vestrę, sed rescripsit mihi se id facere non posse, rogauitque ut eum Maiestati vestrę commendarem, id quod etiam facio ipsumque diligentissime commendo, quoniam certe bene se in omnibus gessit et gerit, qui non dimittetur hinc prius quam Turcus hinc se loco moueat, Iste Exhibitor est vir fidus, et mihi a multis annis carus, sed nimis preceps, Maiestas vestra poterit illius opera uti in explorationes, quoniam ibit etiam ad infernum, sed rogo nihil mihi per ipsum scribat Maiestas uestra, quia timeo eius nimiam audaciam. Doctorem medicum, qui mihi officium Tranquilli agit et summa fide Maiestati vestrę seruit magnopere illi commendo, Scribitur mihi esse apud Maiestatem vestram nonnullos, qui me absente nomen meum lacerant, et fortassis mihi suspitionem apud Maiestatem vestram parant, sed utinam isti hic essent, et ego ibi, facile enim periculum fieret, quales illi essent, et qualis ipse fuerim, Non dubito tamen quod Maiestas vestra malis aliquorum uerbis permittat purissimum regiumque suum animum uiciare, cognoscet enim ab alijs Maiestas vestra breui fidelitatem meam à qua nec terroribus repelli nec maximis promissis me permitto diuelli. Turcus omnino Vigesimo prȩsentis Die hinc proficiscitur. Alia non sunt. Commendo humillime Maiestati vestrę seruitutem meam, vxoremque et liberos meos. Constantinopoli Decimo Die Iunij. Hieronymus Lasky. Supplex oro iubeat Maiestas vestra literas quas ad vxorem scribo, illi transmitti.

LV.

Schreiben Sultan Suleiman's I. an König Ferdinand I.

Konstantinopel, (20.) Juni 1541.

Aus der Abschrift einer gleichzeitigen Übersetzung im k. k. geheimen Haus-Archive. Äussere Aufschrift: Exemplum literarum Turcicarum. *Antwort auf Nr. XLI.*

Excellentissimo inter Principes fidei Ihesu, supremo splendido et prudentissimo generationis Messiæ Ihesu, Adaptatori omnium negotiorum Nazarenorum, digno omni honore et preeminentia, Compositori et manutentori administrantium iustitiam, Ferdinando Regi Austriæ, cui sit finis optimus et felix, Diuum et imperiale sigillum meum inspecturo, notum sit, qualiter impresentiarum ad meam sublimem portam litterę illę quas misistis, nobis peruenerunt, et omnia, quæ nobis significauistis, ad meam fęlicem portam delata sunt, Et partim ex his, que uerba uestra continent, comprehenditur, quod mentis uestrę sit componendi cum felici mea porta, imo uidetur desyderium uestrum esse concordandi vos cum ipsa mea felici porta, tamen gesta, et actiones uestrę,

*

quibus utimini, non conueniunt cum uerbis uestris, Et quia dicitis quod defunctus Rex Ioannes fecerat capitulationes et conuenerat uobiscum de Regno Hungariæ, sicuti nobis significauistis, in eo dictus Rex Ioannes, qui non erat legitime creatus Rex, non habuit authoritatem iustam disponendi, et testandi de rebus dicti Regni, neque de ipso facere capitulationem cum aliquo, cum non potuerit capitulationes, et conuentiones inire de Regno aliorum, Et persone prudentes non prestant fidem huiusmodi capitulationibus, cum sit quod totum Regnum Hungarię cum omnibus circumstantijs, et subiectionibus atque iurisdictionibus suis ex gratia et concessione Diuinæ potentiæ, meo fulmineo ense vi armorum fuit acquisitum, et per offensiuam potentiam meam subiugatum, Et sic ipsum Regnum est meum proprium, que res est nota omni mundo, et quemadmodum sol clara, Et quia per id tempus dictus Rex Ioannes demonstrauerat nobis maximam fidelitatem, et magnam obedientiam erga excelsam meam portam, et supplicando rogauerat humiliter et requisiuerat, ego ualde misertus sui concesseram illi ex mea clementia Regiam dignitatem et administrationem dicti Regni Hungariæ, Et cum mortuus esset dictus Rex Ioannes relinquens filium, omnes Antiani, Primates, Barones, et omnes subditi et populi ipsius Regni ad meam felicem et excelsam portam, quę est refugium mundi, miserunt Nuncios suos rogando et supplicando pro dicto Regno, ut filio concederetur, Et quia dictus Rex Ioannes fuit fidelis seruus meus et mancipium, etiam ipsius filius est seruus et mancipium meum, ueluti filius mancipij et serui, Ideo uisum est mihi concedere administrationem et Regiam dignitatem dicti Regni, Proinde nescio quo iure mittere debeatis Exercitus in dictum Regnum Hungarię armata manu, propter quod uidetur mihi uoluntatem uestram esse, ut omnes prouintię et Regna omnium Christianorum ad ruinam redigantur, et destruantur, Et quia etiam in vestris litteris continetur, quod uelitis mittere Oratores ad nostram felicem et sublimem portam, ideo sciatis quod mea excelsa et sublimis porta semper patet et est libera tam in casu amicitię quam inimicitię, et quomodocunque sit nemini modo aliquo accessus prohibetur, neque quisquam repellitur, Itaque nunc propter immensam Diuinam gratiam omnipotentis et altissimi Dei, et cum benedictione nostri magni prophetæ, et cum infinitis suis misterijs, in quibus confido, moui me et feci magnos apparatus et prouisiones armorum et cum infinitis potentissimis et ualidis Exercitibus meis ad istas partes me confero, et hac felici opinione ex Imperiali et honorata sede mea surrexi, ut cum maximo furore prosequar expeditionem hanc, ita quod si uolueritis mittere Oratores erit vobis via breuior taliter quod si manus ab illa Expeditione Regni non abstraxeritis, et quod mens et uoluntas regnandi uos ducat, uobis notificatur, quod uobis necessarium erit preparare vos ad conseruationem et defensionem Regnorum et dominiorum uestrorum, Et tunc fiet uoluntas altissimi et excellentissimi Dei, et uidebitur quid erit, et omnia declarabuntur, Et hoc sit vobis notificatum. Datum ad finem Lunæ Sofer Anno 948 in honorata sede Constantinopolis./

Inhalt.

	Seite
Tagebuch des Hieronymus Laski während seiner zweiten Gesandtschaft bei Sultan Suleiman I. Konstantinopel, 31. October 1540 — 26. Juli 1541	1
Schreiben König Ferdinand's I. an Hieronymus Laski. Walderfingen (Wallerfangen, Vaudrevange), 22. Mai 1540	69
Schreiben Desselben an Denselben. Hagenau, 11. Juni 1540	—
Instruction Desselben für Denselben. Hagenau, 8. Juli 1540	70
Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an Sultan Suleiman I. Hagenau, 8. Juli 1540	79
Schreiben der Königinn Anna an Alexius Thurzó. Wien, 10. Juli 1540	80
Schreiben Derselben an Thomas Nádasdy. Wien, 10. Juli 1540	—
Pass für Hieronymus Laski. Hagenau, 14. Juli 1540	81
Schreiben König Ferdinand's I. an seine Schwester Maria. Wien, 18. August 1540	82
Instruction Desselben für Tranquillus Andronicus bei Dessen Sendung an die Pforte. Wien, 20. August 1540	83
Beglaubigungsschreiben Desselben für Hieronymus Laski an Simon Erdödy, Bischof von Agram, an das Domcapitel zu Agram und an Peter Keglewitsch. Wien, 20. August 1540	85
Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an die unmittelbar nach dem Tode Johann's von Zápolya hauptsächlich auf Antrieb des Georg Utjeschenitsch (Martinuzzi), Bischofs von Gross-Wardein, an die Pforte abgefertigten Gesandten, Johann Ezéky, Bischof von Fünfkirchen, und Stephan Verböczy. Wien, 23. August 1540	—
Beglaubigungsschreiben Desselben für Hieronymus Laski an die Prinzen Mohammed und Mustafa auf den Fall des Ablebens ihres Vaters, Sultan Suleiman's I., den ein Gerücht todt gesagt hatte. Wien, 24. August 1540	86
Schutzbrief Desselben für Denselben, Dessen Gemahlinn und Kinder. Wien, 24. August 1540	—
Schreiben Laski's an König Ferdinand I. Pettau, 27. August 1540	87
Schreiben des Grafen Franz von Frangepan, Bischofs von Erlau, Peter Perényi's, Obergespans von Abaújvár, Franz Bebék's, Obergespans von Gömör, und Stephan Ráskay's, Obergespans von Neograd, an Cornelius Duplicius Schepper. Erlau, 30. August 1540	—
Schreiben Derselben und Siegmund Balassa's, Obergespans von Borsod, an Kaiser Karl V. Erlau, 30. August 1540	88
Schreiben des Grafen Franz von Frangepan an Alexius Thurzó. Erlau, 31. August 1540	90
Schreiben Desselben an Siegmund von Herberstein. Erlau, 31. August 1540	91
Schreiben Laski's an König Ferdinand I. Szomszédvára (Szuszed), 31. August 1540	—
Schreiben König Ferdinand's I. an Hieronymus Laski. Wiener-Neustadt, 1. September 1540	93
Schreiben Desselben an Denselben. Wiener-Neustadt, 3. September 1540	94
Schreiben Desselben an Denselben. Wiener-Neustadt, 4. September 1540	—
Schreiben Laski's an König Ferdinand I. Sztubicza, 10. September 1540	96
Schreiben Desselben an Denselben. Berdowecz, 12. September 1540	97
Schreiben Desselben an Denselben Szomszédvára (Szuszed), 12. September 1540	98
Schreiben Desselben an Denselben. Gradiska, 18. September 1540	99
Zettel Desselben an König Ferdinand I. und an Anton Rincon, Gesandten Franz I., Königs von Frankreich, bei Sultan Suleiman I. Konstantinopel, in der Zeit vom 15. auf den 19. November 1540	101
Schreiben Desselben an König Ferdinand I. Konstantinopel, 30. November bis 3. December 1540	—
Schreiben Desselben an Denselben. Konstantinopel, 5. December 1540	104

Seite

Schreiben Laski's an König Ferdinand I. Konstantinopel, 12. *Januar* 1541 105
Schreiben des Don Diego Hurtado de Mendoza, Gesandten Kaiser Karl's V. zu Venedig, an König Ferdinand I. Venedig, 19. *Januar* 1541 107
Schreiben Laski's an König Ferdinand I. Konstantinopel, 22. *Januar* 1541 . . . . . —
Schreiben König Ferdinand's I. an den Freistaat von Ragusa. Wiener-Neustadt, 28. *Januar* 1541 . 109
Schreiben Laski's an König Ferdinand I. Konstantinopel, 5. *Februar* 1541 . . . . . —
Schreiben Desselben an Denselben. Konstantinopel, 11. *und* 12. *Februar* 1541 111
Schreiben des Pfortendolmetsches Junis Beg an Hieronymus Laski. Adrianopel, 8. *März* 1541 . . 116
Schreiben Laski's an König Ferdinand I. Konstantinopel, 13. *März* 1541 117
Schreiben Desselben an Denselben. Konstantinopel, 17. *März* 1541 121
Instruction König Ferdinand's I. für Tranquillus Andronicus bei Dessen Sendung nach Polen. Wien, 20. *März* 1541 123
Beglaubigungsschreiben Desselben für Tranquillus Andronicus. Wien, 20. *März* 1541 124
Schreiben Desselben an Sultan Suleiman I. Wien, 28. *März* 1541 . . . . . 125 126
Schreiben Desselben an Hieronymus Laski. Wien, 28. *März* 1541 128
Schreiben Desselben an Anna Laska. Wien, 28. *März* 1541 129
Schreiben Desselben an den Freistaat von Ragusa. Wien, 29. *März* 1541 130
Schreiben Desselben an Piri Beg, Sandschakbeg von Herczegowina. Wien, 29. *März* 1541 . . . —
Schreiben Laski's an König Ferdinand I. Konstantinopel, 30. *März* 1541 131
Beglaubigungsschreiben Kaiser Karl's V. für Tranquillus Andronicus an Siegmund I., König von Polen. Regensburg, 31. *März* 1541 134
Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an Siegmund August, König von Polen. Regensburg, 31. *März* 1541 . . . . . —
Schreiben Laski's an König Ferdinand I. Konstantinopel, 13. *April* 1541 135
Schreiben Desselben an Denselben. Konstantinopel, 25. *April* 1541 137
Schreiben Desselben an Denselben. Konstantinopel, 8., 9. *und* 11. *Mai* 1541 140
Schreiben Desselben an Denselben. Konstantinopel, 13. *Mai* 1541 142
Schreiben Desselben an Denselben. Konstantinopel, 10. *Juni* 1541 143
Schreiben Sultan Suleiman's I. an König Ferdinand I. Konstantinopel, 20. *Juni* 1541 147

Inhalt.

Seite

Schreiben Hieronymus Laski's, Wojwoden von Siradien, an König Ferdinand I. Käsmarkt (Késmárk), 22. November 1538 1

Schreiben König Ferdinands I. an Hieronymus Laski. Wien, 2. December 1538 8

Schreiben Laski's an König Ferdinand I. Käsmarkt, 13. *Jäner* 1539 9

Bedenken Laski's über ein in Betreff des Königreichs Ungern an Sultan Suleiman I. zu stellendes Begehren König Ferdinands I. Wien, Anfang Juli's 1539 10

Denkzettel Laski's für Leonhard Freiherrn von Fels (Vels), obersten Hofmeister König Ferdinands I. Wien, Anfang Juli's 1539 12

Schreiben des von Kaiser Karl V. zur Betreibung der Kundmachung des Grosz-Wardeiner Friedensvertrages an Johann von Zápolya gesandten Reichsvizekanzlers, Matthias Held, an König Ferdinand I. Plintenburg (Visegrád), 14. *Juli* 1539 13

Schreiben Laski's an Leonhard Freiherrn von Fels. Krakau, 22. *Juli* 1539 15

Schreiben Desselben an König Ferdinand I. Krakau, 24. *Juli* 1539 16

Schreiben des Reichsvicekanzlers, Matthias Held, an König Ferdinand I. Plintenburg, 25. *Juli* 1539 . 17

Schreiben Laski's an König Ferdinand I. Tarnow, 26. *Juli* 1539 19

Schreiben Desselben an König Ferdinand I. Käsmarkt, 27. *Juli* 1539 20

Schreiben König Ferdinands I. an Hieronymus Laski. Wien, 5. *August* 1539 23

Vorstellung Laski's an König Ferdinand I. Wien, Anfang Septembers 1539 . . . . . —

Vollmacht König Ferdinands I. für Hieronymus Laski bei Dessen Sendung an Sultan Suleiman I. Wien, 8. September 1539 25

Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an Sultan Suleiman I. Wien, 8. September 1539 . . 26

Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an Andere. Wien, 8. *September* 1539 . . . . . —

Beglaubigungsschreiben Desselben für Tranquillus Andronicus an Stephan, Wojwoden der Moldau. Wien, 9. September 1539 27

Schreiben Desselben an Alexius Thurzó. Wien, 9. *September* 1539 . . . . . —

Schreiben des Matthias Lobodzki an König Ferdinand I. Käsmarkt, 29. *November* 1539 28

Schreiben König Ferdinands I. an Matthias Lobodzki. Wien, 15. *December* 1539 30

Schreiben Desselben an Anna Laska. Wien, 15. *December* 1539 31

Schreiben Desselben an Hieronymus Laski. Wien, 16. *December* 1539 . . . . . —

Schreiben des königlichen Secretärs Paul Bornemisza an König Ferdinand I. Gran, 20. *December* 1539 32

Schreiben König Ferdinands I. an Chosrew Beg, Sandschakbeg von Bosna. Wien, 29. *December* 1539 . 33

Schreiben der Königinn Anna, Gemahlinn König Ferdinands I., an Alexius Thurzó. Wien, 5. *Februar* 1540 —

Schreiben der Königinn Anna an Peter Keglewitsch, Ban von Dalmatien, Kroatien und Slawonien. Wien, 5. Februar 1540 34

Schreiben des Alexius Thurzó an König Ferdinand I. Schintau (Semphe), 18. *Februar* 1540 . . 35

Schreiben der Königinn Anna an Thomas Nádasdy. Wien, 19. *Februar* 1540 36

Schreiben König Ferdinands I. an Alexius Thurzó. Luxemburg, 21. *Februar* 1540 37

Schreiben Desselben an Peter Keglewitsch. Luxemburg, 21. *Februar* 1540 . . . . . —

Schreiben des Alexius Thurzó an König Ferdinand I. Schintau, 22. *Februar* 1540 38

Schreiben der Königinn Anna an die ungrische Regierung. Wien, 22. *Februar* 1540 39

Schreiben Derselben an Alexius Thurzó. Wien, 7. *März* 1540 40

Schreiben König Ferdinands I. an Alexius Thurzó. Gent, 11. *März* 1540 41

Schreiben Desselben an Georg Werkotsch. Gent, 18. *März* 1540 42

Schreiben Desselben an Simon Erdödy, Bischof von Agram. Gent, 18. *März* 1540 43

Schreiben Desselben an Tranquillus Andronicus. Gent, 23. *März* 1540 . . . . . —

Seite

Beglaubigungsschreiben König Ferdinands I. für Tranquillus Andronicus an Chosrew Beg, Sandschakbeg von Bosna. Gent, 23. *März* 1540 44

Beglaubigungsschreiben Desselben für Denselben an Jahjapaschasade Mohammed Beg, Sandschakbeg von Semendra. Gent, 23. *März* 1540 . . . . . —

Schreiben Desselben an Alexius Thurzó. Gent, 31. *März* 1540 45

Pass für Hieronymus Laski. Wien, 1. *April* 1540 46

Schreiben der Königinn Anna an Hieronymus Laski. Wien, 4. *April* 1540 47

Schreiben Derselben an Franz von Batthyán. Wien, 4. *April* 1540 48

Schreiben Derselben an Alexius Thurzó. Wien, 6. *April* 1540 49

Schreiben Laski's an die Königinn Anna. Agram, 10. *April* 1540 50

Schreiben des Alexius Thurzó an Dieselbe. Schintau, 10. *April* 1540 51

Schreiben Laski's an Leonhard Freiherrn von Fels. Welika, 16. *April* 1540 54

Schreiben Desselben an Johann Ungnad, Freiherrn von Sonneck. Welika, 16. *April* 1540 55



Stanford University Libraries
3 6105 009 595 807

STANFORD UNIVERSITY LIBRARIES
CECIL H. GREEN LIBRARY
STANFORD, CALIFORNIA 94305-6004
(415) 723-1493

All books may be recalled after 7 days

DATE DUE

MAR 05 1996 — ILL
8/30/00 -FB
OCT 1 2001 -IL